7/7/1982

S. 1301 A



S. 1301. A. 30

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.


ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE
NATURAE CURIOSORUM
J. G. Pintz. ſc.

NOVA ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE
LEOPOLDINO-CAROLINAE
NATVRAE CVRIOSORVM

EXHIBENTIA

EPHEMERIDES

SIVE

OBSERVATIONES HISTORIAS

ET EXPERIMENTA

A

CELEBERRIMIS GERMANIAE

ET EXTERARVM REGIONVM

VIRIS

HABITA ET COMMVNICATA SINGVLARI STVDIO

COLLECTA

TOMVS OCTAVVS.

ACCEDVNT APPENDIX ET TABB. AEN.

CVM PRIVILEGIO SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS.

NORIMBERGAE

Impenſis IOANNIS ADAMI STEINII.

ANNO MDCCLXCI.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY



SACRATISSIMO POTENTISSIMO
INVICTISSIMOQVE PRINCIPI
DOMINO DOMINO
LEOPOLDO II.
DEI GRATIA ELECTO
ROMANORVM IMPERATORI
SEMPER AVGVSTO
GERMANIAE HIEROSOLYMORVM HVNGARIAE BOHEMIAE
DALMATIAE CROATIAE SCLAVONIAE GALLIZIAE LODOMIRIAE REL.
REGI
ARCHIDVCI AVSTRIAE

D V C I

BVRGVNDIAE LOTHARINGIAE CARINTHIAE ET CAR-
NIOLAE MAGNO DVCI HETRVRIAE MAGNO
PRINCIPI TRANSYLVANIAE
MARCHIONI MORAVIAE DVCI BRABANTIAE LIMBVRGI
LVXENBVRGI ET GELDRIAE WURTEMBERGAE VTRIVS-
QVE SILESIAE MEDIOLANI MANTVAE PARMAE PLA-
CENTIAE GVADASTALI AVSCHWIZ ET ZATOR REL
REL. PRINCIPI SVEVIAE ET CAROLOPOLIS COMIT
PRINCIPALI HABSBVRGI FLANDRIAE TYROLIS HANNO
NIAE KYBVRGI GOERITIAE ET GRADISCAE MARCHIO
NI BVRGOVIENSI LVSATIAE SVPERIORIS ET INFERIO
RIS MVSSIPONTII NOMENII COMITI NAMVRCI PRO
VINCIAE VALDEMONTII BLANKENBERGAE ZVTPHA
NIAE SAARWERDEN SALM ET FALKENSTEIN
DOMINO MARCHIAE VENEDICAE ET
MECHLINIAE REL. REL. REL.

D O M I N O D O M I N O

NOSTRO CLEMENTISSIMO

IMPERATOR CAESAR AVGVSTISSIME

Dum ad MAIESTATIS TVAE thronum prima vice humillime accedere audemus, IMPERATOR AVGVSTISSIME, fauſtiſſimo omine illud ut fiat, ardentiſſime exoptamus. Scilicet *Divus* LEOPOLDVS I. CAESAR *Academiam Imperialem Naturae Curioſorum*, ante Seculum jam, et quod excurrit, in Germaniae TVAE Circulo

 Fran-

Franconico, tenuibus licet primum initiis, exortam, et ſenſim magis increſcentem, in tutelam SVAM clementiſſime recepit, fovit, ac ampliſſimis privilegiis gratioſiſſime donavit, SVOque *auguſto nomine* gaudere, permiſit, quam academiam Auguſtiſſimi EIVS Succeſſores quoque clementiſſime conſervarunt. Quidni ergo nos unquam dubitare poſſumus, licere nobis, LEOPOLDVM II. LEOPOLDI I. poſt exactum ſeculum, Succeſſorem Auguſtiſſimum, divinitus Germaniae conceſſum et exoratum, IMPERATOREM, devotiſſima ſubmiſſione

miſſione venerari, EIVSque indulgentiſſimae gratiae, et ſummo favori, *Academiam*, nunc vere SVAM, *Leopoldinam*, humillime commendare, nec non qualiumcunque laborum noſtrorum, per ultimos hos annos exactorum, reddere rationes, et *novum Actorum Volumen*, ad pedes EIVS deponere. Cur enim metus nos detineat, talia audendi, quorum oratio ad Principem vertitur, cui adulari fas non eſt, quique non minus hominem ſe eſſe, quam hominibus praeeſſe, meminit, atque hominum felicitatem, pro vario eorum ſtatu, ac

deſtinatione, et relatione, omni ope promovere, non anniſus modo eſt, ſed uberrime jam demonſtratum dedit: Qui pietate, ſapientia, concordia, clementia, pace, virtute, non avita regna ſolum, ſed orbem, temperare, ac ea propter quoque Imperii gubernacula SE tenere, religioſe ſecum reputat: Qui, IPSE eruditiſſimus Princeps, omnis generis eruditionem curat, et aeſtimat, ac Scientias, eosque, qui eas gnaviter colunt, protegit, amat, et tuetur. Quidni ergo et imperialis Academia

mia naturae Curioſorum, cui datum eſt, ad LEOPOLDI II. tempora nunc perſiſtere, firmiſſimam ſpem concipiat, eam, ſub TANTO IMPERATORE, fore beatam! Non autem TE verbis, votisque noſtris diſtringimus, ſed ſimplex, cunctaque illa complexum, unum omnium votum eſt: SALVS PRINCIPIS, qua, et *univerſae etiam domus* EIVS *auguſtiſſimae*, exſiſtente, DEO interim vires, ad magna, graviſſimaque negotia perpetranda, neceſſarias, ſuſtentante, et omnem felicitatem ſuffecturo, LEOPOLDVS SECVNDVS, virtuti-

bus *nemini ſecundus*, ſeculo labenti, et futuro, *orbi*, *Suis*, SIBI, et *nobis*, erit vere *ſecundus!*

SACRAE CAESAREAE MAIESTATI TVAE

devotiſſimi
Academiae Imperialis naturae
Curioſorum
Praeſes, Director, Adjuncti,
et Collegae.

SERENISSIMO

AC

POTENTISSIMO

PRINCIPI ET DOMINO

DOMINO

CAROLO THEODORO

COMITI PALATINO RHENI

VTRIVSQVE BAVARIAE

DVCI

SAC. ROM. IMP. ARCHIDAPIFERO ET ELECTORI

JVLIAE CLIVIAE ET MONTIVM

DVCI

Rel. Rel. Rel.

PRINCIPI

AC

DOMINO NOSTRO

CLEMENTISSIMO

ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM

PROTECTORI

BENIGNISSIMO

NOVVM ACTORVM SVORVM VOLVMEN

DEVOTISSIME OFFERVNT

VITAM OMNIGENAMQVE FELICITATEM

ARDENTISSIME PRECANTVR

RESQVE SVAS PORRO OBSEQVIOSISSIME

COMMENDANT

ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM

PRAESES DIRECTOR ADJVNCTI

ET

SODALES.

PRAEFATIO.

Ex quo *Academiae Imperialis Naturae Curioſorum*, in me devolutum eſt, *Praeſidium*, eo magis omnis mea cura et ſollicitudo, in ejus ſalute recuperanda, ac confirmanda, ſtetit, quo magis illius *ſtatus*, quem et in hoc volumine, ut brevem *hiſtoriae Büchnerianae* continuationem, conſervandum duxi, tum illud expoſcebat. Atque quo majori timiditate eam provinciam tum ſuſcepi, eo magis nunc gaudere meum eſt, Dei O. M. gratia acceptum me ferre poſſe, quae mihi, nunc ſeptuagenario majori, benigniſſime adſtitit, ut, academiam antiquam noviter *incrementa* cepiſſe, cunctis bonis conſentientibus, laetus depraedicare queam.

Scili-

Scilicet, prouti in *Notitia Legati*, quo perilluſtris olim academiae Director, b. COTHENIVS, academiae, quae tali beneficio hucusque caruit, admodum liberaliter proſpexit, quaeque in hoc volumine etiam conſervata eſt, uberius indicavi, hujus Legati, et rerum, ſcriptorum, et documentorum, huc pertinentium, participes nunc redditi ſumus!

Deinde in academiae *incrementa* illud etiam cedit, plures egregios viros, de medicina, et philoſophia naturali, optime meritos, et merentes, ad academiam acceſſiſſe, quorum nomina Catalogus, paulo poſt ſequens, exhibet.

Inprimis autem mihi licuit, eſſe tam felicem, ut inter *membra honoraria* academiae, de quibus omnino gloriari fas eſt, recipi potuerint, *Celſiſſima Princeps* de DASCHKAW, *Illuſtriſſimus* et *Reverendiſſimus* Coadjutor de DALBERG, *Illuſtriſſimus* Comes de HERZBERG, *Illuſtriſſimus* Comes de ENZENBERG, *Illuſtriſſimus* L. B. de UNGELTER, qui non ſolum *Diplomata*, ILLIS transmiſſa, gratioſe acceperunt, ſed et Bibliothecam noſtram, atque Muſeum, imo et Fiſcum academicum, largiter ditarunt, pro quibus

bus donis, etiam hic publice, academiae nomine, gratias perſolvere maximas, officium meum requirit.

Interim et bonum temporis ſpatium effluxit, ex quo, poſt *ſeptimum*, novorum Actorum naturae curioſorum, *Tomum, octavus* lucem non vidit! unde certe Ipſe ego habeo, quod doleam. Verum cum ego, circa hanc tarditatem, omni culpa caream, ſiquidem ſaepius transmiſſionem elaborationum, ubi opus erat, monui, haec retardatio ab illo tempore partim repetenda eſt, quo negotia cuncta academiae ſegnius tractabantur, de qua periodo nunc iterum amplius loqui taedet; partim varia in bibliopolio, et typographeo, oborta impedimenta, aliaque, editionem procraſtinarunt. Rebus autem, quantum poſſibile fuit, reſtitutis, cum a pluribus priſtinorum voluminum lectoribus, novum volumen deſideratum ſaepius fuerit, bonum inde ſignum animadvertimus, antecedentes non diſplicuiſſe labores, atque ſic editionem *Tomi octavi*, qui nunc prodit, benevolis lectoribus fore gratam, acceptamque: Sicuti quoque ſpes nos alit, intra brevius temporis ſpatium, colligenda eſſe, a *nunquam otioſis*,

)()()(exhi-

exhibita, quae editioni novi Tomi materias ſubminiſtrare poſſint. Ut autem iis, quibus opera ſua literaria, phyſico-medica, cum academia noſtra communicare, vel in genere cuncta, quae res academiae ſpectant, perferre placet, transmiſſionis modus pateat, primum, quoad vixero, *me* habent, quo ſe vertant. Deinde hic adjungere ratus fui, nomina praeſentium *Dominorum Adjunctorum*, res academiae, quisque ſuo loco et circulo, ſimul benevole curantium, ad quos, ſi forte locorum, ubi commorantur, diſtantiam commodiorem, viamque breviorem, judicabunt, eorum ſcripta, et communicanda, perferri, operam dare queunt. Sunt autem, ſecundum tempus, et ordinem receptionis, Viri, quisque ſuis titulis, et meritorum honoribus, mactandi, hoc tempore, ſequentes:

D. D. GODOFREDVS GVILIELMVS MÜLLER, Francofurti ad Moenum.

D. D. BALTHASAR LVDOVICVS TRALLES, Breslaviae.

D. D. GOTTLIEB HENRICVS KANNEGIESSER, Kilonii Holſatorum.

D. D.

D. D. JOANNES JACOBVS BAIER, Norimbergae.

D. D. ERNESTVS GODOFREDVS BALDINGER, Marburgi.

Dn. FRIDERICVS CHRISTIANVS MEVSCHEN, Hagae Comitum.

D. D. LVDOVICVS FRIDERICVS EVSEBIVS RVMPEL, Erfurti.

D. D. JOSEPHVS BENVENVTI, Luccae in Etruria.

D. D. GVILIELMVS HENRICVS SEBASTIANVS BVCHOLZ, Vinariae.

D. D. LAVRENTIVS CRELL, Helmſtadii.

D. D. CASIMIRVS CHRISTOPHORVS SCHMIDEL, Onoldi.

D. D. CAROLVS CASPAR SIEBOLD, Wirceburgi.

D. D. JOANNES MICHAEL BERNHOLD, Uffenhemii.

D. D. JOANNES CHRISTIANVS DANIEL SCHREBER, Erlangae.

D. D. JACOBVS FRIDERICVS ISENFLAMM, Erlangae.

D. D. JOANNES CAROLVS WILHELMVS MOEHSEN, Berolini.

D. D. JOANNES CHRISTIANVS EHRMANN, Francofurti ad Moenum.

Quod reliquum eſt, ſervet ſummum Numen antiquam academiam noſtram, atque labores ejus porro jubeat eſſe fortunatos, nec publica utilitate deſtitutos. Dabam *Erlangae* d. XXII. Jul. MDCCLXXXXI.

D. Henricvs Fridericvs DELIVS.

I. Con-

I.

Continuatio

CATALOGI

Dnn. Collegarum Academiae Caeſareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curioſorum

et membrorum honorariorum,

ab anno 1781. *usque ad annum* 1791. *in eandem receptorum.*

Ordo receptionis.

860. D. D. *Ludovicus* ROUSSEAU, Seren. Elect. Palatin. et Bavar. Conſiliar. in Univerſit. Ingolſtad. Chem. Hiſtor. natural. et mater. med. Prof. publ. ordin. Soc. oeconom. Burghuſ. Sodal. in Acad. recept. d. 15. Mart. 1782. cognom. *Manethon.*

861. D. D. BLOCH, Med. Pract. Berolinenſis, recept. d. 15. Mart. 1782. cogn. *Piſo.*

862. Celſiſſ. ac Illuſtriſſ. Dom. CAROLVS, S. R. I. Comes de SICKINGEN, Sereniſſ. Elect. Palatini et Bavar. Conſiliar. intim. Eques ordinis Leonis Palat. ad Aulam Galliae Regis Legatus Miniſter Plenipotent. Acad. adſcriptus d. 4. Novembr. 1782. cogn. *Thales*

863. D. D. *Joann. Chriſtoph. Andreas* MEYER, Med. theor. Anatom. et Chirurg. Prof. publ. ordin. in academia Viadrina, rec. d. 4. Nov. 1782. cogn. *Eraſiſtratus II.*

Ordo
receptionis.

864. D. D. *Chriſtian. Theophil.* HOFFMANN, Anat. et Chirurg. Prof. publ. ord. in Academia Altorfina, recept. d. 3. Febr. 1783. cogn. *Heraclianus IV.*

865. Dn. *Richard.* KIRWAN, Armiger Anglus, Reg. Societ. Londinenſis Scient. Acad. Elect. Mogunt. et Societ. Berolinenſ. Amicor. Nat. Scrutat. Sodal. rec. d. 26. Mart. 1783. cogn. *Oſtanes.*

Nota. Cum mihi, infra ſcripto, poſt Anteceſſoris, BAIERI, obitum, Academiae Praeſidium, 1788. fuerit demandatum, et ego nunc Archivum Academiae noſtrae cum plurimis chartis, ad illud pertinentibus, perluſtrarem, in Matricula academica nullum amplius nomen, recepti alicujus membri academiae, inſcriptum inveni. Cum vero diſperſas chartas, in ordinem quendam redigere adlaborarem, nonnulla adhuc diplomata reperi, ut documenta, Viros quosdam in numerum academiae membrorum eſſe receptos, quorum nomina itaque poſtliminio hic referre fas erat. Simul autem benevolos lectores rogo, ut, ſi quidam forte adhuc innoteſcant, qui in academiam recepti, nec tamen in Album Ejus inſcripti, aut hic relati, vel documento ornati, ſint, eos mihi indicent; ſicuti et ea, quae ad complendum Necrologium pertinent. Nunc autem primo nomina eorum, quorum diplomata inveni, referam, deinde eos clariſſimos viros nominabo, qui poſtea ad academiam acceſſerunt.

866. Dn. *Jo. Caſpar* DOLLFUS, Mülhuſa Helvetus, rec. d. 15. Sept. 1786. cogn. *Polianthus.*

867. Dn. *Sigismund. Frid.* HERMBSTAEDT, Berolinenſis, rec. d. 16. Sept. 1786. cogn. *Ariſtander.*

868. D. D. *Conrad. Anton.* ZWIERLEIN, Rever. et Celſiſſ. Princ. Epiſcopi Fuldenſ. Conſiliar. aul. et aquar. mineral.

neral. prope Brückenavium, medicus, urbis et Archiſatrapiae, pariterque in Haſſia, Satrapiarum Alten Gronau, Brandenſtein, et Schwarzenfels Phyſicus, rec. d. 14. Oct. 1787. cogn. *Hydorchus.*

869. D. D. *Jo. Georg. Frid.* FRANZ, in acad. Lipſienſi Med. Prof. publ. rec. d. 12. Jan. 1788. cogn. *Panthemus III.*

Henricus Fridericus Delius.

Sequuntur jam nomina membrorum, ſuis quisque meritis, et honorum, titulis, mactandorum, in academiam receptorum.

Anno 1788.

870. D. D. *Joannes Jacobus* PLANER, Medic. in Acad. Erfurtenſi Profeſſor, Acad. Mogunt. ſcientiarum utilium, quae Erfurti eſt, Societ. amicorum Naturae ſcrutatorum Berolinenſium, et inſtituti Manhemenſis meteorologici, Sodalis, rec. d. 22. Dec. 1788. cognom. *Democedes IIII.*

871. Dn. *Otto Juſtus* EVERS, Reg. Magn. Britann. et Elect. Hanover. Equitum Praetorianorum Chirurgus Primar. rec. d. 22. Dec. cogn. *Chiron IV.*

Anno 1789.

872. D. D. *Paſchalis Joſephus* FERRO, S. Caeſ. et Reg. Majeſt. Conſiliarius, Phyſicus primar. Viennenſis, ibidemque Noſocomii captivorum Director. rec. d. 17. Febr. cogn. *Anton. Muſa II.*

873. Dn. *Adolphus* MODEER, Soc. patr. Suecan. Secretar. primar. Reg. Acad. Scient. Holmienſ. Societ. Petropolit. Norveg. Lund. Gothor. Gothoburg. Florent. Lipſ. Haſſ. Homburg. Caſſell. Bavar. ac natur. ſcrutat. Berol. Sodal. rec. d. 18. Febr. cogn. *Metrodorus II.*

874.

Ordo receptionis.

874. D. D. *Olaus* SWARTZ, Acad. Reg. Scient. Holm. Sodal. rec. d. 18. Febr. cogn. *Strabo II.*

875. Reverendiſſimus et Illuſtriſſimus Dominus *Carolus Theodorus Antonius Maria* Caemmerer de Worms, Liber Baro DE DALBERG, Archiepiſcopus Tarſenſis, Archiepiſcopatus et Electoratus Moguntini, nec non Epiſcopatus Wormatienſis et Conſtantienſis Coadjutor, Proprinceps Erfurtenſis, Eccleſiae Cathedralis inclytae Wirceburgenſis Capitularis et Praepoſitus in Wechterswinkel, rel. gratioſiſſime ſe Academiae membrum honorarium declarari annuit, d. 27. Febr. cognom. *Apollo Muſageta II.*

876. D. D. *Georg. Henr.* BOEHR, Med. aul. Berolinenſis, rec. d. 26. Mart. cogn. *Callimachus III.*

877. D. D. *Joann. Alexander de* BRAMBILLA, S. R. I. E. Sacratiſſ. Jmperatoris Joſephi II. Conſiliar. aul. et Chiriater primarius, caſtrenſium Protochirurgus, nec non militarium, in univerſis Auſtriae ditionibus, noſodochiorum Inſpector, ſtudii medico-chirurgici in academia Joſephina Praeſes perpetuus, Praetorianorum Medico-Chirurgus, Acad. Scient. Bonon. Mantuan. et Florentin. Reg. Acad. Chirurg. Pariſin. Colleg. Chir. Montiſpeſſulan. Sodal. rec. d. 6. April. cogn. *Machaon IV.*

878. D. D. *Martinus Lange*, Comitatus Haromſzeckienſis, in Tranſylvania, Phyſicus, Medicus Coronae, rec. d. 7. April. cogn. *Antiphanes.*

879. D. D. *Philippus Jacobus* PIDERIT, Colleg. med. Haſſo-Caſſelani membrum, militum praeſidiariorum medicus adjunctus, rec. d. 11. April. cogn. *Avicenna II.*

880.

880. D. D. *Jo. David.* SCHOEPFF, Conſiliar. aul. Brandenburgicus, et Archiater, Colleg. med. Onold. Praeſes vicarius, rec. d. 8. Mai. cogn. *Americus II.*

881. D. D. *Jo. Chriſtian.* STARCK, Conſiliar. aul. Vinarienſ. in acad. Jenenſi Prof. med. rec. d. 10. Mai. cognom. *P. Aegineta II.*

882. D. D. *Chriſtian* KNAPE, in Colleg. med. chirurgico Anatomiae Prof. ſecundar. Sup. Colleg. Sanitat. Berolinenſ. Membrum, rec. d. 12. Jun. cogn. *Herophilus IV.*

883. D. D. *Erasmus Ludovicus* WERNBERGER, Civit. Imp. Windsheimenſis Phyſicus, rec. d. 20. Jun. cogn. *Hermophilus II.*

884. D. D. *Jo. Godofredus* LEONHARDI, Medic. in academia Wittebergenſi Prof. publ. ord. rec. d. 26. Jun. cogn. *Baſilius.*

885. Celſiſſima Princeps Domina *Catharina Romanowna* DE DASCHKAW in aula Auguſtiſſimae Ruſſorum Imperatricis Femina primaria, Ordin. Imperial Catharinaei Eques, Acad. Imp. Scientiar. Petropolit. Praeſes, rel. Acad. Imp. Nat. Cur. Membrum honorarium, rec. d. 1. Auguſt. cogn. *Urania Arctoa.*

886. Dn. *Jo. Chriſt.* GERNING, Francofurti ad Moenum Negotiator, Hiſtoriae naturalis, Entomologiae praeſertim, peritiſſimus, rec. d. 3. Aug. cogn. *Aelianus II.*

887. D. D. *Jo. Chriſt. Conrad.* DEHNE, Phyſicus Schoeningenſis, rec. d. 5. Auguſt. cogn. *Dexippus II.*

888. Dn. *Jo. Frid. Aug.* GÖTTLING, Chem. et Technolog. in academia Jenenſi Profeſſor extraord. rec. d. 4. Aug. cogn. *Syneſius III.*

889. D. D. *Fridericus* JAHN, Med. Pract. Meiningenſis, rec. d. 9. Sept. cogn. *Japis III.*

Ordo
receptionis.

890. Dn. *Remigius* WILLEMET, Chem. et Botan. Demonſtrator regius in Academia Nancejana, Societ. reg. medic. et agricultur. Pariſ. nec non Atrebat. Divionenſ. Lugdun. Rhotomag. Aurelian. et Baſileenſ. Membrum, Goettingenſ. Correſp. rec. d. 15. Septembr. cogn. *Rhaſes II.*

891. Illuſtriſſimus Comes *Franciſcus* S. R. I. Comes ab *Enzenberg*, in Freyen et Joechelsthurn, Dynaſta de Singen et Megdberg, Camerarius et Conſiliarius intimus actualis Caeſareus, Conſilii Superioris Auſtriaci Appellationum et Rerum Criminalium Praeſes vicarius, Regiae Celſitudinis Sereniſſimae Archiduciſſae Mariae Annae aulae ſummus Praefectus, variarum Societatum literariarum, et naturalem hiſtoriam tractantium, Sodalis, Acad. Imp. Nat. Cur. Membrum honorarium, rec. d. 18. Sept. cogn. *Eudemus III.*

892. D. D. *Carol. Chriſt.* ECKNER, Civitat. et Provinciae Rudolſtadienſis Phyſicus, rec. d. 19. Sept. cognom. *Euphorbus III.*

893. Dn. *Joannes* DE KOLB, S. Theol. Doct. Rev. et Celſiſſ. Princ. et Epiſcopi Conſtantienſis Conſiliarius eccleſiaſticus, rec. d. 21. Sept. cogn. *Eubulus III.*

894. Dn. *Eugen. Jo. Chriſtoph.* ESPER, Philoſ. Mag. et Prof. publ. extr. in academia Erlangenſi, rec. d. 28. Sept. cogn. *Erathoſtenes II.*

895. D. D. *Paul. Dieter.* GIESEKE, in Gymnaſio illuſtri Hamburgenſi Phyſices Profeſſor, rec. d. 1. Nov. cogn. *Cratevas III.*

896.

Ordo
receptionis.

896. Dn. *Joſephus* BANKS Baronetus, Reg. Societ. Scient. Londinenſis Praeſes, Muſei Britannici Curator, rec. d. 4. Nov. cogn. *Jaſon III.*

897. D. D. *Jo. Theophil.* GEORGI, Auguſtiſſ. Ruſſorum Imperatricis a Conſil. Colleg. Acad. Imp. Scient. Petropolitan. Membr. rel. rec. d. 4. Nov. cogn. *Syneſius IV.*

898. D. D. *Joſephus* DE RVBEIS, Summi Romani Pontificis Pii VI. Praefectus cubicularis, et Archiater, in Romano Archilyceo Medic. Profeſſor, rec. d. 18. Dec. cogn. *Palladius IV.*

899. Dn. *Albertus* FORTIS, Patavinus, Patriae ſcient. Acad. item Bononienſ. Burdigalenſ. et Neapolit. Soc. rec. d. 18. Dec. cogn. *Xenophon II.*

900. Dn. *Hubert. Franc.* HOEFER, Reg. Celſit. Sereniſſ. Magn. Duc. Hetrur. Pharmacopoeae aulicae Director, Acad. Sienenſ. et Societ. Botan. Florent. Sodal. rec. d. 18. Dec. cogn. *Athenaeus III.*

901. Dn. D. *Joſeph.* CAMVTI, Comes et Dom. Feudi de Belvedere, Reg. Celſitud. Hiſpan. Infant. Parmae et Placentiae Ducis Conſiliar. et Archiater, rec. d. 18. Dec. cogn. *Aretaeus III.*

902. D. D. *Mich. Angel.* GIANETTI, in Reg. Archixenodochio Florentino Anatomiae Prof. et Medicus, Acad. Phyſ. Botan. et Georgophil. Sod. rec. d. 18. Dec. cogn. *Herophilus V.*

903. D. D. *Paulus* VISCONTI, in Reg. Archixenodochio Phyſiol. Inſtit. et Chirurg. Prof. et ſtudior. Praeſes, rec. d. 18. Dec. cogn. *Podalirius IV.*

904. Dn. D. *Georg. Wolfg. Franc.* PANTZER, Reip. Norimberg. Phyſ. ord. Acad. Erford. Burghuſ. Literar. Erlangenſ. et Ordin. Pegneſ. Nor. Sodal. rec. d. 18. Dec. cogn. *Protoſpatharius.*

Ordo receptionis.

905. D. D. *Albertus Wilhelmus* ROTH, Phyſicus provincialis Bremenſis, Societ. Halenſ. natur. ſcrutat. Sodal. rec. d. 21. Dec. cogn. *Cratevas IV.*

Anno 1790.

906. D. D. *Joannes Philippus Julius* RVDOLPH, Conſil. aul. Brandenburgic. Med. et Chirurg. in Acad. Frid. Alexandrina Prof. publ. ordin. rec. d. 23. Jan. cogn. *Podalirius V.*

907. Illuſtriſſimus Comes *Ewaldus Fridericus* DE HERZBERG, Conſiliarius intimus Regius Boruſſicus et in ſtatu belli et pacis Adminiſter, Reg. Scientiarum Academiae, nec non Scholae realis, Curator, Ordinis regii aquilae nigrae Eques, Dominus haereditarius in Briz, Lottin, rel. Academ. Imp. Nat. Cur. Membrum honorarium, rec. d. 6. Februar. cogn. *Hercules Muſageta.*

908. D. D. *Chriſtophorus Wilhelmus* HVFELAND, Sereniſſ. Ducis Saxo Vinarienſis Medicus aulicus, rec. d. 27. Febr. cogn. *Hiceſius III.*

909. Dn. *Jo. Carol. Wilhelmus* VOIGT, Sereniſſ. Ducis Saxo Vinarienſis in rebus metallicis Conſiliarius, rec. d. 27. Febr. cogn. *Valerius II.*

910. D. D. *Joann. Georg.* HOFFINGER, Primar. Camer. Reg. montanae Phyſicus Schemnizii in infer. Ungaria, Fac. Viennenſ. Membrum, rec. menſ. April. cogn. *Philomuſus IV.*

911. Dn. *Franciſcus Xaverius* L. B. DE WULFEN, Philoſ. et Matheſ. Prof. Clagenfurti in Carinthia, Soc. Amic. Berolinenſ. nat. Scrut. Sodal. rec. d. 15. Maii, cogn. *Lycius II.*

912.

Ordo
receptionis.

912. Dn. *Sigismundus* L. B. DE HOCHENWART, Canonicus Capitularis, Epiſcopi Gurkenſis Vicarius generalis, Soc. Amic. Berolin. natur. Scrut. Sodal. rec. d. 15. Maii, cogn. *Hierotheus II.*

913. D. D. *Jo. Chriſt. Traugott* SCHLEGEL, Conſil. et Archiater Celſiſſ. Com. de Schönburg Waldenburg, Phyſ. Waldenb. et Lichtenſtein. rec. d. 24. Jun. cogn. *Scribonius Largus II.*

914. D. D. *Jo. Theophil.* EHRHARD, Med. Prof. Extr. et Profector in theatro anat. Erfurt. rec. d. 9. Aug. cogn. *Democedes V.*

915. Dn. *Juſt. Chriſt. Henr.* HEYER, Chemicus et Pharmacop. Brunsvicenſis, rec. d. 19. Aug. cogn *Syneſius IV.*

916. Dn. *Gerhard. van der* HEYDE, Acad. Elect. ſcient. Palatinae Sodal. Aſtronomus et Mathem. Haaganus jam Rigae Capitaneus Geographus et Ingen. rec. d. 30. Jul. cogn. *Sirius III.*

917. D. D. *Cornelius van* HOEY, Senator et Poliater, et officinarum Inſpector Haaganus, rec. d. 30 Jul. cogn. *Oribaſius III.*

918. D. D. *Adrian. Sander van der* BOON MESCH, Senator et Scabin. civit. Delph. Poliater, et Anatom. Lector in eadem Urbe, rec. d. 30 Jul. cogn. *Philoxenus VI.*

919. D. D. *Joann. Ludov.* KVLMVS, Poliater Gedanenſis, rec. d. 30. Jul. cogn. *Philumenus III.*

920. D. D. *Joann. Theod.* PYL, Suprem. Colleg. Med. Berolinenſ. et Coll. Sanitat. Membrum, Phyſicus Berolinenſis, rec. d. 20. Aug. cogn. *Palladius V.*

921. D. D. *Joan. Theod.* SPROEGEL, Supr. Coll. med. Berolinenſ. Membrum, in Coll. medico chirurgico Berolin. Med. et Phyſiol. Prof. ord. rec. d. 20. Aug. cogn. *Serapion IV.*

Ordo receptionis.

922. D. D. *Chriſtian. Ehrenfried* WEIGEL, Med. et Chem. Prof. publ. ord. in acad. Gryphiswaldenſ. Reg. Colleg. Sanit. Aſſ. Acad. Elect. Mogunt. ſcient. util. Soc. Amic. nat. Scrutat. Berolin. Phyſiogr. Lundenſ. Phyſ. Hal. et Metallic. Sodal. rec. d. 24. Aug.

923. Dn. *Michael* VOGT, Philoſ. et Jur. Utr. Doct. Eccleſ. Ambergenſis Paſtor et Decanus, Conſiſtorii Ratisbonenſis Membrum, rec. d. 21. Octobr. cogn. *Eubulus IV.*

924. D. D. *Erneſtus* SCHWAB, Medic. Prof. publ. ord. in Acad. Gieſſenſi, et Phyſic. provincialis, rec. d. 2. Nov. cogn. *Solinus III.*

925. D. D. *Joannes Nicolaus* NICOLAI, Medicus aulicus Rudolſtadienſis, rec. d. 8. Nov. cogn. *Nicetas II.*

926. D. D. *Domenico* CIRILLO, Med. Prof. Reg. in univerſitate Neapolitana, rec. d. 26. Nov. cogn. *Calligenes II.*

Anno 1791.

927. D. D. *Kurt* SPRENGEL, Medicin. pract. et artis veterinariae Prof. publ. Halenſis, rec. d. 15. Febr. cogn. *Soſimenes II.*

928. Reverendiſſ. et Illuſtriſſ. Dn. *Joannes Nepomucenus* L. B. de UNGELTER, a Diſſenhauſen, Biſſingen et Mollberg, Epiſcopus Pellenſis, Eminentiſſ. et Sereniſſ. Electoris Archiepiſcopi Trevirenſis, et Epiſcopi Auguſtani Suffraganeus atque Vicarius in Pontifical. et Spiritualib. generalis, Conferentiarum Miniſter, Conſiliar. actual. intim. ac ſupremus Locumtenens, nec non Eccleſ.

cleſ. Cathedral. Auguſtan. Summus Praepoſitus, rec. d. 6. April. cogn. *Eudemus IV.*

929. D. D. *Carolus Magnus* BLOM, Reg. Colleg. med. Holmienſ. Aſſeſſor, Reg. Acad. Scient. Stockholm. Membrum, et Medicus Provincialis in territorio orientali Satrapiae Dahlecarlicae Suecicae, rec. d. 13. April. cognom. *Bias III.*

930. Dn. *Carol. Frid. Wilhelmus* SCHOLL, Jur. utr. Ddus, Ill. Regim. Erford. Advocatus, in terris Saxo Vinarienſibus Juris Pract. et in Bibliotheca, et Muſeo Acad. Nat. Cur. praeſertim in mineralogia, illuſtribus fratribus RVMPELIIS Adjutor, rec. d. 2. Maii, cogn. *Saluſtius II.*

931. Dn. *Ludovicus* BRVGNATELLI, Phil. et Med. Doct. Ticinenſis, diverſ. Acad. Scient. Soc. rec. d. 4. Maii, cogn. *Bion II.*

II. CON-

II.
CONTINVATIO
CATALOGI

Dominorum Collegarum Academiae noſtrae, hactenus, quoad nobis conſtat, demortuorum.

Ordo receptionis.

432. Dn. D. *Ioannes Nicolaus* WEISS, Praxeos, Pathologiae et Chemiae Prof. publ. ord. in Academia Altorfina, ejusdemque Senior et Jubilaeus, Oppidi et Praefecturae Altorfinae Phyſicus, † d. 4. Julii 1783. ann. aetat. 80.

492. Dn. D. *Ioannes Carolus* TARGIONI TOZZETTI, Magni Etruriae Ducis Medicus aulicus, Collegii Florentini et Botanices Medicus et Prof. publ. Bibliothecae Magliabechianae Praefectus, Societ. botan. Florentinae et Academiarum Etruſcae Cortonenſis, Columbariae et Furfuratorum Sodalis, † d. 28. Dec. 1782. ann. aetat. 71.

534. Dn. D. *Chriſtianus Andreas* COTHENIVS, S. R. I. Nobilis, Academ. Imper. Nat. Cur. Ephemeridum Director, Potentiſſ. Boruſſ. Reg. Conſiliar. intim. et Archiater, Regior. Exercituum Protomedicus, Colleg. med. ſupremi et Colleg. medic. chirurg. Director, Acad. Reg. Scient. Berolinenſ. Membr. honorar. Acad. Reg. med. Pariſienſ. Sodal. Coll. Sanitat. Berolinenſ. et Inſtitut. Pauper. Aſſeſſor, † d. 5. Jan. 1789. ann. aetat. 81.

536. Dn. D. *Philippus Adolphus* BOEHMER, Dynaſta in Neukirchen et Corbetha, Potentiſſ. Regis Boruſſiae Conſiliarius aulicus et Archiater, Profeſſor in Academia Fridericiana Medicinae, Anatomiae et Chirurgiae public. ordinar. Senior Facultatis medicae etc. † d. 1. Nov. 1789. ann. aetat. 72.

547.

Ordo receptionis.

547. Dn. *Ioannes* GESNER, D. Medicinae, Profeſſor Phyſices ac Matheſeos in Gymnaſio illuſtri Tigurino, pluriumque Academiarum Scient. Sodalis, † d. 6. Maj. 1790. ann. aetat. 81.

554. Dn. D. *Ioannes Godeſcalcus* WALLERIVS, Eques auratus Ordinis Regii de Waſa, Chemiae, Mettallurgiae et Pharmaciae Prof. ord. Vpſalienſis, † d. 16. Nov. 1785. ann. aetat. 77.

584. Sereniſſimus Princeps ac Dominus CAROLVS, Princeps regens Loewenſteinio-Werthheimenſis, ſupremus Princeps de Chaſſepierre, Comes de Rochefort et Montaigu, Dominus terrarum Scharfeneck etc. Sacrae Caeſareae Majeſtat. Cubicularius, Sereniſſ. Elect. Palatini copiarum pedeſtrium ſupremus excubiarum Praefectus, Eques Ordinis Palatini St. Huberti et Brandenburgici Aquilae rubrae, reliqua, † d. 6. Junii 1789. ann. aetat. 75.

601. Dn. D. *Ioannes de* GORTER, Sacratiſſ. Ruſſorum Imperatricis Eliſabethae I. Medicus ordinarius, Socius Academiarum Harlemenſis ac Petropolitanae, † 1762. ann. aetat. 73.

607. Dn. D. *Frider. Simon* MORGENSTERN, Med. Practicus Magdeburgenſis et Acad. Elect. Moguntino-Erfurtenſis Scient. util. Sodalis, † 1782. ann. aetat. 53.

609. Dn. D. *Godofredus Henricus* BURGHART, Medicinae Practicus Bregenſis, et in Regio Collegio ibidem Profeſſor primarius, itemque Caeſareo-Regiae Societ. Scient. Olomucenſis Sodalis.

610. Dn. D. *Joannes Carolus* HEFFTER, Medicinae Practicus Zittavienſis, Monaſterii Mariaevallenſis Phyſicus, et Lipſienſis Societ. artium liberalium Sodalis honorarius, † d. 25. Sept. 1786. ann. aetat. 74.

619. Dn. *Iacobus Chriſtianus* SCHAEFFER, D. Philoſ. et Theolog. in libera S. R. I. Civitate Ratisbonenſi verbi divini Miniſter, Sereniſſ. Regis Daniae Conſiliarius, et in Gymnaſio academico Altonavienſi Prof. Philoſ. honorarius, Caeſareo-Regiae Academiae Roboredenſis et Electoral. Moguntin. Scient. util. itemque Regiae Societ. Teuton. Göttingenſis ac Societatum Scient. artiumque liberalium Duisburgenſis et Lipſienſis Sodalis, † d. 5. Jan. 1790. ann. aetat. 71.

622. Dn. *Georgius Dionyſius* EHRET, Regiae Anglicanae Societ. Scient. Sodalis.

628. Dn. *Ioannes Henricus* LANGE, Med. D. et Practicus, Civitatisque Helmſtadienſis Phyſicus ordinarius, † d. 10. Nov. 1779. ann. aetat. 46.

630. Dn. *Ioannes Fridericus* GLASER, Med. D. et Practicus, Civitatisque Suhlenſis, in Ducatu Hennebergenſi, Phyſicus ordinarius, Academiae Elect. Scient. utilium Erfurtenſis, aliarumque Societat. Sodalis, † d. 7. Dec. 1789. ann. aetat. 82.

631. Dn. *Iacobus Reinboldus* SPIELMANN, Phil. et Med. Doctor, Facultatis Medicae Argentor. Senior, Acad. Imper. N. C. Adjunct. Petrop. Reg. Boruſſ. Suec. Patriot. Pariſ. Medic. Elect. Mogunt. et Palat. Colleg. Reg. Medic. Nancej. Sodalis, Acad. Reg. Scient. Pariſ. Correſp. † d. 9. Sept. 1783. ann. aetat. 61.

636. Dn. *Paulus Auguſtus* SCHRADER, Sereniſſ. Ducis Brunſvicenſis Conſiliarius et in ſanctiſſ. Senatu a libellis, Di-

Ordo receptionis.

Director juris dicendi per loca Coenobii Riddagshuſani et in Colonia Veltenhofiana, Societatt. Teutonic. Göttingenſ. Regiomont. et Helmſtadienſis Sodalis, † menſ. Febr. 1780.

638. Dn. *Ioannes Andreas* DEISCH, Medicinae et Chirurgiae Doctor, et Practicus in Civitate libera Auguſtana.

639. Dn. *Petrus* LYONET, JCtus, et cauſſarum in Curiis Juſtitiae, quae Hagae Comitum ſunt, patronus, Societatum Scient. Regiae Anglicanae et Boruſſicae, itemque Belgicae, nec non Academ. Scientiar. Rothomagenſ. Sodalis, † d. 10. Jan. 1789. ann. aetat. 82.

644. Dn. *Ioannes* HILL, Medicinae Doctor et Practicus Londinenſis, Regiaeque Anglicanae Societ. Scient. Sodalis.

663. Dn. D. *Torbernus* BERGMANN, Chem. Metallurg. et Pharmaciae in Acad. Upſalienſi Profeſſor, Reg. Ord. de Waſa Eques auratus, Regiar. Academ. et Societ. Pariſienſ. med. Monſpel. Divionenſ. Upſal. Holm. Londinenſ. Götting. Berolin. Taurin. Gothoburg. Sodalis † d. 8. Jul. 1784. ann. aetat. 49.

667. Dn. *Otto Fridericus* MÜLLER, Potentiſſ. Regi Daniae a conſiliis Conferentiarum, Academ. Reg. Suec. Holmienſ. Elect. Bavaricae et Societat. Helvet. Scient. Sodalis, † menſ. Dec. 1784.

683. Dn. *Gualterus van* DOEVEREN, Med. Doctor, ejusdemque Prof. ordinar. modo Groeninganus, modo Lugdunenſis Batavorum, † d. 31. Dec. 1783.

698. Dn. *Petrus Ionas* BERGIUS, Med. Doctor et Practicus Holmienſis, Regius Profeſſor Hiſtoriae naturalis

 et

et artis pharmaceuticae, Regiaeque Suecicae Holmienſis Academiae Scient. Sodalis, † d. 10. Jul. 1790.

701. Dn. BATIGNE, Facultatis Medicae Monſpelienſis Doctor, Regiae Societ. ejusdem civitatis Sodalis, aegrotorum Gallicorum, in conclavibus Noſocomii Regii Berolinenſis, quod a Charitate nomen habet, decumbentium, Medicus ordinarius, et ſupremo Regio Collegio medico adſcriptus, † 1773.

704. Dn. *Chriſtianus* MAYER, Philoſophiae, Matheſeos et Aſtronomiae in Heidelbergenſi Academia Prof. publicus, Aſtronomus Sereniſſ. Electoris Palatini, Regiaeque Anglicanae et Electoralis Palatinae Societ. Scient. Sodalis, † d. 17. April. 1783. ann. aetat. 64.

705. Dn. *Ioſephus du Freſne de* FRANCHEVILLE, Potentiſſ. Regis Boruſſ. Conſiliarius aulicus, Regiaeque Berolinenſis Acad. Scient. et eleg. liter. Sodalis, † d. 9. Maii 1781. ann. aetat. 77.

712. Dn. *Carolus Fridericus* TRIER, Juris utriusque Doctor, Conſiliarius Sereniſſ. Elect. Saxon. in ſummo, ad quod provocatio datur, Judicio, et Senator Lipſienſis.

713. Dn. D. *Chriſtianus Philippus* HERWIG, Seren. Princ. ab Hohenlohe et Waldenburg a Conſiliis, et Praefecturarum terrae Waldenburgenſis Phyſicus ordinarius, Regiaeque Berolinenſ. Acad. Scient. Sodalis, † d. 9. Febr. 1781.

719. Dn. *Guſtavus Fridericus* JAEGERSCHMID, Medicinae et Chirurgiae Doctor et Practicus, Seren. Marchionis Badenſis Phyſicus Dynaſtiae Carolsruhenſis ordinarius, † 1775.

722. Dn. *Ioannes Auguſtus* WOHLFAHRT, Medicinae Doctor et Anatomiae Demonſtrator in Academia Regia Fridericiana, † d. 15. Sept. 1784.

734.

Ordo receptionis.

734. Dn. D. *Carſten* DE ROENNOW, Ordinis Regii Stellae polaris Eques, Potentiſſ. Regis Stanislai P. M. Conſiliarius intimus et Archiater primarius, Academ. Reg. Scient. Holmienſis Sodalis, † 1787.

744. Dn. D. *Andreas* PASTA, Nobilis Bergomas, non modo in patria, ſed et Mediolani, et in tota Inſubria Medicus.

750. Dn. D. *Immanuel Iacobus van den* BOSCH, Poliater Hagienſis, Inſtit. Hiſtor. Götting. Acad. Scient. Elect. Mogunt. Batav. Harlemenſ. et Ultraject. Sodalis, † d. 26. Maii 1788.

762. Dn. *Carolus Chriſtophorus* OELHAFEN *de Schoellenbach*, et Eismansberg, Reipubl. Norimbergenſis ſilvarum Praefectus, † d. 20. Jun. 1785. ann. aetat. 77.

766. Dn. D. *David. Henricus* GALLANDAT, Demonſtrator Anatomiae, Chirurgiae et artis obſtetriciae Fliſſingenſis, ejusdemque Societatis Scient. Sodalis et Theſaurarius, † menſe Maii 1783. ann. aetat. 51.

771. Dn. *Guilielmus Bernhardus* TROMMSDORFF, Philoſ. et Medic. Doctor, ejusdemque Prof. ord. Erfurtenſis, Academiae ibidem florentis Scient. Sodalis ordinarius, † d. 6. Maii 1782. ann. aetat. 44.

772. Dn. D. *Ioannes Emanuel* ROTHARDVS, Medicinae Practicus Bernburgenſis, † d. 5. Jun. 1778. ann. aetat. 39.

773. Dn. D. *Ioannes Gerhardus* KOENIG, Potentiſſ. Regis Daniae in terris Malabaricis Medicus Miſſionarius, † d. 31. Jul. 1785.

778. Dn. D. *Antonius* CAP de VILLA, Botanices et Georgiae Prof. Regius, Regiae Societ. Scient. Goetting. Sodalis, Matheſeos Prof. Valentinus, † menſ. Nov. 1776.

Ordo
receptionis.

780. Dn. BOVRDELIN, Doctor Regens Facultatis Medicae Pariſienſis, Regiarum Principum Archiater primarius, Profeſſor Chemiae in horto Regio, Academiae Regiae Scient. et Berolinenſis Sodalis, † 1775.

797. Dn. D. *Chriſtoph. David* MANN, liberae S. R. I. Civitatis Biberacenſis Phyſicus ordinarius, Academiae Elector. Bavaricae Scient. Sodalis, † d. 19. Febr. 1787. ann. aetat. 72.

799. Dn. *Ioannes Leberecht* SCHMVCKER, Potentiſſ. Boruſſorum Regis Exercituum Chirurgus generalis primarius, et omnium chirurgicorum noſocomiorum caſtrenſium Director, † d. 5. Mart. 1786. ann. aetat. 74.

800. Dn. *Ignatius* S. R. I. *Eques* A BORN, Dominus in Altſedlitſch, Inchau, Tiſſa, S. C. R. Majeſtati in re metallica et monetaria a Conſiliis, Societatt. Reg. Holmienſis, Magni Ducatus Sienenſis et Georgicae Paduanae Sodalis, † d. 24. Jul. 1791. ann. aetat. 49.

804. Dn. *Ioannes Baptiſta Ludovicus de Romé* DE LISLE, Pariſinus, Academiae Regiae Holmienſis Scientiarum et Elect. Moguntino-Erfordienſis Scient. util. Sodalis, † d. 7. Martii 1790. ann. aetat. 54.

812. Dn. D. *Ioannes Philippus* DU ROI, Sereniſſ. Ducis Brunovicenſis Archiater, Civitatis Brunovicenſis Phyſicus, ejusque praeſidii militaris Medicus ordinarius, † d. 8. Dec. 1786. ann. aetat. 44.

816. Dn. *Chriſtophorus Albertus* EICHELBERG, A. L. M. Gymnaſii Veſalienſis Rector, † d. 14. Mart. 1785. ann. aetat. 72.

829. Dn. *Natalis* SALICETI, Summi Pontificis Rom. Pii VI. Archiater et Cubicularius, Academiae Regiae Pariſienſis Scient. Sodalis, † d. 21. Febr. 1789.

830.

Ordo receptionis.

830. Dn. D. *Maximilianus Iacobus* DE MAN, Civitatis Tetrarchiae Neviomagenſis Archiater, Societ. Harlemenſis Scient. et Ultrajectinae Amicorum Artiſtarum Sodalis, † d. 12. Nov. 1785. ann. aetat. 55.

834. Dn. *Petrus Eliſabeth* DE FONTANIEU, Eques Ordinis S. Ludovici, Regiae ſupellectilis Regni Franciae Inſpector et Regiſtrator generalis, Academiae Regiae Scient. et Architecturae Sodalis, † d. 30. Maii 1784.

843. Dn. D. *Ioannes Godofredus* BÜSCHER, Collegii Medici Brunovicenſis Aſſeſſor, Communionis Hercynicae ſuperioris metallifodinarum Phyſicus.

857. Dn. *Ioannes Iacobus* FERBER, Potentiſſ. Regi Boruſſorum a rebus metallicis Conſiliarius ſupremus, Academiarum Regiae Boruſſicae et Suecicae, ac Ducalis Tuſcienſis Scientiarum, Caeſareae liberae oeconomicae Societatis Petropolitanae, Amicorum Naturae Scrutatorum Berolinenſis et Gedanenſis, Phyſiographicae Lundinenſis Scandinorum, et publicae agriculturae Societatum Vicentinae, Patavinae et Florentinae Sodalis, † d. 17. April. 1790. ann. aetat. 47.

869. Dn. D. *Ioannes Georgius Fridericus* FRANZ, Profeſſor Medicinae Lipſienſis publ. extraordinarius, Regii Collegii Medicorum Nancejenſis, Academiarum Scient. Aurelianenſis, Divionenſis, aliarumque Sodalis, † d. 14. Apr. 1789. ann. aetat. 53.

870. Dn. D. *Ioannes Iacobus* PLANER, in Univerſitate litterarum Erfurtenſi Profeſſor Medicinae publ. ord. Academiaeque ibidem florentis Electoralis Scientiarum utilium Sodalis, † d. 10. Dec. 1789. ann. aetat. 46.

III. CA-

III.

CATALOGVS
ALPHABETICVS

Virorum Excellentiſſimorum, qui, pro octavo hoc Tomo Novorum Actorum Academiae Caeſareae Natur. Curioſ. obſervationes phyſico-medicas communicarunt.

Dn. D. *Joſephus* BENVENVTI, Summi Romani Pontificis Eques, Medicinae Practicus in Sereniſſima Republica Lucenſi, Thermarum Lucenſium Medicus, ex Reipublicae auctoritate praefectus, Societatum Regiae Goettingenſis, Bononienſis et phyſico-botanicae Florentinae Sodalis, Academ. N. C. Adjunct. *Epicharmus* II. pag. 176.

Dn. D. *Carolus Magnus* BLOM, Reg. Colleg. Med. Holmienſ. Aſſeſſor, Reg. Acad. Scient. Stockholm. Membrum, et Medicus provincialis in territorio orientali Satrapiae Dahlecarlicae Suecicae, Academ. N. C. *Bias* III. pag. 230.

Dn. D. *Georgius Henricus* BOEHR, Medicus Aul. Berolinenſis, Academ. N. C. *Callimachus* III. pag. 157. 159.

Dn. D. *Chriſtophorus Gottlieb* BONZ, Liberae S. R. I. Civitatis Eſslingenſis Phyſicus ordin. Academ. N. C. *Diophantus* II. pag. 51. 53.

Dn. *Paulus Joannes* BONZ, Pharmacopoeus Eſslingenſis, Academ. N. C. *Ariſtophilus* II. pag. 44.

Dn. *Ignatius* S. R. I. *Eques* A BORN, Dominus in Altſedlitſch, Inchau, Tiſſa, S. C. R. Majeſtati in re metallica et monetaria a Conſiliis, Societatis Reg. Holmienſis, Magni Ducatus Sienenſis et Georgicae Paduanae Sodalis, Academ. N. C. *Ariſtocrates Rheginenſis*. p. 97.

Dn. M. *Ioannes Hieronymus* CHEMNITZ, Eccleſ. praeſidiar. German. Hafnienſis Paſtor, Societ. Scient. Reg. Danicae, et Arctoae Drontheimenſis, Electoral. Moguntin. Erford. Gedanenſ. Natur. Scrutat. Berolin. Phyſiogr. Lund. et Suec. pro Fide et Chriſtianiſmo Sodalis, Academ. N. C. *Ariſtomachus* III. Append. pag. 35.

Dn. D. *Ioannes Fridericus* CONSBRUCH, Sereniſſ. Ducis Würtembergenſis regnantis Archiater, in Vniverſitate Carolina Stuttgardienſi Medicinae Profeſſor publ. ordinar. Academ. N. C. *Olympius Mileſius.* pag. 8. 13. 14.

Dn. D. *Henricus Fridericus* DELIVS, Sacri Romani Imperii Nobilis, Acad. Imperial. Nat. Cur. Praeſes, Conſiliarius, Archiater et Comes Palatinus Caeſareus, Conſiliarius Intimus Aulicus Brandenburgicus, Medicinae Profeſſor primarius in Academia Friderico-Alexandrina Erlangenſi, Acad. Imperial. Scientiar. Petropolit. Reg. Societ. Monspelienſ. Rhotomag. ac Reg. Societ. Med. Pariſ. Acad. Scient. Electoral. Bavaricae et Batav. Harlemenſ. Sodalis. Academ. N. C. *Democedes* II. pag. 61.

Dn. *Iacobus Franciſcus* DEMACHY, Pharmacopoeus et Demonſtrator Chemiae Pariſienſis, Regiae Academ. Berolinenſ. et Societat. Rotterodamenſis Scientiar. Sodalis. Academ. N. C. *Syneſius* II. pag. 43.

Dn. D. *Carolus Chriſtophorus* ECKNER, Civitatis et Provinciae Rudolſtadienſis Phyſicus. Academ. N. C. *Euphorbus* III. pag. 108.

Dn. D. *Ioannes Theophilus* EHRHARD, Med. Prof. Extraordin. et Profector in theatro anatom. Erfurt. Academ. N. C. *Democedes* V. pag. 167. 169.

)( )( )( )( )( )(Dn.

Dn. *Eugenius Ioannes Chriſtophorus* ESPER, Philoſ. Mag. et Profeſſ. publ. extraordin. in Academia Erlangenſi. Academ. N. C. *Erathoſtenes* II. pag. 194.

Dn. *Otto Iuſtus* EVERS, Reg. Magn. Britann. et Elect. Hanover. Equitum Praetorianorum Chirurgus primarius. Academ. N. C. *Chiron* IV. pag. 64. 74. 82.

Dn. D. *Paſchalis Ioſephus* FERRO, S. Caeſar. et Reg. Majeſt. Conſiliarius, Phyſicus primar. Viennenſis, ibidemque Noſocomii captivorum Director. Academ. N. C. *Antonius Muſa* II. pag. 121. 123.

Dn. D. *Ioannes Fridericus* GMELIN, Reg. Magn. Britann. Conſiliar. aul. in Vniverſitate Goettingenſi Medic. et Chem. Profeſſor publ. ordinar. et Soc. Reg. ſcient. Goettingenſ. ac Societatis phyſico-oeconomicae Tigurinae Sodalis. Academ. N. C. *Caſſius Dionyſius.* p. 27.

Dn. *Iuſtus Chriſtianus Henricus* HEYER, Chemicus et Pharmacopoeus Brunsvicenſis. Academ. N. C. *Syneſius* IV. Append. p. 55. et 95.

Dn. *Sigismundus* L. B. de HOCHENWARTH, Canonicus Capitularis, Epiſcopi Gurkenſis Vicarius generalis, Societ. Amic. Berol. natur. Scrutator. Sodalis. Academ. N. C. *Hierotheus* II. pag. 228.

Dn. D. *Chriſtophorus Wilhelmus* HVFELAND, Sereniſſ. Ducis Saxo-Vinarienſis Medicus Aulic. Academ. N. C. *Hiceſius* III. pag. 150.

Dn.

Dn. D. *Fridericus* IAHN, Medic. Pract. Meiningenſis. Academ. N. C. *Iapis* III. pag. 100. 104. 105. 107.

Dn. D. *Iacobus Fridericus* ISENFLAMM, Sereniſſ. Marchionis Brandenburg. Onold. et Culmbacenſ. Conſiliar. Aulicus, in Vniverſit. Friderico-Alexandrina Erlangenſi Medicinae et Anatom. Profeſſor publ. ordinar. Academ. N. C. Adjunct. *Heraclianus* II. pag. 162.

Dn. D. *Chriſtophorus* KNAPE, in Colleg. med. chirurgico Berolinenſi Anatomiae Profeſſ. ſecundar. Sup. Colleg. Sanitat. Membrum. Academ. N. C. Adjunct. *Herophilus* IV. pag. 118. 120.

Dn. D. *Martinus* LANGE, Comitatus Haromſzeckienſis in Tranſylvania Phyſicus, Medicus Coronae. Academ. N. C. *Antiphanes.* pag. 125. 133.

Dn. D. *Maximilianus Iacobus* DE MAN, Civitatis Tetrarchiae Noviomagenſis Archiater, Societatis Harlemenſis Scient. et Vltraiectinae Amicorum Artiſtarum Sodalis. Academ. N. C. *Epigenes.* Append. pag. 43.

Dn. *Adolphus* MODEER, Societ. Reg. Patr. Suec. Secretar. primar. et Acad. Reg. Scient. Holmienſ. Membr. Societ. Petropol. Norweg. Lond. Goth. Gothoburg. Florent. Lipſ. Haſſ. Homb. Caſſell. Bavar. ac natur. Scrutat. Berol. Sodalis. Academ. N. C. *Metrodorus* II. Append. pag. 19. 85.

Dn. D. *Ioannes Nicolaus* NICOLAI, Medicus Aulicus Rudolſtadienſis. Academ. N. C. *Nicetas* II. pag. 185.

Dn. D. *Carolus Guilielmus* NOSE, Phyſicus Elberfeldenſis in Ducatu Bergenſ. Academ. N. C. *Artephius* III. pag. 59.

Dn. D. *Philippus Iacobus* PIDERIT, Colleg. Medic. Haſſo-Caſſellani Membrum, militum praeſidiariorum Medicus adjunctus, Academ. N. C. *Avicenna* II. pag. 138.

Dn. D. *Guilielmus Godofredus* PLOVCQVET, in Vniverſitate Tubingenſi Profeſſor Medicinae ordinar. Societ. Elector. Bavar. oeconomicae Collega honorarius. Academ. N. C. *Polemocrates*. pag. 18.

Dn. D. *Ludovicus* ROVSSEAV, Sereniſſ. Elect. Palatin. et Bavar. Conſiliar. in Vniverſit. Ingolſtad. Chem. Hiſtor. natural. et mater. med. Prof. publ. ordin. Societ. oeconom. Burghuſ. Sodalis. Academ. N. C. *Manethon*. pag. 1.

Dn. D. *Ioannes Philippus Iulius* RVDOLPH, Conſiliar. Aulic. Brandenburgicus, Medic. et Chirurg. in Acad. Frid. Alexandrina Prof. publ. ordinar. Academ. N. C. *Podalirius* V. pag. 211.

Dn. D. *Ioannes Davides* SCHOEPFF, Conſiliar. Aul. Brandenburgicus et Archiater, Colleg. Med. Onold. Praeſes vicarius. Academ. N. C. *Americus* II. pag. 205.

Dn. D. *Ioannes Chriſtianus Daniel* SCHREBER, Conſiliar. Aul. Brandenburgicus, in Vniverſ. Frider. Alexandrina Medicinae, Botanices, Hiſtor. natural. et Oeconomiae Profeſſor publ. ordinar. plurimarum Acad. ſcientiar. Sodal. Academ. N. C. Adjunct. *Theophraſtus Ereſius* IV. pag. 360.

Dn.

Dn. D. *Carolus Caſparus* SIEBOLD, Reverendiſſ. et Celſiſſ. Princip. et Epiſcopi Bamberg. et Wirceburg. Conſiliar. Aul. in Vniverſitat. Wirceburg. Anatom. Chirurg. et Artis obſtetriciae Profeſſ. publ. ordinar. Noſocomii principalis Iulianei Chirurgus primarius. Academ N. C. *Philotimus* III. pag. 38.

Dn. *Chriſtophorus Fridericus* SIGEL, Pharmacopoeus in oppido Vaihingen Ducatus Würtembergici. Academ. N. C. *Ariſtophilus.* pag. 4.

Dn. D. *Kurt* SPRENGEL, Medicin. pract. et artis veterinariae Profeſſ. publ. Halenſis. Academ. N. C. *Soſimenes* II. pag. 177.

Dn. *Carolus Petrus* THVNBERG, Med. Doct. Botanices Profeſſor Vpſalienſis, Eques auratus Regii Ordinis Waſaei. Academ. N. C. *Oribaſius* III. Append. pag. 1.

Dn. *Michael* VOGT, Philoſ. et Iur. Vtr. Doct. Eccleſiae Ambergenſis Paſtor et Decanus, Conſiſtorii Ratisbonenſis Membrum. Academ. N. C. *Eubulus* IV. pag. 172.

Dn. D. *Eraſmus Ludovicus* WERNBERGER, Civitat. Imperial. Windsheimenſis Phyſicus. Academ. N. C. *Hermophilus II.* pag. 90. 92. 94.

Dn. *Franciſcus Xaverius* L. B. DE WVLFEN, Philoſ. et Matheſ. Profeſſ. Clagenfurthi in Carinthia, Societ. Berol. Amic. nat. Scrutat. Sodalis. Academ. N. C. *Lycius* II. pag. 235.

Dn. *Franciſcus* ZANETTI, Philoſ. et Medic. Doctor, in alto Novarienſi Comitatu Camobienſium Poliater. Academ. N. C. *Glicon.* pag. 16.

Dn.

Dn. D. *Conradus Antonius* ZWIERLEIN, Reverendiſſ. et Celſiſſ. Princ. Epiſcopi Fuldenſis Conſiliar. Aul. et aquarum mineral. prope Brückenaviam, Medicus, urbis et Archiſatrapiae, pariterque in Haſſia Satrapiarum Alten Gronau, Brandenſtein et Schwarzenfels Phyſicus, Academ. N. C. *Hydorarchus.* pag. 87.

NOVOR.

NOVORVM ACTORVM PHYSICO-MEDICORVM ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM TOMVS OCTAVVS.

OBSERVATIO I.

Dn. D. LUDOVICI ROUSSEAU De *Uſu ſuccorum inſpiſſatorum*, Rob *dictorum.*

Ex collegio quondam, in quo pluribus de *mixtione ſaponacea* ſuccorum inſpiſſatorum (Rob) egeram, eorumque uſum Diſcipulis meis in obſtructionibus maxime commendaveram, redux, inveni in aedibus meis feminam, quae buty-

rum alias, et ova mihi vendere ſolebat. Haec maximam in reſpiratione difficultatem, duritiem ventris, atque pedum tumorem conquerebatur. Suadebam ego, quem antea in Collegio laudaveram, Rob ſambuci, miſcere juſſi cum 6. *unciis aquae calidae* tantum, quantum bina cochlearia caperent, eamque mixtionem mane ebibere, tum vero per horam in lecto tranſpirationem promovere, atque dein corpus linteis leniter fricare. Suaſi praeterea, ut frigidae, quam biberet, interdiu modicam portionem *dicti Rob* miſceret; ſub veſperum vero calidum, quo mane uſa fuerit, potum repeteret. Septimana proxima rediit, longe facilius ſpirans, atque conteſtans, ventrem molleſcere, atque pedum tumorem diſceſſiſſe. Iuſſu meo dein quoque per 14. dies continuavit remedii uſum, atque ex eo penitus convaluit. Poſt duos annos, me tum quidem aliorſum profecto, dyſenteria extincta eſt.

Alia vice pauper quidam murarius, nomine *Dominicus Laugmaier*, erga me conqueſtus eſt anguſtias, ex preſſione quadam in latere dextro, atque omnis appetitus ciborum iacturam. Livebant illius oculi, uti corpus omne, viresque illius adeo fractae erant, ut ſe levare aegre in lecto poſſet. Praeſcripſi primo unciam Salis glauberiani, tum vero *ſuaſi, ut Rob juniperi*, cum potu ordinario largiter mixto, uteretur, cui conſilio morem gerens, ita brevi convaluit, ut poſt 4. dies redire ad labores potuerit.

Tertium denique remedii huius experimentum cepi, in cive egregio, cuius arte in criſpandis crinibus ipſus utor, nomine Krazer. Diu hic decubuit, ut tamen de morbi genere nec quaererem ego, aut quidpiam intelligerem. Cum, ipſo dein Medico, qui aegrum ſanaret, aegrotante, advocatus alius, ſpem nullam recuperandae valetudinis ſupereſſe aſſereret, afflicta uxor opem quaerere coepit a famoſo, in plebe, chirurgo, magis audacia, quam ſcientia medendi, notiore. Quod, cum ex ancilla mea reſcirem, rei indignitate,

atque

atque periclitantis civis optimi miſeria, commotus, uxorem illius ad me evocavi, quae, ſtatum morbi omnesque circumſtantias enarrare iuſſa, reſpondit, mali originem ex induratione lateris dextri fuiſſe, tum vero omnem ciborum appetitum fugiiſſe, livore corpus omne conſpurcatum, atque continuo conſtipatum eſſe, cui malo non niſi enema mederetur, ſed et enema nunc ſaepe bis etiam per diem, ſine levamine ullo, adhibitum eſſe, vires adeo proſtratas eſſe, atque ideo corpus debile per 17. hebdomades iam lecto detineri. Ego vero mox uncias III. *Rob juniperi, cum menſura aquae* miſcere iuſſi, atque ſucceſſive haurire. Altero mox die mane hora VIta rediit ad me uxor, urinam, quae ante aquae inſtar pallebat, rite coloratam oſtendens, narransque, maritum longe quietius, quam ante, per praeteritam noctem dormiſſe, atque levare ventrem, ſine alio remedio, potuiſſe. Animavi ego feminam, facta recuperandae valetudinis ſpe ſuaſique, ut duplam portionem praedicti *Rob* cum potu ordinario miſceret. Exhauſto hoc remedio, melius ſe habere, ſub veſperum iterum levare alvum, noctu per continuas 5. horas dormire coepit, dolor in affecto latere imminutus eſt, immo aeger materiae cuiusdam motum ibi advertere dicebat, ubi ante dolores ſenſiſſet acutiſſimos.

Ex his facile factae cuiusdam reſolutionis indicium colligebam, atque ideo ut efficacis adeo remedii uſum continuaret, volebam; et ecce altero iam die cibos, quorum hucusque nauſeam ſenſerat, appetere coepit. Die quarto menſae accubuit, atque, iocos inter, arti ſuae incubuit, criſpando capillitium; immo, ſexto iam die, ipſe ad me venit, acturus grates. Illud praeſertim laetus commemorabat, motum illum, ſeu reſolutionem, quam ſenſiſſet, ſua opinione plurimum ad ſuam valetudinem contuliſſe, et quod ab illo tempore dolores non ſolum imminuti fuerint, ſed etiam penitus evanuerint.

Pergebat dein, *eodem Rob* conſtanter per 14. dies uti, tum vero per alios 14. dies recentis ovi vitellum quater per diem, cum iuſculo ex carne ſumere, quibus mediis ita recuperavit valetudinem ſuam, ut iam firmiſſima ultra annum fruatur.

Ingolſtadio Onoldum miſſa
d. 2. Maii 1782.

OBSERVATIO II.

Dn. CHRISTOPHORI FRIDERICI SIGEL.

De

Venenatiſſimae radicis anonymae in N. Actor. Acad. Nat. Cur. Tom. VI. Obſerv. XXVI. memoratae, Planta reperta.

Cujus in loco ſupra dicto, tam quoad habitum externum, quam quoad nocivos et deleterios effectus, anonymae radicis, falſo pro helleboro nigro venditatae, deſcriptionem dedi: Ejus nunc et plantae, unde deſumpta fuit, et nomen, et characteres, quos ibi promiſi, indicare poſſe gaudeo.

Etenim multa, licet fruſtranea adhibita opera, tandem tam felici eſſe mihi contigit, ut a rhizotomo quodam, famoſae radicis ſatis gnaro, ex ipſo loco, unde potiſſimum petitae erant radices, earundem viva quaedam exemplaria obtinerem; quorum radices, cum reſectae et exſiccatae eſſent, ex omni parte radici, adhuc anonymae dictae, adeo ſimiles inveni, ut, ejusdem plantae radices eſſe, haud quempiam dubitare poſſe arbitreris.

Erant quidem dicta plantae exemplaria, uti optime *Illuſtris* D. D. DELIUS, in Scholio Obſervationi ſubjuncto, ominabatur, ex Aconiti genere; pro illa vero ſpecie, quae

in BLACKWELLIAE Tab. 561. depicta proſtat, ac Celeberrimo Viro anonymae radicis planta eſſe videbatur, eam haberi nolim.

Quam enim Aconiti ſpeciem dicta BLACKW. Tabula, ejusdemque deſcriptio exhibent, certe non alia eſſe videtur, quam quae, tum in KNORRII Theſauro rei herbariae, tum in *Perilluſtris* STOERCKII libello de Napello, Hyoſcyamo et Strammonio, a Celeberrimo D. SCHINZ in germanicam linguam translato, repraeſentatur, et floribus ſubpentagynis deſcribitur.

Ejusdem plantae erant quoque radices, quas ſaepius conſideravi, et quamvis e diverſo ſolo effoſſae fuerint; figura tamen et habitu externo anonymae radici nunquam ex toto reſpondere, animadverti; quare quibus partibus differant, et radix hujus plantae, et noſtra, tunc temporis anonyma, radix, neceſſarium putavi in dicta mea obſervatione indicare.

Radicem ergo hucusque anonymam dictam, dum abludebat a facie râdicis Aconiti, quod a Blackwell: et ab omnibus, quibus mihi uti licebat, Auctoribus, Napellus vocabatur, minime ejusdem plantae radicem exiſtimari, ac eodem nomine appellari poſſe arbitrabar.

Neque vero non comprobata fuit mea opinio. Cumprimum enim plantae radicis anonymae compos factus ſum, eam novam, nec adhuc mihi viſam Aconiti ſpeciem eſſe, ex diverſis partibus ejus intellexi.

Verum enim vero, cum pro ea, quam, uti ſupra dixi, *Blackwell. Knorr.* et Perilluſtr. *Stoerck* deſcripſerunt, ac, ſicut ego in dicta Obſervatione, *Linnaeana* definitione, Aconitum fol. laciniis linearibus, ſuperne latioribus, linea exaratis, inſigniverunt, habere neutiquam potuerim, neque alia ex Aconiti ſpeciebus, quas Editio Decima Syſtematis Nat. *Linnaei*, mihi ſola adhuc uſitata, ſuppeditabat, ei magis analoga fuerit: de acquirenda noviore Editione hujus

 libri,

libri, vel de ejusdem ſpeciebus plantarum cogitare, mihi opus erat: quae ſcripta, cum aliunde mox mihi conceſſa eſſent, lucem quoque exoptatam demum attulerunt.

Etenim jam ex ſpecierum plantarum Linn. Editione tertia didici, Perilluſtrem Auctorem eam ſpeciem, quam omnes ſupra dicti Auctores Napellum nominabant, nunc Aconitum Cammarum vocare, et plantae, de qua noſtra anonyma radix, Napelli nomen tribuere.

Idem paulo poſt in Syſtematis Naturae Editione XI. obſervare mihi licuit; ubi Celeberr. Auctor porro, ut ne quis dubitaret, Aconita, Cammarum et Napellum, veras diſtinctas eſſe ſpecies, vel varietates tantum exiſtimaret: Omnes Aconiti ſpecies in 2. Phalanges diſpeſcit, et *Cammarum* ſpeciebus ſubpentagynis, *Napellum* vero trigynis adjungit.

Noviſſima Editio ſyſtematis plantarum, curante D. REICHARDO, idem confirmat.

Plures ergo Botanicorum noſtri temporis characteres ſpecificos Aconiti, Cammari et Napelli forſan latuiſſe, ideoque ſpecies confudiſſe, ex eorundem tum iconibus, tum deſcriptionibus evincitur, quibus tamen Perilluſtris *ab* HALLER minime annumerandus, quippe qui utriusque ſpeciei in hiſtoria ſtirpium Helvet. n. 1197 et 1198. exquiſitam et ſatis diſtinctam dedit definitionem.

Ipſi a LINNE Immortali, ſero et paucis ante obitum annis, *Aconiti Cammari* plantam innotuiſſe, ex dictis videtur, quod mireris, cum veriſimile ſit, jam *Tabernaemontano* ejus haud contemnendam fuiſſe cognitionem.

Quam enim *Aconiti* ſpeciem *napellum latifolium majorem* vocat, quamque ſemina tribus ſiliquis proferre dicit, ea *noſtrae anonymae* radicis *planta eſſe* videtur: cui vero *Napelli anguſtifolii* nomen inſcripſit, illa *Cammarum* denotabit.

Cae-

Caeterum icones utriusque Napelli, in *Tabernaemontano*, aliquem quidem habitum plantae in foliis et floribus monſtrant, in radicibus vero naturae minime reſpondent: Hoc nimirum de *Tabernaemontani* Editione quarta, quam auxit et correxit 1731. BAUHINUS dicere liceat.

Ut ex promptu pateat, quibus partibus differant Aconitum Cammarum et Aconitum Napellus, utriusque veram, ad viva exemplaria factam, dabo delineationem.

Aconitum Cammarum.	*Aconitum Napellus.*
Caulis ramoſus, intenſe viridis, glaber, fuſco-maculatus, nitidus.	Caulis ſimplex, viridis fuſco-maculatus, hirſutus, parum incanus.
Spica florum ramoſa, laxa, pedunculis multifloris.	Spica florum ſimplex, denſa, pedunculis unifloris.
Corolla $\frac{1}{4}$ circiter minor, quam in Napello.	Corolla $\frac{1}{4}$ circiter major quam in Cammaro.
Petalum ſupremum galeatum deorſum ſpectans, valde arcuatum et apice folia lateralia amplectens.	Petalum ſupremum galeatum ſurſum ſpectans, minus arcuatum, quam in Cammaro, parum remotum a lateralibus.
Petala lateralia ſubrotunda aequalia.	Petala lateralia ſubrotunda aequalia.
Petala infima ad baſin ſibi incumbentia.	Petala infima ad baſin divergentia.
Germina floribus primum evolutis, 5. ſequentibus 4—3.	Germina floribus primum evolutis, 3. ſequentibus 2.

Folia

Folia laciniis linearibus, parum collabentibus, cuneiformibus inciſis acutis: ſuperficie nitida, duplo fere crebriora, quam in Napello.

Folia laciniis latioribus, quam in Cammaro, divaricatis, inciſis, acutis, ſemper expanſis, rigidis: ſuperficie glabra, non vero nitida.

Vaihinga Onoldum miſſa d. 13. Iulii 1781.

SCHOLION.

Confer circa hanc obſervationem Cel. KOELLE, Med. D. et Medici militaris Baruthini, *Spicilegium obſervationum de Aconito p. 36. Erlangae.* 1787.

OBSERVATIO III.

Dn. D. IOANNIS FRIDERICI CONSBRUCH-

De

Anevriſmate Cordis et Aortae.

Praefectus quidam militum, 49. annorum, pallidus, habitusque corporis imbecillioris, et in iram pronus, cum equo inſidens militibus, exercitia ſua facientibus, intenſa voce acclamaret, inſimul equum, ex improviſo ferociter exſilientem, promtiſſime maximo corporis niſu ſubigebat. Primo inde nil moleſtiae ſenſit, ſi pulſationem excipias, inter ſecundam tertiamque Coſtam veram dextri lateris conſpicuam. Scire autem convenit, noſtro, jam ante plures annos, aliquoties accidiſſe, ut una cum equo, quo vehebatur, in terram ſit prolapſus. Praeterea non licet hic omittere, eundem quam vehementiſſime ſternutare conſueſſe, quapropter Viro, debiliori ſtructura Thoracis, partiumque in eo contentarum, praedito, Cordis et magnae Arteriae aliqua di-

ſtenſio

ſtenſio ſenſim potuit enaſci. Ad noviſſima autem ut redeam, notare juvat, proxime inſequentibus diebus, in pulſante iſta Thoracis regione, cylindricum tumorem apparuiſſe, id quod aegrum ad auxilium quaerendum impulit. Secatur igitur vena, propinantur temperantia medicamina, commendantur diaeta parca, et calidae qualitatis expers, regimenque moderatum, ac anevriſmaticum tumorem, ab externa laeſione illibatum, conſervans. A fine Auguſti anni 1785. quo id mali aegro accidit, ad ultimum usque morbum, praeter Cordis et Anevryſmatici iſtius tumoris palpitationem, laſſitudinem tantum ſenſit, et aliquam ſub ſcalarum aſcenſione anxietatem. Autumno iterum Venaeſectio inſtituta fuit. Denique menſe Februarii anni 1786. aeger Catarrho afficiebatur, congruis remediis mitigato. At, poſt breves inducias, omnia in pejus ruebant, anxietatibus valde auctis, pulſu minimo, extremisque artubus nunc frigentibus, nunc incaleſcentibus. Die 15. Februarii leviori animi deliquio correptus eſt, poſtea pectoris anguſtiae usque adeo ingraveſcebant, ut aeger ſedendo ſpiritum trahere deberet. Denique mane diei 16. Februarii languidus pulſus intermittere coepit; noſter autem, cum potus, quem petiit, ipſi porrigeretur, inter ſpiritus luctamina, orisque convulſivas diſtorſiones, protinus moritur.

Haec fere ſunt, quae de morbo defuncti relata accepi. Sectioni cadaveris, die 17. Februarii inſtitutae, ipſe interfui; ſub ea ſequentia momenta obſervata ſunt:

Coſtae fere omnes, quemadmodum, remotis a magna parte Thoracis integumentis communibus, dilucide apparuit, ſolito longius a ſe invicem diſtabant, ipſae inſuper coſtae et interjectae carnes praeter naturam tenues erant. Inter ſecundam autem et tertiam coſtam veram dextri lateris ſtratum muſculare valde attenuatum apparuit, ad tactum molliſſimum, et in regione, propius a Sterno remota, tumidum. Porro et inter primam et ſecundam Coſtam veram, ejusdem lateris, ſtratum muſculorum conſpiciebatur juſto mollius, et pone mar-

marginem ſuperiorem coſtae ſecundae aliquantum turgeſcens. Immo et in ſiniſtro pectoris latere, nempe in primo et ſecundo intervallo verarum Coſtarum, exigua quaedam, eaque mollis intumeſcentia ſtrati muſcularis in conſpectum venit.

Sublato Sterno cum appendicibus Coſtarum cartilagineis, obveniebat *Cor inconſuetae magnitudinis*, tantum ſpatii ſibi vindicans, ut Pulmo ſiniſter ſurſum pulſus, leviorem iſtam prominentiam in ſiniſtro Thoracis latere efficeret. Verum et dexter Pulmo, tum a magno Corde, tum etiam ab *anevryſmatico Aortae* tumore multam vim perpeſſus eſt, neque tamen ullibi Parenchyma Pulmonum praeter naturam erat conſtitutum. Caeterum in utraque Pectoris cavea multum ſeri fluctuabat, maxime vero in dextra. Sublato nunc Pericardio, e quo magna ſeri copia profluebat, inconſueta Cordis moles melius conſpici poterat. Baſis ejus 5. circiter pollices lata erat, longitudo a baſi usque ad apicem 7. pollices, et dimidium, aequabat. Cavitates Cordis univerſae ipſius moli reſpondebant, carnes tamen Viſceris ſolito tenuiores inveniebantur, et Zona valvuloſa ſiniſtri Ventriculi, cartilagineis lamellis obſita, apparebat.

Venae pulmonales, Venae Cavae, dextrumque Cordis atrium nigricante cruore turgebant. Vena cava ſuperior cum ſacco Anevryſmatico Aortae firmiter concreta erat, Venae ſubclaviae et jugulares amplae, quin iſta ſimul varicoſis nodis diſtinctae, conſpiciebantur.

Aortae pars, quae intra Thoracis cavum continetur, (namque ultra non licuit nobis magnae arteriae decurſum proſequi,) paulo amplior erat ſolito. Ab hac autem exigua dilatatione *arcum Aortae* excipias, utpote cujus inconſueta moles omnium oculos in ſe convertit. Nimirum is valde ampliatus, dextrorſum et retrorſum aſcendens, viamque ultra Arteriae pulmonalis dextrum marginem emenſus, in ſaccum caecum degeneravit, cujus in dextro limbo propriae Aortae tunicae diſruptae, intus circum circa in tumidulum

annu-

annulum prominuere, ut itaque hic loci ſolum ſuperinjectum arcui Pericardium irruentis ſanguinis impetum ſuſtineret. Atque hoc ipſum Anevryſma in defuncto, cum viveret, deſcriptum iſtum in dextro Thoracis latere tumorem fecit, qui vero poſt mortem permultum ſubſidebat.

Ambitus anevryſmatici arcus Aortae, omiſſo ſacco iſto caeco, erat ſeptem pollicum, et dimidii, eo autem ſimul in computum ſumto, undecim pollices aequabat. Vaſa arterioſa, hoc ex arcu oriunda, conſuetum ſuum diametrum retinuerunt. Arcus vero anevryſmaticus, et varios receſſus formavit, et multos ſanguinis grumos, Polypumque exiguum, pinguedinis fruſtulo conſimilem, intra cavitates ſuas recondidit.

Diſciſſa Arteria magna, interiorem ſuperficiem exhibebat minime laevem, ſed aſperam, et paſſim plicis interruptam.

Epicriſis.

In noſtro aegro, ad Cordis atque Aortae Anevryſma producendum, complures cauſas conſpiraſſe, ex morbi hiſtoria patet. Cor ſcilicet a primordiis infirmum, et a tot ac tam gravibus perpeſſis injuriis magis magisque labefactatum, propter obverſa ſaepe ſanguinis per pulmones et Aortam itineri impedimenta, ſenſim ſenſimque ampliatum eſſe credas. Cumprimum autem Valvulae mitrales aeque, ac tricuspidales, propter nimis adauctas Cordis cavitates, muneri ſuo haud amplius ſufficerent, non poterant non, in alternantibus iſtis per Cordis auriculas ventriculosque ſanguinis diſpenſationibus, magni errores enaſci.

Verum priusquam eo ventum fuit, annulum valvuloſum ſiniſtri Cordis, cartilagineis lamellis jam obſitum fuiſſe, jure ſuſpiceris. Igitur jam tum forſan rigidae valvulae mitrales, neque ſub Diaſtole Cordis, ad Ventriculi ſiniſtri parietes ſatis

ſe reclinare potuerunt, ut ſanguini ex ſiniſtro atrio in hunc Ventriculum egreſſum omni ex parte liberum permitterent, neque, ob eandem rigiditatem, ſub Syſtole promte et ſufficienter ſe explicare, ut mox omnem reditum ſanguinis e Ventriculo in Auriculam intercluderent.

Quod vero Anevryſmaticum Aortae arcum ſpectat, obſervatorum fugit neminem, in eo, ejusque confiniis, frequenter Aortae Anevryſmata enaſci. Nempe is ipſe arcus, prope a Corde validiſſime impulſo ſanguini objectus, hujus curſum ſubito, et violenter, inflectit, quapropter, ſi magna Arteria, vel ab ortu infirma ſit, vel forſan a principio quodam eroſivo ſanguinis extenuata, cordisque impetus frequentius, praeter naturam, intendantur, in proclivi eſt intelligere, Arcum magnae Arteriae ejusque confinia facile tum in Anevryſma diduci poſſe; ſed parietes ſic dilatatae arteriae, a ſanguinis mole et pondere continue auctis, concurrente haud raro rodente ſanguinis acrimonia, dilacerantur denique atque hiant. Certe et noſtro in caſu, in notata ſacci anevryſmatici regione, propriae Aortae tunicae diſruptae obvenerunt, ut ibi arteria a funeſta ruptura ſolo ſuperinjecto Pericardio defenderetur.

Quodſi ſanguis ſpiſſus ſit, et ad lentas concretiones aptus, perſpectu facile eſt, qua ratione tum, ob retardatum in dilatato tramite motum, et internae ſuperficiei inaequalitatem, denſi ſanguinis grumi, in Anevryſmatis penetralibus colligi, polypique enaſci, queant.

Quaeſtio ſupereſt: Cur ſcilicet in tanta Aortae dilatatione, Diameter Arteriae pulmonalis immutabilis permanſerit? Quamvis quidem, a debiliori impulſu minus robuſti Ventriculi anterioris in Arteriam pulmonalem, ipſe *illuſtris* SENAC a) probationem petierit, cur hac in arteria multo rarius Anevryſma oriatur; meminiſſe tamen oportet, modicam

a) SENACS *practiſche Abhandlung von den Krankheiten des Herzens.* S. 19. 20.

eam tantum eſſe ejus firmitatem, eamque multum, ſi robur ſpectes, cedere Aortae, ut ideo non magis reſiſtere videatur viribus debilioris Ventriculi dextri, quam Aorta fortioris ſiniſtri. Igitur potius perpendi debet, aliam directionem eſſe trunci Arteriae pulmonalis, quam quidem, mox in arcum incurvatae, Aortae ſuperioris; nempe non ita objicientem ſe curſui adacti ſanguinis, neque hunc omnem, neque tam ſubito, tamque violenter inflectentem.

Denique mortem, tanta inter diſcrimina, inſecutam fuiſſe, non eſt, quod mireris, quum ſane non poſſet fieri, ut tandem Cordis Pulmonumque functiones ſupprimerentur, cum ſcilicet magnis iſtis, extenuati Cordis et Arcus Aortae, dilatationibus, ac Pulmonum in anguſtum ſpatium compulſioni, catarrhalis ad Pulmones defluxio, quin et copioſi ſeri in Thoracis atque Pericardii cavo congeſtiones accederent.

OBSERVATIO IV.

Dn. D. IOANNIS FRIDERICI CONSBRUCH.

De

Triſmo tonico, ſupervenientibus variolis ſpuriis ſublato.

Infans quinque trimeſtrium, per novem ſeptimanas alvi fluxu affligebatur, ſub quo tamen ſanitas parum detrimenti cepit, ſed parentes pertaeſi diuturni morbi, variis domeſticis remediis eum tollere ſtudebant. Ceſſit quidem Diarrhoea intempeſtivo auxilio, eam tamen multo gravius malum, *Tetanus* nempe *maxillae inferioris* inſequebatur. Tum quidem maxilla inferior valide appreſſa ſuperiori, vix ita diduci poterat a ſolicita matre, ut infanti lac, cum aqua mixtum, ingeri poſſet. Praeterea in puella frequenter volatilis aeſtus obſervabatur. Qualiacunque a me adhibita remedia nihil auxilii praeſtabant. At die 22. Ianuarii anni 1779. *variolae ſpuriae* apparuerunt, quo facto, aegrotula die 24. Ianuarii a

diuturno morbo, (utpote qui jam die 29. Decembris anni praecedentis initia ſumſit,) vindicata, commode et cum magna aviditate cibum potumque deglutire potuit. Rediit dein et Diarrhoea, eaque, cum bonis aegrotae rebus, per aliquot ſeptimanas continuans, ſua ſponte demum deſiit.

OBSERVATIO V.

Dn. D. IOANNIS FRIDERICI CONSBRUCH.

De

Triſmo tonico, Haemorrhoidali fluxu diſcuſſo.

Iuvenis quidam, viginti circiter annorum, die 7. Iunii anni 1782. veſperi leves febriles motus experiebatur, cum laſſitudine, capitis dolore, appetitus defectu, et aliqua maxillae inferioris rigiditate.

Veſperi demum diei 8. Iunii auxilium Medici petiit, gravi febrili horrore, laſſitudine, alvi obſtructione, capitis dolore, lingua mucoſa, et appetitus defectu, divexatus. Praeterea maxillae inferioris Tetano afficiebatur, cum ſpaſtica Oeſophagi tenſione, quapropter liquida, aegerrime intra os recepta, haud absque moleſtia potuit deglutire. Febrilem illum horrorem, calor, et denique ſudor, inſequebantur.

Die 9. Iunii Oeſophagi ſpaſmus, ſub ſtrenuo uſu remediorum alvum laxantium, deſiit. Veſperi febrilis exacerbatio redibat, atque tum, ſub horrore febrili, maxilla infeferior adeo valide ſuperiori apprimebatur, ut dentes inde dolerent. Febrilis paroxyſmus per ſex circiter horas perſeveravit. Experientiſſimus Medicus, isque amicus meus, cujus curae aeger demandatus fuit, rigidae maxillae linimentum, ex oleo chamomillae cocto, oleo deſtillato Cajeput,

put, Camphora et Opio infricari, atque dein Cataplaſma emolliens ſuperdari iuſſit.

Die 10. Iunii et Febre, et Triſmo, jam multum mitigatis, dolores in utraque lumbari regione ſe manifeſtarunt.

Die 11. Iunii febris nulla obſervata, *Triſmus* mitis, lumbares dolores continui.

Die 12. Iunii evidentes febriles motus, lumbares dolores aucti, maxillae ſpaſmus in dies imminutus.

Die 13. Iunii nulla febris, ſpaſtici dolores circa anum et in oſſis ſaeri regione; hisque ii pone anum intenſiores.

Die 14. Iunii haud parcus ſanguinis *haemorrhoidalis fluxus.* Dolores ad ani, oſſis ſacri et lumborum ſedem leviores, maxillae ſpaſmus evanuit.

Die 15. Iunii dolores pone anum aucti.

Die 16. et 17. Iunii iidem dolores perpetui, quin veſperi increſcentes, ſub uſu tamen laxantis ſalini remedii mitiores redditi.

Die vero 18. Iunii per *novum haemorrhoidalem fluxum* penitus ſublati.

Remedia, per decurſum hujus morbi adhibita, fuerunt potiſſimum temperantia, alvum laxantia et antiſpaſmodica. Scire etiam convenit, aegrum nunquam antea haemorrhoidali fluxu laboraſſe.

Onoldum miſſa d. 1. Auguſti
1782.

OBSER-

OBSERVATIO VI.

Dn. D. FRANCISCI ZANETTI.

De

Taenia, diri morbi cauſſa, felici cum ſucceſſu, expulſa.

Singularem caſum de *Taenia ſecunda*, ſeu *Cucurbitina*, *Plateri* expulſa, ope Arcani *Herrenſchwandiani*, olim incogniti, poſtea opera Dn. D. IOANNIS CASPARI DE RUEFF, Academiae Imperialis N. C. Confratris clariſſimi, vindicati, et ab eodem, pro ſua humanitate, in *tomo 6. nov. Act. Phyſicor. ejusd. Academ. obſ. V*, ad bonum Societatis humanae, ſuaeque Reipublicae utilitatem, publici juris facti, hic ſilentio praeterire non poſſum, a tali deſiderio inductus, ut hujus famoſi remedii compoſitio, virtus, et efficacia, etiam ab Ill. Dn. L. B. GERARDO SWIETENIO, in ſuis ſcriptis *de morbis Infantum*, magnopere commendata in deturbandis e corpore Taeniis, magis magisque eluceat, et innoteſcat; ſicque plures alii, pari morbo aegrotantes, pari curentur eventu.

Iuvenis viginti annorum, humorali temperamento praeditus, ſtatura quidem proceriori, quam quae per tempus expectanda fuerat, facie ſubfuſci coloris ſuffuſa, corporisque habitu nonnihil laxo, et ſubpingui. Cum vitam, a morbo fere immunem, ad pubertatem usque tranſegiſſet, ulterius pravis eduliis, cibisque farinoſis deditus, paucis abhinc annis valetudinarium paulatim ſe reddidit, ita, ut et ſibi, et ipſis parentibus, ſummo eſſe taedio. Impatiens ad me venit, ſingulas, quas patitur per intervalla, exponit moleſtias, quae ſunt: eructationes acro-dulces, nauſea, quandoque vomitus materiarum viridium, febris erratica, cum multa ſputatione, ventris inflatio, atque durities, dolores inteſtinorum vagi, ac interpolati, modo cum diarrhoea, modo cum pertinaci alvi ſtipticitate, fames ad cibos inſatiabilis,

urinae

urinae turbidae, crudae, albicantis, depoſitio cum ſedimento, morſus abdominis, corporis totius univerſalis flacciditas. Demum iam tertio, ex improviſo, et ſine cauſa manifeſta, et ſignis, alios morbos comitantibus, in ſubitum vitae diſcrimen incidit, et cadit veluti apoplecticus, cum extremitatibus frigidis, pulſu exiliſſimo, ſingultu, aphonia, contorſionibus. Ex hac relatione, omnia haec pathemata a vermibus originem probabiliter ducere, autumo, ſciens, quod lumbrici, in inteſtinis haerentes, quam ſaeva humano corpori poſſint inducere mala; nullum eſt enim adeo peregrinum ſymptoma, quod a vermibus interdum non oriatur, uti quidem teſtantur Practicorum obſervata, BOERH. de *virib. medic. cap.* VIII. *de anthelmint.* Qua de re, huic indicationi unice proſpiciens, anthelminthicum purgans, ex *mercurio dulci*, *ſemine ſantonici*, et *ſcammonio* ſulphurato paratum, die ſequenti exhibendum mane, atque etiam poſtridie reiterandum, praeſcribo. Sumpto itaque, ut dictum eſt, utroque medicamento, nonnullas habuit ſedes, una cum *lumbricis*, *cucurbitae* ſemen aemulantibus, junctas, aſt pauco cum ſymptomatum levamine. Etenim, poſt dies non multos, novas in abdomine moleſtias interpolate ſentit Patiens, non ſibi alias conſuetas, ſcilicet motum quendam quaſi vermis, per inteſtina oberrantis, ſive perreptantis, cum ſuffocatione; ideoque me enixe rogat, ſaluti ſuae denuo conſulere, ac providere. Hoc audito, de *latente Taenia* mihi in mentem incidit ſuſpicio; quapropter, ſicuti paucum tranſegerat tempus ex eo, quod obſervationem *Rueffianam* de Taenia perlegerim, ita, *arcani Herrenſchwandiani* non immemor, cum hoc periculum facere opportune decerno. Pridie igitur, antequam exhibeatur ſpecificum, imperato Patienti, iuxta praeſcriptum, toto die ſcrupuloſo jejunio, praeter tenuiſſima juscula, cum pauca quantitate cremoris hordei mixta, nil aliud concedendo; ſexta hora veſpertina datis tribus unciis olei amygdalarum dulcium, ſine igne recenter extracti, et

 poſt

poſt tres horas drachma una ſalis abſynthii, pro una tantum vice, cum potu Thee, ſequenti mane hora ſexta, prima doſis ſumpta eſt de pulvere arcano, ex ſalis abſynthii ſcrupulo dimidio, et *gummi guttae* granis quinque compoſito, ſorbillando poſtea juſculum, atque doſis altera ſecunda eſt data hora nona. Ex duabus hiſce doſibus cum nihil notatu dignum ſuccederet; praeter inquietudinem non levem, et murmur in ventre, hinc, facto tertii pulveris tentamine hora duodecima, brevi tempore alvus ſubducta eſt, paulo poſt *vermis latus, in globum convolutus*, adhuc vivus, plurium ulnarum longus, annulatus, per ſedem prodiit, qui, cum diſtraheretur, juxta ejus articulos ſeparabatur a ſe mutuo, et ſinguli articuli *Vermem cucurbitinum* referebant; quod ſuo etiam tempore vidit Clariſſimus Andry (*Generat. des vers* pag. 219.). Interim Patiens, mutato victus regimine, ſenſim priſtinae ſanitati reſtitutus eſt.

Palantia Onoldum miſſ. d. 15. Mart.
1784.

VI.

Dn. D. GUILIELMI GODOFREDI PLOUCQUET

OBSERVATIONUM MEDICARUM PENTAS.

I. Hernia interna.

Studioſus quidam equo vehitur, ſentit autem, equum male habere, ſociosque aegre ſequi. In caupona quoque avenam reſpuit, ſaepius procumbit, et quandoque cum violentia decidit, reliquaque ſigna gaſtrodyniae, vulgo *Darmgicht*, edit. Nihilominus autem iterum conſcenditur, tandemque domum fertur plane aegrotus. Dominus equi cum fabro

ferrario,

ferrario, utpote qui omnes hippiatros ſe gerunt, multifaria cum miſero equo agunt: Vidi inter alia, Mulomedicaſtrum iſtum ſpiritum vini lumbis equi infundentem, et flamma accendentem, qua operatione animal dirum in modum vexabatur, ut ſbſpiria alta ederet; quippe ileum hoc modo tollere ſatagunt bruti iſti homines. Denique altero die moritur equus.

Sectioni interfui: Inteſtina, cum ex diſſecto abdomine protraherentur, diaphragmati quaſi affixa pars eorum videbatur. Accuratius rem examinantes, reperimus diaphragma duobus locis, prope centrum tendineum, pertuſum, rima vel foramine altero majori, altero minori: Per utrumque, potiſſimum per majus, inteſtini coli portiones, quarum altera ulnam ſuperabat, in cavum thoracis penetraverant, et ſigna haud obſcura gangraenae prae ſe ferebant. Itaque equus hic *ileo*, *ex hernia incarcerata interna*, demortuus eſt.

Cauſſam iſtorum foraminum, vel potius fiſſurarum, quibus fibrae muſculares diaphragmatis a ſe invicem diſcedebant, determinare, difficile erit. Probabile eſt, equum, alia ex cauſſa, colicis doloribus prehenſum, violento decubitu, vel potius lapſu, inteſtina expanſa tam valide ad diaphragma alliſiſſe, ut fiſſurae iſtae inde orirentur.

Caſum aliquo modo analogum reperimus in Cel. PLENK *Sammlung von Beobachtungen über einige Gegenſtaende der Wundarzneykunſt I. Th. nro. V.* ubi vulnus, pollicem longum, diaphragma hominis penetraverat, per quod portio coli in cavum thoracis irrepſerat, et in gangraenam abierat.

II. Vulnus thoracis feliciter ſanatum.

Iuvenis, cum altero dimicans, gladio triquetro ita transfoditur, ut inſtrumentum laedens infra papillam dextram, inter coſtas veras et ſpurias, thoracem intraret, ac

 per

per dorſum, inter ultimas coſtas ſpurias ejusdem lateris, iterum exiret. Utrumque vulnus externum parcum cruorem fundebat: vulneratus, aegre licet, equo domum redire poterat, milliare dimidium a loco, in quo certatum erat, diſtantem.

Ego poſt horam circiter advocatus, invenio aegrum vehementi dyſpnoea, tuſſi, et colicis doloribus laborantem; vulnus utrumque mox dilatandum curo, quo facto, ſanguinis copia, attamen mediocris, erupit, et dyſpnoea ſubito imminuta eſt. Loca ſimul cataplasmatibus mere emollientibus fovebantur, vena ſecabatur, et reliqua methodus antiphlogiſtica adhibebatur. Utebar inde a ſecundo die ſolo decocto ex Radice althaeae, liquiritiae, cortice Peruviano, cremore tartari, herba cum floribus arnicae, et ſemine foeniculi, quorum ſingulorum duas drachmas cum ſex libris aquae decoqui, eiusque tres quatuorve libras quotidie hauriri, iuſſi. Quibus effectum, ut aeger per unam ſaltem noctem, tertiam a vulneratione, febre vulneraria vexaretur, per reliquum tempus, usque ad plenam reſtitutionem, quae poſt ſex hebdomades eveniebat, ejus plane immunis.

An diaphragma et hepar perfoſſa fuerint, prouti ex collatione utriusque vulneris, anterioris et poſterioris, fere concludi debuiſſet, dubium tamen eſt: Suſpicor potius, hominem eo momento, quo ictum, prono fere corpore, (*im Ausfall*) capiebat, profundiſſime inſpiraſſe, ideoque diaphragma felici motu adeo depreſſiſſe, ut et ipſum, et hepar, gladium effugerent.

Videmus exinde, quantum emollitio, tam interna, quam externa, valeat ad reprimendos motus iſtos nocivos, ſanationi ſeſe opponentes, et ad arcendam inflammationem.

III.

III. Spaſticae contractiones poſt mortem.

KORNMANNUS et GARMANNUS, qui de *miraculis mortuorum* ſcripſerunt, ſpaſmorum, vel contractionum ſpaſmodicarum, poſt mortem ſubſiſtentium, mentionem nullam fecerunt. Recentiores anatomici autem eas, praeſertim inteſtinorum, frequentiores et obſervarunt, et literis mandarunt. Veſicas poſt mortem contractas, vidit quoque *Morgagni*, quales obſervationes proſtant tam in *Eph. N. C. Cent. V.*, quam in aureo Libro *de ſedibus et cauſſis morborum* Ep. XLII. n. 20. 28. et XLIII. n. 24. Verum et in his ſermo non eſt de ſubitanea, de ſpaſtica contractione, ſed potius de lenta, ſacceſtiva anguſtatione et degeneratione membranacei hujus viſceris. Sed ad rem ipſam!

Infans anniculus, gravi dentitione laborans, convulſionibus prehenditur, quae, per ſex circiter horas eum divexantes, necem inferunt.

Diſſecui puerum, et reperi inteſtina paſſim valde contracta, ut vix ſtilum minorem per loca iſta trajicere potuiſſes. Attentionem meam autem potiſſimum figebat veſica urinaria, adeo contracta, ut globum ſolidum, nucis juglandis magnitudine, nulla plane cavitate amplius praeditum, exhiberet.

Alius infans, ſimili morte decedens, ſimilia plane phaenomena, tam in inteſtinis, quam in veſica, exhibuit.

Haec autem vitia ante non adfuiſſe, ſed tantummodo, ceu effectus ſpasmorum, etiam poſt mortem reſtitiſſe, docent ſaltem in priori infante obſervata: Sanitas ante morbum illibata, excretiones omnes omnino regulares, et praecipue id, quod infans, ſemihoram ante mortem, circiter libram dimidiam urinae ſimul reddiderit, quae copia non potuit non in ſpatio ſatis amplo contineri, adeoque, ſine formidine oppoſiti, aſſerere poſſumus, contractionem iſtam veſicae ultimis demum vitae momentis, forte in ipſo articulo mortis, contigiſſe.

Quod inteſtina attinet, haec eandem plane ſortem habuiſſe, ſimilia argumenta evincunt, cum infans pariter brevi ante mortem medicamenta, aliquot abhinc horis deglutita, per alvum reddiderit, adeoque pervia et illa fuerunt, donec ſpaſmus ea tam vehementer conſtringeret.

An ergo vis vitalis etiam poſt mortem veram, non apparentem, perdurat? An potius, quod magis probabile eſt, etiam ad relaxandos ſpaſmos vis vitalis concurrit? Ita videmus quandoque ſubmerſorum manus, ligna vel alia ſtrictiſſime adhuc complectentes. An et rigor emortualis ex parte huc trahendus eſt?

IV. Apoplexiae ſanguineae.

Noſologi, minus accurati, alias apoplexias omnes aut ad ſanguineas, aut ad feroſas retulere, adeoque reliquas ſpecies, omnino momentoſas, neglexere: Recentiores autem attentionem ſuam in noviter detectas, vel potius magis animadverſas, fere omnem fixerunt, et antiquiores illas inter minus frequentes numeraverunt. Obvenire autem ſatis frequenter apoplexiam ſanguineam, numeroſiores forte obſervationes docere poſſent, ſi omnes, apoplexia demortuos, ſecandi copia daretur: Sequentes duae eminentiorum quaſi apoplexiarum ſanguinearum exempla ſiſtunt:

Hiſtoria prima.

Foemina mediae aetatis, plurium liberorum mater, ſaepius cum cephalaea conflictata, currente menſe octavo graviditatis, vagis doloribus, et preſſionibus, thoracem occupantibus, corripitur, per aliquot dies modo remiſſius, modo intenſius accedentibus. Sub ſpaſmodicis hiſce laboribus tandem praematuro partu foetum enititur. Altero die, ſub veſperam, de acutiſſimis doloribus capitis et cervicis conqueritur, ceſſantibus jam plenarie moleſtiis, pectus antea gravantibus;

tibus;

tibus; bene tamen animo conſtans, metum apoplexiae imminentis prodebat, cui arcendae quoque remedia adhibebantur: Verum, paucas poſt horas, poſtquam melius ſe habere dixiſſet, et obdormiviſſet, ſtertorem inſolitum per tempus aliquod edit, quo ceſſante, mortua deprehenditur.

Inſtituta ſectione capitis, ſequentia apparuerunt: Muſculus temporalis ſiniſter vera ſugillatione affectus. Cum omnis ſcena in molli lecto luderetur, ſugillatio violentiae nulli tribui poterat. Phaenomenon hoc eo magis momentoſum eſt, quod hodienum Medici forenſes, ſimulac ſugillationem cernunt, mox de illata violentia clamant; uidemus ergo, *poſſe ſugillationes oriri* etiam a *cauſſis mere internis*, ex congeſtionibus, et ſpaſmis, qui etiam haud raro, ephialte oppreſſis, ſugillationes plures evidentes, pectori, aliisque corporis partibus imprimunt.

Detecta dura matre, omnia vaſa turgida, et cruor ſuffuſus, atro colore translucens, in conſpectum veniunt. Ablata dura meninge, effuſus ſanguis, ſuperficiem cerebri ſiniſtram tegens, ſe offert. Aperti autem ventriculi *omnes* cruore coagulato adeo referti erant, ut copia ejus quatuor certe uncias aequaret; quid quod idem diluvium cruentum usque in cavum ſpinae ſe extendebat, ut in homine, clava trucidato, plus cruoris, extra vaſa fuſi, certe non inveniſſes. Tanta copia per anaſtomoſin vaſorum provenire non poterat, nec ex uno vaſe rupto, ſed plures ſimul ſine dubio arteriolae, diverſis in locis, a ſanguine nimis vehementer irruente, disploſas fuiſſe, probabile eſt.

Media in medulla cerebri, prope thalamum nervi optici ſiniſtrum, partem ejus fere pollicis cubici magnitudine flavam, friabilem, corruptam, foetoris tamen expertem, deprehendimus: Hic forte focus erat, tam diuturnae cephalaeae, quam ſubſecutae apoplexiae.

Altera

Altera Hiſtoria.

Vir mediae aetatis, admodum plethoricus, et per plures ſaepe menſes quotidie aliquot uncias ſanguinis per epiſtaxin deperdens, ex qua iactura cephalaeae familiaris levamen capiebat, ſubito ante meridiem apoplexia corripitur, ita tamen, ut ſopore, quaſi comate vigili, affectus, ſubinde ad quaeſtiones, modo apte, modo ſubdeliriofe, reſponderet. Veſperi ejus diei, poſt debita adhibita remedia, iterum ad ſe redit, compos mentis, linguae, artuum omnium, ut ne veſtigium quidem paralyſeos obſervaſſes, niſi forte alterum angulum oris paullum pendulum. Illa ipſa autem nocte res in pejus vertitur, febris vehemens oritur, ſtertor et reliqua ſigna apoplexiae increſcunt, et ſic altero die obit. Sectio capitis exhibebat ſequentia phaenomena:

Sub integumentis communibus ad occiput *ſugillatio magna*, licet aeger nec ceciderit, nec alio modo caput alliſerit: Quin ipſum os, eo in loco, rubicundum et quaſi ſugillatum erat. Vaſa cerebri turgida, ventriculus tertius et quartus ſanguine pleni. Cruor quoque multus ad tentorium cerebelli effuſus erat. Sinus lateralis dexter *ruptus* deprehendebatur, et, ſub ipſa ſectione, per foramen iſtud multum adhuc ſanguinis protrudebatur.

Idem vir hernia ſcrotali laborabat adeo enormi, ut majorem nunquam viderim. Inteſtinorum certe tertia pars cum meſenterio in hernia latebat, et annulus abdominalis adeo amplus erat, ut tres quatuorve digitos, ſine omni impedimento, admitteret.

Renes quoque in unum corpus confluxerant, dum margines eorum inferiores ſeſe non tangerent modo, ſed et vere coaliti eſſent.

V. Cy-

V. Cyclops.

Hujus, quam communicaturus ſum, obſervationis compotem me fecit meritiſſimus liberae Civitatis Imperii Eſslingenſis Phyſicus, J. W. GÜNTHERUS, mihique permiſit, ut eam publici juris facerem.

Menſe Decembri Anni 1784. mulier quaedam, prope Eſslingen degens, plures antea bene conformatos infantes enixa, peperit filiam vivam, poſt ſemihoram autem iterum obientem, cujus monſtroſitas ſingularis haec erat:

Naſus deerat, loco ejus autem, quo *radix naſi eſſe ſolet, excreſcentia propendebat* mollis, *figuram mentulae virilis* exacte referens, quin et *praeputii ſpecies* aderat cum perforatione. (Similia fere legimus apud *Licetum*, *Borellum*, et in ipſis *Eph. N. C. D.* I. a. III. obſ. 42.) Quod autem magis adhuc admirationem excitabat, id fuit, quod frons integra *ne veſtigium quidem orbitae* monſtraret, *nec ſupercilia*, *nec palpebras*, *nec oculos*, ſed, cum excreſcentia iſta *attolleretur* et *amoveretur*, apparebat eo in loco, quo naſus collocari debuiſſet, *oculus unus* magnus, in orbitae ſpecie reconditus. Bulbus, quantum ſimplex inſpectio docere poterat, *una communi adnata*, et *ſclerotica* (*albuginea*) praeditus erat, verum *duas diſtinctas corneas*, ſub quarum ſingulis *peculiaris iris*, et *pupilla*, apparebat, habuit.

Figurae adjectae TAB. I. haec omnia melius illuſtrabunt. — Scilicet Fig. I. monſtrat integrum habitum faciei monſtroſae, ita, ut bini oculi, in una albuginea, nunc unum ſaltem, propter naſum monſtroſum, propendentem, lit. a. repraeſentent. Hi vero oculi duo, ſeu ſaltem corneae, in una albuginea, Fig. II. ſiſtuatur, prouti apparent, lit. b. ſi ſupponitur, naſum admodum, et in penis ſpeciem fere, deformatum, propendentem, nunc eſſe elevatum, ſeu remotum.

Reliqua naturali modo conſtituta erant, praeter umbilicum, cui magna hydatis adhaerebat.

Accuratiorem inveſtigationem et ſectionem inſtituendi, vel oculum, caputve, aſſervândi venia non dabatur. Quapropter neque de modo, neque de cauſſa, hujus monſtroſae conformationis, quidquam addere queo.

Tubinga transmiſſ. Menſ. Jun. 1787.

SCHOLION.

Simili fere deformatione notatus infans in Theatro Anatomico *Erlangenſi* aſſervatur, cujus deſcriptionem *illuſtr.* D. D. Isenflamm, Med. et *Anatom.* P. P. *ordin.* benevole ſuppeditavit, quamque hic ſtatim ſubjungimus: Eſt ſcilicet is foetus perfectus et maturus, ſolitae magnitudinis, ſexus pariter ſequioris, caeterum corpore bene conformato. In *utraque* tamen *manu* et *utroque pede*, diſtinctiſſime *ſeni digiti* apparent, ut etiam ſinguli proprio ſuo metacarpo et metatarſo inſideant, praeter digitum minimum manus ſiniſtrae, qui duabus phalangis, inter primam et ſecundam phalangam digiti vicini, emergit.

Cyclopis tamen nomine noſter infans inſigniri non poteſt. Adſunt enim, ſolito loco, *duo ſupercilia*, *binae orbitae*, *bini oculi*, *palpebris arcte clauſis*, tecti. Verum in ipſo ſuperciliorum interſtitio, ubi radix naſi eſſe ſolet, emergit *excreſcentia dependens*, et forma, et magnitudine, exacte *mentulam puerilem* mentiens, integumentis communibus tecta, quae etiam in extremitate inferiori *praeputium aliquantum patulum* formant. In regione faciei, inter glabellam ad philtrum usque, ne minimum quaſi veſtigium naſi apparet, ut potius ipſa haec regio inter utramque maxillam ſuperiorem leviſſime excavata videatur, cui ſulco ipſa excreſcentia ſic leniter incumbit, ut inter eam et ſulcum anguſtus hiatus appareat, e quo illa aliquantum elevari, et quaſi erigi poſſit.

Cum

Cum nulla adſit ſuſpicio ullius vitii in thorace, aut abdomine, reperiundi, totum infantis corpus aſſervare, quam id diſſectione mutilare, maluimus.

H. F. D.

OBSERVATIO VIII.

Dn. D. IOANNIS FRIDERICI GMELIN.

De

Acidi efficacia nitroſi in ſericum.

In medio experimentorum decurſu, quae eo fine ſuſceperam, ut egregios, tum virides, tum caeruleos, colores, quos ſuis, ut appellant, menſtruis, conciliat cuprum, figerem, atque tingendis telis laneis, goſſypinis, linteis, ipſis ſericeis adaptarem, incidi in phaenomenon, quod irritos hactenus meos labores largiter compenſaturum eſſe, ſpem in me excitabat; erat autem illud, quod ſericum, aliquantisper cupro, per nitri acidum diſſoluto, immerſum, eximio ſulphuris colore imbutum prodiret, quem etiam ſiccatum conſtanter ſervavit.

Ut viam hanc, caſu quaſi fortuito mihi monſtratam, ulterius proſequerer, ſegmentum telae ſericeae purae ac candidae in vitro poſui, cupro iſto diſſoluto repleto, atque horae quadrante elapſo extraxi, et aliquoties per mediam aquam frigidam puram trajectam ſiccavi; erat nitido ſtraminis aut ſulphuris colore tincta.

Saepius iteravi hoc tentamen, ſemper eodem cum ſucceſſu, modo iſta cupri ſolutio aqua non nimis temperata, calor, cui vitrum expoſui, non nimius eſſet, et ſericum ipſum non nimis diu in iſto latice relinqueretur; ſi priorem inciderem in errorem, tinctura ſerici pallebat, aliquoties vix con-

ſpicua, ſi poſteriores committerem, ſericum, quod cohaeſionis firmitatem ſpectat, multum detrimenti patiebatur: Calor, quem thermometrum a Fahrenheitio adornatum, 100° denotat, atque immerſio per horae quadrantem facta, ſi ſingula mea experimenta inter ſe conferam, fini meo mihi videbantur optime reſpondere, ita ut, quo magis in iſtis inſtituendis ad unam vel alteram partem ab iſta norma recederem, eo minus et color, et firmitas ſerici intincti votis meis ſeſe accommodarent.

Quum viderem, cuprum telis ſericeis longe alium impertiri colorem, quam quidem ſuis, ut audiunt, menſtruis, ſuſpicio in mentem venit, non ſoli forſan cupro, ejusque per aquam fortem factae diſſolutioni, competere eam virtutem, gaudere illa alias quoque, cum eodem acido factas, ſolutiones poſſe. Nimis longum foret, omnia illa experimenta, quae cum ferro, ſtanno, creta et magneſia alba, in acido nitri ſolutis, inſtitui, irrita recenſere; ſufficiat ea enarrare, quorum eventus nunc magis, nunc minus, meis votis reſpondit.

A cupro progreſſus ad zincum, hujus ſcobe aquam fortem ſaturavi; in hanc aquam fortem immerſi telae ſericeae candidae ſegmentum purum, et calore temperato conclavis, furno conſueto excalefacti, per quadrantem horae in illa reliqui; extractum, aqua frigida elotum ac ſiccatum eximio ſplendebat flavo colore, eodem circiter, quem flores narciſſi jonquillae prae ſe ferunt.

Quamvis cobalti calce ſaturata aqua fortis colorem pulchrum et conſtantem, cujus in tingendo ſerico aliqua mihi videbatur emergere utilitas, largita nunquam eſſet, exploravi tamen ejus cum aequali portione zinci, eodem latice diſſoluti, miſturam, atque eodem modo operando, eundem, quem in priori experimento, vidi eventum; color tamen in poſteriori experimento magis ſaturatus erat.

Noveram quidem ex periculis Celeberr. *Struvii*, in promtuario Bernenſi publici juris factis, ſaturatas etiam argenti,

ti, argenti vivi, atque auri ſolutiones, tingendo ſerico inſervire poſſe, ſed metuens, ne facilis, quae prioribus binis ſolutionibus accidit, ab aqua quacunque vulgari turbatio, et nimium poſterioris pretium vulgato ejus in re tinctoria uſui obſtarent, conſtantiores illas ac minus pretioſas ſolutiones potiores eſſe exiſtimavi.

Verum in hiſce experimentis non ſubſtiti; agitabat enim animum dubitatio, an ſolis metallis in acido ſolutis, haec, ſericum flavo colore imbuendi facultas competat: Conabar igitur idem, quo hactenus uſus fueram, acidum terra, quam ipſemet per puriſſimum ex cineribus clavellatis paratum lixivium ex alumine praecipitaveram, ſollicite elota et ſiccata ſaturare; ſaturato immerſi telam ſericeam, quae, quum enarrato jam ſaepius modo operarer, absque ulla ſplendoris ſui jactura, egregia jonquillae flavedine perfuſa prodiit.

Animadvertens igitur, eventum omnium horum experimentorum fere eundem, ſive cupro, ſive zinco, ſive zinco et cobalto, ſive ex alumine impetrata terra uterer, modo prius in aqua forti diſſolviſſem, ſponte ſua naſcebatur cogitatio, an non nitri acidum, in omnibus his experimentis evidenter efficax, ſola flavae iſtius tincturae cauſſa ſit: Accedit, quod multoties jam obſervaveram, plumas, caſu fortuito aqua forti humectatas, cuticulam aut ungues ea conſperſas ac contaminatas, in eo ipſo loco maculas aut tincturam flavam contraxiſſe, non delebilem.

Experientia penitus confirmavit iſtam ſuſpicionem; certe tela ſericea, modo jamjam deſcripto, meracae aquae forti immerſa, flavedine, quam vix aeque elegantem in prioribus experimentis obtinueram, tincta prodiit.

Brevi temporis ſpatio, poſtquam haec pericula feceram, novum iis accedere robur experimentis Clariſſ. de la *Follie*, in diario Cl. *Rozier* commemoratis, laetabundus vidi, verum Clariſſ. ille vir novam mihi monſtravit viam, qua ulterius proſequi mea experimenta poſſem; ille enim, quantum ego

 qui-

quidem novi, primus notavit, eandem telam ſericeam, ope aquae fortis flavo illo jonquillae colore conſpicuam, amoeniſſimum induere aurantium colorem, ſi poſtea in lixivio, ex cineribus clavellatis facto, ſubmergatur.

Segmenta ergo telae ſericeae, quae prius cupro, zinco, zinco et cobalti calce ſimul, atque aluminis terra in aqua forti diſſolutis, et aqua forti ipſa pura flavo illo colore tinxeram, in lixivio puro, limpido et forti, ex cineribus clavellatis parato, demerſi, et, vaſe furno mei conclavis, non nimium excalefacto, impoſito, per aliquot horas reliqui; exemta atque aliquoties per aquam frigidam tracta ſiccavi: Erant omnia et ſingula colore aurantio perfuſa.

Ut majorem tincturae flavae varietatem mihi compararem, tentavi, quid efficere poſſem, operando ratione, his Clariſſ. de la *Follie* praeceptis directe oppoſita; immiſi eapropter ſegmenta telae ſericeae primo per aliquot horas lixivio, quod calore furni in conclavi meo fovebam, exemi, et nequaquam elota ſiccavi; ſiccata ingeſſi in conclavi meo in vitra, quorum unum aqua forti meraca, alia ſolutionibus, ejus ope factis, repleta erant; horae quadrante elapſo produxi, ſtatim per aquam frigidam traxi et ſiccavi: Color vix magis ſaturatus mihi videbatur, quam quidem in illis experimentis, in quibus nullum penitus adhibueram lixivium; ſplendor tamen ſerici major erat, quam quidem in illis experimentis.

Non equidem me latet, celeberrimos in arte tinctoria viros, et ipſum, venerabile nomen! *Hellotum* abhorrere ab acidis mineralibus; et ipſi illi Clariſſ. Viri, quos in hoc experimentorum genere anteceſſores habeo, *Struve* et de la *Follie* dubitant, quin tinctoribus ſua commendent experimenta. Illuſtria haec exempla deterrere utique a meo me propoſito debebant: Sed quot quaeſo! praeſertim in arte tinctoria, egregiis inventis carere deberemus, ſi toties injuſſus priorum artificum metus argumenti vices ſuſtinere poſſet!

Repe-

Repetii mea experimenta, et aliqua nova adjeci, quae, novam mihi accenſura eſſe lucem, ſperaveram.

In omnibus his experimentis tela ſericea, tum memoratis antea ſolutionibus, tum aquae forti purae immerſa, elegantiſſima jonquillae flavedine imbuta prodiit, absque omni, aut ſplendoris nativi, aut firmitatis detrimento; color ipſe, neque in aqua frigida, neque in aëre, cui tamen per plures dies ſe inſequentes expoſita erat tela, neque ad ſolem, cujus radii per integros pariter dies eam feribant, aut expalleſcebat, aut evaneſcebat; ſive urina, ſive aceto conſperſa, ac denuo lente ſiccata, ne minimam quidem coloris alterationem monſtrabat. Segmenta telae, quae, antequam aquae forti, ſive purae, ſive metallis aut aluminis terra foetae ingeſſiſſem, lixivio fuerant humectatae, eodem pariter gaudebant egregio ac conſtanti colore; inficias tamen ire non poſſum, non omnia mea experimenta aeque ſucceſſiſſe, ſive coloris elegantiam, ſive ſerici firmitatem ſpectes. Candida errorum, quos commiſiſſe mihi videor, enarratio proficua eſſe poterit iis, qui eandem calcare viam ſibi propoſuere.

1. Tinctura valde pallida vix conſpicua emergit, ſi acidum vel purum, vel terra aut metallis impraegnatum, aqua nimis dilutum ſit; aqua fortis, cujus pollex cubicus ſex drachmas cum dimidia pondere aequabat, vix notabili ſericum inficiebat colore, ejusque adeo ſplendorem paulisper imminuebat, quamvis praeceptorum, quae in reliquis experimentis ſequebar, negligerem nullum: At aqua fortis, cujus pollex cubicus ſeptem ponderabat drachmas, praeſtantiſſimum ſerico adfricabat colorem: Cuprum in aqua forti diſſolutum, cujus ſpecificum pondus, comparatum cum pondere ſpecifico aquae diſtillatae, $= 1227\frac{3}{11}$: 1000 colorem tantummodo pallidum ſerico impertiebatur, qui pallidior adhuc prodiit, quum ſolutionem, aquae majori copia irrigatam, cupri ope argentum vivum ex aqua forti pracipitando acquiſitam, adhiberem: Evadebat tamen color in poſterioribus his tentaminibus paulo vivi-

vividior, quum ſericum et diutius in liquoribus iſtis relinquerem, et una cum his calori paulo vehementiori exponerem.

2. Serici firmitas magnam patiebatur noxam, ut penitus friabile aliquando evaderet, ſi

a) nitri acidum nimis forte applicabam, v. g. nitri, quem vocant, ſpiritum fumantem.

b) ſi telam ſericeam juſto diutius in illa relinquebam; e. g. ſi per integram noctem in illo macerabatur, adeo mollis evadebat, tantopere exuebat omnem tenacitatem, ut vel leviſſimo conatu disrumperetur, et poſt plenam exſiccationem adeo mutata, ut inter digitos conteri in pulverem poſſet: Et ne umbram quidem ſuae tenacitatis recuperavit, quum poſtea in lixivio ſubmergerem: Illa etiam tela, quae, antequam aquae forti injecta erat, lixivio perfuſa fuerat, ea negligentia penitus peribat.

c) ſi acidum illum liquorem, quo telam ſericeam tingere tentabam, nimio fovebam calore: Calor, aequalis calori aquae in atmoſphaera ebullientis, nunquam ſerico, absque detrimento firmitatis, elegantem conciliarat colorem.

d) praecipue autem, ſi telam ſericeam non, ut primum ex aqua forti, vel facta ejus ope ſolutione eximerem, per aquam frigidam trahendo abluebam: Haec etiam labes non poterat aut lixivio, aut aliis remediis ſanari; modo tamen tela humida adhuc eſſet ab acido, quo macerata fuerat, ſuae firmitatis partem exiguam adhuc recuperabat, ſi ſaepius aqua frigida lavabam, tanto quidem facilius, quanto brevius erat temporis ſpatium, a quo ex aqua forti producta erat.

Quod lixivium ſpectat, quo, in nonnullis meis experimentis, ad praeparandum ſericum utebar, ab omni parte ſerico longe minus intentat periculum; absque ulla noxa tela ſericea illi per plures dies committi poteſt, ipſo calore aeſtu ebullientis aquae vix inferiore; poteſt, ſi cum aqua forti compares, ſuo ſale eſſe magis onuſta, et non opus eſt, ut

ſeri-

ſericum eo humectatum aqua frigida eluatur: Effectus certe idem eſt, ſive, antequam ſicces, et aut aquae forti, aut cuicunque allegatae ejus ope factae ſolutioni, committas, aqua frigida laves, ſive lixivio adhuc madens ſicces, et poſtea in acidum laticem ingeras: Eventus etiam erat idem, ſi, ſperans, fore ut ea via ſaltem novas quasdam flavedinis variationes inveniam, loco lixivii, ex cineribus clavellatis modo conſueto parati, vel lixivio, quod adpellant cauſtico, vel lixivio ad modum a B. *Bergmanno* traditum ex caeruleo Berolinenſium pigmento extracto uteres. Neque tamen dixero, quum numerus experimentorum, cum lixivio cauſtico a me inſtitutorum, huic opinioni penitus corroborandae non ſufficiat, hoc lixivium aeque inſons eſſe, ac bina altera: Certiſſimum vero eſt, telam ſericeam per duas horas in hoc lixivio ſubmerſam, calori furni temperatiori expoſito, neque ſplendoris, neque firmitatis aliquid perdidiſſe.

Putaverim ergo, ex his experimentis ſequi flavedinem illam, qua nitri ſpiritus, et factae ejus ope ſolutiones ſericum inficiunt, in aqua, ad aërem (nonnulla enim eorum ſegmentorum telae ſericeae, quamvis ante quinque annos, dum haec ſcribo, fere tincta, nihil de ſuo, aut colore, aut ſplendore amiſerunt), ad ſolem eſſe ſtabilem, ab acidis animalibus ac vegetabilibus permanere intemeratam, et modum, quo ſericum iſta perfunditur tinctura, neque ſplendori ejus, neque compagi nocere.

Sed alia quoque ex eo eſſe emanatura ſperavi commoda, quibus alii tingendi modi toties carent. Si certe ſimplicitatem operationis, exiguam, qua opus eſt, praeparationem, breve temporis ſpatium, quo omnia peraguntur, et exiguos, ſi cum aliis compares, laboris impenſas conſideres, non poteris non commendare. Spatio paucarum horarum magnae ſic telae tingi poſſunt; operatio ipſa ſimpliciſſima eſt et facillima, non opus eſt, niſi aqua frigida et aqua forti, aut, ſi velis, poſterioris loco, ſolutione ejus ope facta; carere po-

teris ipſo lixivio, et, ſi quidem hoc non adhibueris, omni igne, qui non impenſas modo auget, ſed etiam, ſi regimen illius ſpectes, toties tinctorum labores reddit adeo difficiles et dubios. Fatendum tamen eſt, aqua forti, vel ſolutione ejus adminiculo facta pauliſper, antequam ſericum in eam injiciatur, excalefacta, multum accelerari laborem; forſan autem, mea enim experimenta hieme inſtitui, aeſtate hoc artificium penitus ſuperfluum eſt.

Aqua fortis et cineres clavellati, ſi comparentur cum aliis tincturis, parvi ubique ſunt pretii; poſſet etiam, loco lixivii ex poſterioribus parati, lixivium ex bonis lignorum cineribus coctum et per filtrum trajectum ſumi; praeterea adhibere poteris utrumque tum lixivium, tum aquam fortem, pluries et ad eundem, et ad multos alios labores, qui non nimis purum requirunt, licet virtus tingendi non ſit infinita, et tum aqua fortis, tum ſolutio ejus vi facta, tum lixivium, nunquam antea, aut aliquoties modo adhibitum, ſuam flavedinem tam celerius, quam vegetiorem conciliet. Accedit, quod hac operatione ſerico pro lubitu plures flavedinis variationes conciliari poſſunt, prouti diutius, aut per brevius temporis ſpatium immerſum manet; hoc caſu magis pallidus erit color, illo propius ad citrei mali flavedinem accedet.

Non poſſunt tamen, ad obtinendam definitam tincturae variationem, generalia tradi praecepta; nimius eſt conditionum numerus, quae in eam agunt; pendet a gradu caloris, ab acrimonia aquae fortis et lixivii, a ſpecie et bonitate ſerici etc. haec omnia peritus artifex, abſque ulteriori explicatione, ſuum in uſum convertere facile poterit.

Antequam vero reliqua mea experimenta enarrem, quae votis meis non ex aſſe reſponderunt, liceat interjicere aliqua de proficua eorum in officinis ſerici tinctoriis imitatione. Poſſet utique objici: Quum materia tingens metalla adrodat, et vaſorum ex metallis fabrefactorum particulis diſſolutis corrumpi adeo facile poſſit, in quibusnam vaſis ſuſci-

pienda

pienda eſt illa operatio? Vaſorum enim vitreorum, quae in officinis tinctoriis adhiberi poſſent, nimium eſſet pretium. Quum tamen non opus ſit, ut vaſa iſta igni exponantur, periculum ergo, ne ſaepius rumpantur, evitari facili opera poſſit, vix putaverim, eorum uſui obſtare nimium pretium: Poſſunt tamen eorum vices ſupplere vaſa terrea, cortice vitreo, qui vero plumbi nihil in ſe contineat, intus obducta, aut vaſa ferrea vel cuprea, modo a Cl. *Rinmano*, aut ratione a Celeb. *Bindheim* commendata, in interiori ſua ſuperficie cruſta vitrea munita. Quodſi zinci, aut zinci et cobalti ſolutione uteris, modo certus ſis, ſuo metallo penitus eſſe ſaturatam; poteris etiam absque omni periculo in vaſe zinci cortice obducto, aut in vaſe aeneo, aut cupreo ſuſcipere laborem, eo quod haec vaſorum materies zinci ex aqua forti dejiciat nihil. Si uteris cupri ſolutione, aut aqua forti meraca, poteris adhibere, absque ullo metu, ne color corrumpatur, vas cupreum, quamvis negari non poſſit, poſteriori in caſu vas adrodi. Si uteris aluminis terra in aqua forti diſſoluta, melius eſt, abſtinere ab omni vaſorum metallicorum uſu, eo quod fere omnia metalla, ex quibus vulgo iſta vaſa conficiuntur, terram iſtam ex aqua forti dejiciant, et ſic turbare laborem poſſent. Praecipue autem evitanda ſunt ſtannum et ferrum; illud enim, quod maximam ſaltem ejus partem ſpectat, aqua forti potius corroditur, quam ſolvitur, et aqua fortis, eo impraegnata, non niſi debili ſericum perfundit colore; hoc autem, ſi ſat magna copia aquam fortem intraverit, colorem minus gratum ipſi affricat. Certe non debet ſuſcipi labor in vaſis ferreis, niſi ad tingendum ſericum zinci, per aquam fortem facta, ſolutione uteris, quod quippe metallum per ferrum praecipitari ex aqua forti non poteſt.

Quod lixivium attinet, ſi quidem eo uti velis, nihil certe intereſt, in quibus contineatur vaſis.

Poteſt igitur immitti ſericum lixivio non nimis calido, et horae circiter ſpatio elapſo, ſi ſcilicet ſericum humore illo totum quantum perfuſum eſt, eximi, ad aërem (non enim opus eſt, ut nunc aqua frigida eluatur) ſiccari, et tunc aquae forti, aut ſolutioni, ejus ope factae, committi; vel poteſt, nulla praeparatione praemiſſa, ſubmergi ſericum ſtatim in principio in aqua forti, vel pura, vel terra, aut metallo, ut ſupra dictum, ſaturata (quae, ſi labor hieme peragatur, anteà parumper calefieri debet), horae quadrante elapſo produci, aliquoties per aquam frigidam trahi, parumper ad aërem ſiccari, leviter humectatum cylindri preſſu laevigari, et poſtea penitus ad aërem exſiccari.

Studio omiſi omnia levia artificia, bonis tinctoribus exercitio artis jam dudum notiſſima: Addere tamen liceat eorum in gratiam, qui in inſtituendis ejusmodi experimentis magis adhuc hoſpites ſunt, vas amplum, in quo tela ſericea aequabiliter expanſa, non accumulata et convoluta jacet, aequabilitati et ſplendori coloris multum conducere; melius etiam eſſe, telam ipſam non multum agitare, ſed potius, ut ſericum undique et aequabiliter liquore iſto perfundatur, vas ipſum leni circumrotare motu.

Deſiderium, plures adhuc flavi coloris variationes impetrandi, me excitabat, aut memorata jam experimenta repeterem: Obtinui omnino, quum telam ſericeam, aqua forti, aut facta ejus ope ſolutione jamjam tinctam, lixivio ex cineribus clavellatis cocto committerem, et modo jam ſaepius relato procederem, colorem elegantiſſimum aurantium, ſi quidem telae color, antequam lixivio humectaretur, citreus erat; alias color, quem lixivium ipſi impertitur, eadem proportione emergit pallidior; ipſa lixivii indoles, nunc magis debilis, nunc magis fortis, eventum pauliſper mutabat; poſteriore enim in caſu tinctura, et celerius erat conſpicua, et vivacior.

Hic color, absque ullo aut ſplendoris, aut firmitatis detrimento, ſerico comparatus, in aêre, ad ſolem, in aqua ipſa elulliente ſtabilis permanebat, parum certe alteratus, poſtquam telam cum aqua ſaponem in ſe diſſolutum continente coxeram.

Obtinebam eundem, et, fere dixerim, lucidiorem adhuc colorem, quum, loco illius lixivii vulgatioris, lixivium cauſticum adhiberem.

Aſt omnes hae poſteriores tincturae immutabantur, ut primum urina humectabantur, et pallorem contrahebant, majorem, quam quidem habebant, antequam lixivio intingebantur, ſi aceto conſpergebam telam; mutatio tamen a lotio inducta, fere penitus evaneſcebat, quando telam, non tamen nimis ſero, aqua frigida eluebam; et color, per acetum corruptus, priſtino fuit reſtitutus nitori, quando telam denuo lixivio madefaciebam, et poſtea per aquam frigidam trahendo eluebam: Forſan haec ipſa obſervatio utilis eſſe poteſt; vidi certe ipſas maculas, quas aut urina, aut acetum gignebat, cito perire, ſi illa loca lixivio humectentur. Cubicus pollex lixivii ex cineribus clavellatis parati, quo in meis experimentis uſus ſum, vix drachmas ſex pondere ſuperavit.

Lixivium ex caeruleo Berolinenſi paratum, in locum vulgatioris ſubſtitutum, tantum abeſt, ut colorem ſerici aqua forti tincti exaltaret, ut potius corrumperet.

Quum nihilominus ſuſpicarer, ſericum, ope cupri in aqua forti diſſoluti tinctum, novum nanciſci colorem, eo quod cuprum eodem lixivio ex acidis omnibus colore ex rubro fuſco deturbatur, ſubmerſi eadem cum circumſpectione telam, hujus ſolutionis ope tinctam; extracta, aqua frigida abluta, et ſiccata, haud certe ingratum cinnamomi colorem prae ſe ferebat; verum hic etiam color pauliſper expalleſcebat, quum ſericum aceto immergerem, licet nunquam eum recu-

 peraret,

peraret, quo conſpicuum erat, antequam lixivio huic poſteriori committebatur.

Viſum mihi quoque fuit, alias etiam materias animales, albas, ad alias atque alias veſtimentorum formas et ſpecies adhiberi ſolitas e. g. plumas, pilos, lanam, et pannos ex hac contextos eadem, pati ab aqua forti et memoratis ejus ſubſidio factis ſolutionibus.

Goettinga Onoldum miſſa d. XVI. *Nov.*
1 7 8 4.

OBSERVATIO IX.

Dn. D. CAROLI CASPARI SIEBOLD.

De

pericardio, pure repleto, poſt cariem oſſium faciei.

Paucis abhinc diebus, in artis meae exercitiis, experientiam feci, quam, licet eventus ſpem fefellerit, nihilominus, cum ob ſingularem morbi latentis, tum ob rei, quae ſub anatomica corporis ſectione ſe mihi ſpectandam praebuit, plane inſolitae, rationem, artis peritis communicandam putavi.

Ineunte Junio ſtitit ſe mihi faber lignarius, ſuevus, cui Ioſephi Natter nomen erat; tres et quadraginta annos natus, opem meam contra mali, novem jam continuos annos, et peritorum, et empiricorum, artem eludentis, vim implorabat. Sub oculo dextro tumor erat, quem anſae ferreae fruſtulum, vi in eam partem impactum, cauſſaverat. Sub tumore ipſo, quem ſectione aperui, Cariem detexi, tam profundam, ut apophyſin naſalem et orbitalem, jugalem et maxillarem, oſſis maxillaris ſuperioris usque, imo usque ad os unguis et oſſis ethmoidaei partem jam inficiens, dextra usque ad ſinum ſphaenoidalem ſe extendiſſet. — Praeter haec antrum

antrum Highmori puris in illo collecti copia protenſum erat. Cum antri Highmori morbus operationem poſceret, quam *methodo Meibomiana* haud infelici ſucceſſu inſtitueram, eventus votis tam proſpere reſpondit, ut latius graſſantis cariei malo variis inciſionibus, aliisque congruis remediis, reſiſterem. Gratulabar mihi, boni viri morbum levatum eſſe, qui ope mea deſtitutus, ſine dubio ſuccubuiſſet. Res ſuccedebat e votis; corruptorum oſſium ſeparatio, decreſcens in dies ulcus, et cum eo dolor, indeque profluens bonae indolis materia, ſanitatis brevi ſecuturae bonam ſpem praebebant. Vir erat robuſtus, firmaque adeo viſus eſt valetudine uti, ut ne ſagaciſſimo medico ullius interni morbi ſuſpicio oriri potuiſſet: Et licet mortis proximae in viſceribus ferret mineram, nullum tamen hujus rei ſignum apparebat. — Tandem per aliquot dies eum, velut hypochondriaco malo affectum, reſtituendae ſanitatis cauſa valde anxium animadvertebam; ad quod ingens accedebat, patriam reviſendi, deſiderium; ſed fortiter reſiſtens, ad ſuos, niſi ſanus, redire nolebat.

Sub finem Julii ex ſtomacho ſe laborare, cibos nauſcare, amaritudinem in ore ſentire, queſtus eſt. Rhabarbari, cum ſale, uſus, eum levabat. D. 27. Julii ſentiebat dolores in latere, qui altero die dextrum humerum occupabant. Rheumatiſmum eſſe ratus, remedia dedi, et melius habuit. D. 28. Julii, itinere alio vocatus, cum per aliquot dies abeſſem, creſcebat morbi vis. Medicus eo accitus ſaburram, et quidemململbilioſam materiam, eſſe cauſam morbi ratus, laxans praeſcripſit antiſepticum, quod levamen praebuit.

Febris, qua laborabat, intermittentis plane ſimulabat typum. Noctibus ſingulis frigus, calor, calorem ſudor excipiebat copioſus; mediis eum purgavi ſalibus: elapſo quindecim dierum ſpatio, vires deficere incipiebant. Examinato abdomine nihil praeternaturale deprehendi; praeſcripto igitur cortice peruviano febris evanuit. Singulis jam noctibus,

bus, ſub horam undecimam, difficilis reſpiratio fieri, et dolor dextrum latus afficere, incipiebant, qui mane aegrum reliquerant; per diem aberant, ſed cum nocte redibant. — Hepatis ſuſpicabar vitium, ſed cujus naturae? plus una vice ſumma, qua potui, contentione abdomen exploravi, nec, quid malum quoddam latens indicaret, reperire potui. Saepius hepar ſub coſtis ſpuriis preſſi, quin ullum doloris ſenſum excitare poſſem. — Excrementis color eſt naturalis, et urina erat ſani viri. Omnis a vultu flavus color aberat; ſed appetitu omnino proſtrato, in dies deficiebant vires; et creſcente magis magisque Noſtalgia, ſanum ſe certo ſperabat, dummodo apud ſuos eſſet. Herbarum reſolventium decoctum largiter bibendum dedi. Vigeſima Auguſti valedicebat mihi, altero die domum profecturus. Mane valde laetus erat; ſed ecce! praeter exſpectationem angore animi obrui, aegre reſpirare cepit, quod malum brevi tempore adeo invaleſcebat, ut deficiente pulſu hora ſecunda pomeridiana exſpiraret. Summa ferebar cupiditate experiundi quae tam doloſi ſummeque latentis morbi, mortisque tam ſubitaneae cauſa, eſſet: Cadaver, ad anatomicum theatrum delatum, cultello ſubjeci anatomico.

Vigeſima 3tia Auguſti, praeſentibus auditoribus, ſectionem inſtitui, et detexi quae refero.

Hepar erat praegrande et ex una parte convexae ſuperficiei peritoneo accretum, caeterum ſani coloris. Veſica fellea vacua. Inteſtina tenuiora inflammata; parum ſeri extravaſati in abdomine. In ambobus thoracis cavis menſura aquae ſubrubicundae, in dextro plus, quam in ſiniſtro. Pulmones ſani videbantur, praeter aliqua in ſiniſtris tubercula. Dextri diaphragmati accreti, quos cum ſepararem, ingens puris flavi copia inde proſiliit, quod, diaphragma cum jam perroſiſſet, brevi in pulmones erupturum fuiſſet. In hepate ingens vomica erat, quae menſuram aquae capere potuiſſet. In ipſam igitur morbi cauſam incidi, cui nulla ars mederi

deri potuiſſet; ſed mors tam ſubita qua ratione evenerit, adhuc explicare mihi neſciebam. Inquiro altius, aperio pericardium, et en! res dictu mira ſe mihi praebuit, quae forſitan omnium anatomicorum oculos fugit, ex quo tempore ars haec nobiliſſima virorum ſagaciſſimorum ſolertiam exercet. Cor ingenti flavi craſſique puris copia inundabatur, quod pericardium impleverat, corque ipſum compreſſerat. Creſcit admiratio, cordis ſubſtantia ſana, et integra, cum oculis obverſaretur meis, unde, quaeſo, pus? Tandem aperturam detexi, quae per diaphragma in hepar ducebatur. Pus itaque ex abſceſſu hepatis per carneam diaphragmatis partem, in pericardium prorumpens, cor ipſum vitae fontem inundavit, mortemque inopinatam plane effecit.

Variis, caſus iſte, reflexionibus mihi anſam dedit. — Mortis hujus certa et determinata ſigna cum deſint, quis triſtem eſſe medici hac in re conditionem non videat? praeſertim ſi hepatis ſubſtantia ſuperficiem concavam verſus affecta eſt. Ipſa adeo inteſtinorum tenuiorum inflammatio, quam poſt mortem deprehendi, nullo ſe mihi ſigno prodidit; nunquam de viſcerum doloribus quaeſtus aeger.

Ex plurium auctorum obſervationibus traditum eſt, diaphragmatis inflammationem, crebris ſingultibus et riſu, quem vocant, ſardonico, velut notis caracteriſticis indicari. In meo caſu, licet diaphragma in duabus, et quidem tendineis, ac muſculoſis partibus perforatum erat, quod eſſe ſine inflammatione haud potuit, nullum tale ſignum apparuit.

Et quae inflammationis, quae ulceris cauſae erant? Nae inprimis hic celebris ille inteſtinorum cum capite conſenſus ſpectetur? apud plures, quibus capitis vulnera mortem attulerant, abſceſſus hepatis inventos fuiſſe, conſtat. Extra dubium plane eſt, per cariem tam profundam in facie plures nervos primi et ſecundi rami quinti paris affectos, et diſſolutos, fuiſſe; quam arcte vero quintum par, per nervum ſympatheticum majorem intercoſtalem, cum inteſtinis ab-

 domi-

dominis cohaereat, ex doctrina nervorum ſatis conſtat. Eadem, ut prope reor, hic actio locum habet; quam, ut evidentiae proximum eſt, ſi admiſeris, novum contra *Bertrandi* et *Pouteauvii*, qui rem ad leges hydroſtaticae, fere cum exceſſu, metiuntur, doctrinam, de cauſis abſceſſus hepatis, novum argumentum invenies. Nervorum hic ergo potius conſenſum ſuſpicor, cui opinioni, ut firmius in poſterum adhaeream, novo hoc experimento magis confirmor.

Praeter ordinem, et plane inauditus eſt eventus, abſceſſum hepatis in pericardium erupiſſe. Varios novi abſceſſus hepatis, quos ad extra et intus jam in cavitatem pectoris, jam in viſcera, aut per diaphragma in pectus, aut adeo in pulmones, prorupiſſe, et per os evacuatos fuiſſe, ſcio; ſed in pericardium tranſiiſſe, nec audivi unquam, nec legi. —

Optarem ſane, ut cuivis medico, in quovis complicatiori morbo liceret, cadaver inſpicere: quanta arti exinde emolumenta accederent? et quoties medicus malevolorum judicia, quae ex mortis inexſpectatae ratione, ſummi aeque ac infimi, rerum imperiti, non raro ferunt, refellere poſſet, cui jam, praeter patientiam, profanorum contemtum, et, recte ſe egiſſe, conſcientiam, prope nihil ſupereſt.

Ante duos primum annos viro in noſtra civitate optime merito P-G. ſimile fatum obtigit; ubi nullus dubito, quin vir bonus, ſi maledicendi libidine, quae ſemper excaecat animos, fuiſſet permiſſum, rem examinare accuratius, et anatomico cultello perſcrutari, quamvis etiam eventus honori minus ipſi fuiſſet, omnis tamen culpae exemptum ſeſe comprobaſſet.

Wirceburgo, Erlangam miſſa,
d. 2. *Novembris* 1787.

OBSER-

OBSERVATIO X.

Dn. D. JACOBI FRANCISCI DEMACHY.

De

Studiorum Noxa lethifera.

Iuvenem quemdam, jam ante tredecimum aetatis annum laureae, quam dilectis ſuis Apollo favens omnibus promittit, prudens paucis diſtribuit, cupido ita ceperat, ut Muſarum commercio ſolo delectaretur mens fervida. Incredibili ardore illarum gratiam proſequebatur. Dum eſcam petebat, laurum ipſam dentibus ſubmittebat, ſtomachum errore alimenti demulcens, nunquam nutriens; vappidam hauriebat ambroſiam, ſi potu ſitim compeſceret. Cum ſomno indulgebat, poëtarum flores incubantis mentem oblectarunt; et, quae ſomniavit, narravit.

Indefeſſus die nocteque in ſapientia ſtudium collocans, ad vigeſimum tamen pervenit annum. Macie confectum, tabe conſumptum, corpus poſt octo annos abſtulit atra dies, mors ultima linea rerum. In toto cadavere, aliunde ſano, nulla fuit menda, quae hominem contaminaret. *Virilitatis teſtes vix conſpicui*, pilorum in regione pubis et in mento undiquaque abſentia, noſtrum imbecillem fere totum fuiſſe, declarabant. Et hoc nunciabant unanimi voce ſodales, rubore tinctas ſe vidiſſe juvenis noſtri genas, quoties vel leviſſimo unguiculo de rebus venereis, illo praeſente, ſermo velitabatur. Quantum mentis indefeſſus et inauditus labor corporis vigori et incremento nocuerit, et quonam modo ad intellectus organum ſeſe deportaverit, omnis et quisque liquor virilitatis, dicant phyſiologiſtae.

OBSERVATIO XI.

Dn. D. PAULI JOANNIS BONZ.

SISTENS

Experimenta circa Phoſphorum, ex oſſibus paratum, ejusque acidum.

Ingenioſum illud *Cel.* Scheelii inventum, Phoſphorum ex oſſibus animalium parandi, mihi eum e ſale urinae eſſentiali, de more, conficienti, magno erat in pretio. Operoſis Cel. D. Crellii, et Cl. Wiglebii experimentis (in libro periodico, *neueſte Entdekungen in der Chemie*) perlectis, reque accurate perpenſa, ipſe manum admovi operi, eorum veſtigiis inſiſtens; quamvis ſic naturam hujus phoſphori penitius exploratam atque cognitam haberem, mea tamen opera mihi non ſatis probabatur.

Academici *Diviodunenſes* et Cl. *Niclas* propiorem mihi monſtrabant viam, quae tamen minus trita erat, ac copiam peculiarium experimentorum exigebat, quae indefeſſus continuabam, usque dum mihi contigit, eſſe tam felici, accurate determinare, quantum phoſphori ex una oſſium uſtorum libra certo obtineri queat, et qua ratione id efficiendum ſit.

Vulgarem illam methodum, oſſa in acido nitri, vel ſalis, ſolvendi, ac deinceps terram, ope acidi vitriolici, praecipitandi, naturalibus principiis ductus, mox deſerui: negotium enim illud erat nimis impeditum, atque ſumtuoſum, inſuper ſatis magna terrae pars, in acido phoſphori ſoluta, relinquebatur.

Separatio terrae calcareae, ſine intermedio, ope acidi vitriolici, ſane mihi quam convenientiſſima videbatur, ſed eo laborabat incommodo, ut nimia terrae quantitas in acido phoſphori

phoſphori relinqueretur, quod eam in inſpiſſando non ſolum in pultis formam redigeret, et ad ſpumandum proclivem redderet, ſed et phoſphori obtinendi quantitatem, in deſtillatione, minueret.

Terram ſuperfluam ſale alcali volatili ſeparare conabar, ſed nimia ejusdem quantitas requirebatur, nec tamen eam totam praecipitabat.

Additamentum plumbi cornei in deſtillatione nihil corrigebat.

Tandem terra, ab eadem acidi phoſphori portione, ſecunda vice, ope acidi vitriolici ſeparata, ſcopo potitus ſum, quantum ad eum ſatis erat.

Proceſſus.

Duae librae olei vitrioli anglici, octo menſuris aquae dilutae, in patina ſtannea, quae amplius quartam partem liquidi capere poteſt, ſuper apto furno calefiunt, quibus quatuor librae oſſium combuſtorum albicantium, vel nigricantium, in pulverem redactorum, ſub perpetua agitatione, inferuntur; id quod ſub modica effervescentia fit. (Pulvis calcareus ſatis intumeſcit, atque in ſelenitem impalpabilem mutatur.)

Haec omnia per horae quadrantem leniter coquuntur, liquidum per pannum colatur, ſelenites ſufficiente aquae fervidae copia eluitur, usque dum nullum in eo acidum amplius percipiatur.

Hoc itaque eſſet acidum pro una retorta praeparatum. Cum vero duae retortae commode furno imponi queant, eodem tempore quatuor oſſium librae ejusdem generis duabus libris olei vitrioli anglici, debilitati, ſaturantur in ſimili, quae ad manum eſt, patina ſtannea, ſuper proprio furno, idemque, qui indicatus eſt, modus, rei adhibetur. 1)

 Aci-

1) Sunt mihi quatuor furni, ſinguli binis retortis inſtructi, adeoque octupla acidi portione mihi opus eſt.

Acidum duarum harum ſaturationum in iisdem patinis decoquitur eo usque, dum tres menſurae relinquantur; ſelenites, coquendo ſponte natus, per pannum colatur.

Liquido acido phoſphori decantato, una olei vitrioli libra ſuperfunditur: alterum hoc olei vitrioli additamentum denuo efficit praecipitatum haud exiguum, quod poſt 6. vel 8. horarum ſpatium ſeparatur, et calida aqua eluitur.

Tum acidum phoſphori in minori patina ſtannea primum ad ſyrupi conſiſtentiam, et poſtquam iterum colatum eſt, dein ad mellis conſiſtentiam evaporatur, ac amplo crucibulo Haſſiaco, quod inter paucos collocatur carbones, immittitur acidum; et dum ſpumat, baculo agitatur, ne effluat, hora quarta vel quinta rurſus ſubſidere incipit, ſulphureum odorem exſpirat, ſenſimque ſpiſſius redditur.

Huic ſemivitrificato, adeo, ut gutta refrigerata diffringi queat, octo pulveris carbonum unciae immiſcentur, maſſa eximitur, atque in duas partes aequales dividitur, quarum ſingulae, in retortam Haſſiacam loricatam, dimidiae menſurae, inferuntur.

Retortae in commodum furnum reverberatorium immittuntur, excipuli juncturis bonum lutum adaptatur, cui, loco tubuli, parvum ſpiraculum relinquitur, proprio epiſtomio, ex argilla confecto, obturandum.

Prioribus tribus quatuorve horis leniſſimus ſubminiſtratur ignis, et ſubacidum phlegma exit. a) Poſterioribus tribus horis ignis augetur, tum vapores prodeunt, qui in vacuo excipuli ſpatio volitant, ſenſim ſurſum, verſus lutum excipuli, aſſurgunt, in eoque languidius coruſcantes in conſpectum veniunt. Sub idem tempus cautione opus eſt, ut ignis in aequali gradu alatur, nec praepropere augeatur, alias phoſphorus violenter in vapores diſſiparetur, atque cauſſa prae-

a) Si quis, in hac operatione, *Marggrafiano* ignis grâdu uti vellet, maxime peccaret.

praeberetur, ut materia phoſphori celeriter turgeſcente, retortae roſtrum obturaretur.

Lucidi vapores volitantes, ſub aequali ignis moderamine, in loco foraminis excipuli, parvam formabunt flammulam, quae vix extrema ſua cuſpide conſpicua eſſe debet, et pro ſigno directionis ignis valet.

Sub idem tempus phoſphorus deſtillare incipit, idque prius, quam ignis retortae fundum contingit.

Satis eſt, ſi ab initio ſingulis minutis duobus una tantum gutta cadit, hora octava et decima, ſpatio 40. vel 60. minutorum ſecundorum guttae ſequuntur. Singulis horae quadrantibus alimentum igni ſuppeditatur, ſi vim ſuam nimis exſerit, id quod ex flammula aucta, et vaporibus prorumpentibus cognoſcitur, focus ſtatim occludendus, ac meatus, quantum fieri poteſt, cohibendus eſt. Deſtillationis finis, qui in decimam quartam vel ſextam horam incidit, in flammula intermoritura cernitur, quo tempore etiam guttae prodire ceſſant.

Furnus in ultima operatione vix ſupra retortas carbonibus implendus eſt.

Poſt refrigerationem vaſorum excipulum tollitur, phosphorus in panno colligitur, qui mox in granis, mox in pellucida maſſa colliquefacta, invenitur. Infundibulorum ope, huic rei adaptorum, facile in formam convenientem redigitur, ac quatuor uncias, vel quatuor cum dimidia, pondere aequabit.

Ignis irregularis in aquae ſuperficie cuticulam phoſphoream progignit, haec deinde in retorta vitrea ſuper lota arena rectificanda eſt.

Caput mortuum carbone laxo conſtat, in quo paſſim granula vitrificata reperiuntur.

In deſtillatione autem, ſucceſſu carente, maſſa quaedam vitrea colliquefacta invenitur, quae cano colore gaudet, ex qua ope chalybis ſcintillae eliciuntur, quaeque odorem

rem phoſphori ſpirant, attamen ex ea, denuo cum carbonibus deſtillata, exiguam tantummodo phoſphori portionem obtinere potui.

Deſtillatio phoſphori ex oſſibus, a deſtillatione ex ſale urinae, natura ſua differt: in hac phoſphori acidum alcali volatili annexum eſt, atque in phoſphori confectione celeriorem ac fortiorem ignis gradum ſuſtinet. Heic in noſtro negotio quaſi liberum acidum ſe nobis ſiſtit, quod cum inflammabili facile ac mox in phoſphorum abit: itaque ignis praemature auctus impetuoſam vaporum phoſphori eruptionem efficeret, qui flamma et fumo conſumuntur.

Facilis haec phoſphori generatio haud raro in cauſa erat, ut, juncturis accurate clauſis, ſub lento ignis moderamine, excipulum diffringeretur, ac phoſphori, et particularum vitri diſſipatione, operatorem periculo exponeret.

Interea tamen in accurata applicatione regularum modo dictarum, excipulo tubulato, aut luto perforato, interdum caſus contingunt, quos ſimpliciter praevidere nequeas.

Exempli gratia, in operatione phoſphorus, in collo retortae, flammam concipere poteſt, quae inflammatio ab undulato lumine in excipulo, quod ad initium deſtillationis pertinet, probe diſcernatur, neceſſe eſt. Hoc incendio excipulum incaleſcit, ac rumpitur: quam ob cauſam cum terreo excipulo commutandum eſt, atque hoc modo deſtillatio continuari poteſt; phoſphorus, qui in inflammatione cadit guttatim, ruber eſt, forſan etiam niger, ac pondere ſatis minuitur.

Alius, qui accidere poteſt, caſus, eſt exſudatio retortae, dum ea vel occultam maculam habet, vel fiſſuram occultam: haec retortae exſudatio cognoſcitur ex viridi flamma, quae de carbonibus ſurgit. Nihilo minus praeſtat deſtillationem continuare, dum adhuc guttae, quamvis raro, in excipulum prodeunt.

Quodſi e contrario deſtillatio abrumpitur, atra dura maſſa reperitur, in lateribus, granis vitrificati acidi phoſphori, probe obſita; eadem ex maſſa perſpici poteſt, quantum deſtillatio profecerit, quia inferne ſpongioſa, ac ſaporis expers eſt. Reſiduum, in recenti retorta deſtillatum, parum phoſphori praebet.

Lucidi nihil reperias in maſſa phoſphori, quoad dimidiam partem deſtillata: itaque ex eo conſequitur, acidum pari modo, quo ab igne expellitur, tum demum neceſſariam inflammabilis partem induere, quae ad phoſphorum conficiendum requiritur.

Oſſa combuſta, alba vel nigra, pari modo apta ſunt ad phoſphorum parandum: quodſi vero ponimus, atra adhuc ſatis olei empyrevmatici continere, hoc mihi documento eſt, magnam acidi partem, cum in album colorem cremantur, effugere: interea mihi certae ſunt rationes, cur alba oſſa nigris praeferam. Primo atra oſſa viliori pretio non conſtant, dein facilius ſordes ex hoc negotio contrahuntur, in crucibulo acidum majores agit ſpumas, et continuum gravem odorem ſulphureum edit. In deſtillatione phoſphori ex nigris oſſibus ſaepe in excipulo ſal volatile deprehenditur.

Quod attinet ad naturam phoſphori ex oſſibus parati, hic mihi ab urinae phoſphoro differre videtur: ignem concipit in aëre humido ſiccoque, volatiliſatur cum aqua in ea proportione, qua haec evaporat in aere libero, ſibi relicta, eandemque cum ipſa ſuperficiem tenet.

Poſt combuſtionem ac rectificationem rubram relinquit terram.

Acidum phoſphori ex oſſibus parati a terra ſibi adhaerente plenarie liberari non poteſt.

Cum acidum, ex octo unciis pulveris oſſium, bis ſeparatum, ſale alcalino plantarum ſaturarem, multum materiae praecipitatae obtinui, quam per filtrum colabam, ac probe edulcorabam. Nunc recepi lixivium, ac ad cuticulam evaporavi, illud

turbabatur, filtratum mihi, in prima cryſtalliſatione, parum tartari vitriolati praebebat, quaelibet ulterior evaporatio lixivium denuo turbabat, et reliquae cryſtalli, quas collegi, erant parvae et molles, in carbonibus valde intumeſcebant, ac tandem in albam pellucidam vitrificatam, maſſam colliqueſcebant, in aqua ſolubilem, quae neque ope acidi vegetabilis, neque mineralis, decomponi poteſt.

Haec maſſa carbonibus mixta, atque in crucibulo per longum temporis ſpatium candefacta, nullam monſtrabat flammam.

Cum, praeter Cl. Wenzelium, nullus mihi innotuiſſet, qui acidum phoſphori, ſale alcali vegetabili ſaturatum, ad phoſphorum applicaret, hoc experimentum neglexi.

Terra ſeparata ac elota in acido ſalis ſine efferveſcentia ſolvebatur, ego vero acido vitrioli ſelenitem ex hac ſolutione praecipitare non valebam, per conſequens nequaquam pura terra calcarea fuit: Ope alkali vegetabilis terra plane ſeparabatur.

Quo magis fluidum eſt acidum phoſphori, eo majorem terrae portionem in ſolutione continere poteſt. Acidum vitrioli quidem praecipitat, quoad maximam partem, ſuperfluam hanc terram; quamprimum vero lixivium ulterius evaporatur, iterum turbatur, poſtquam filtratum, eique plus acidi vitrioli inſtillatum eſt, rurſus terra ſelenitica praecipitatur.

Hac operatione decies a me repetita, ſemper quovis acidi vitriolici additamento turbabatur.

Diluebam pluries praecipitatum acidum phoſphori ope aquae deſtillatae, idque nonnihil evaporabam, ſelenites iterum praecipitabatur, idque pro meo lubitu. At idem praecipitatum in ſuo acido rurſus ſolvebatur, quam primum magis fluidum reddebatur, atque calefiebat. Qua ex re mutua acidi phoſphori ac vitrioli affinitas cum terra calcarea oſſium clare perſpici poteſt.

Quan-

Quanto plus terrae acido phoſphori ineſt, tanto facilius vitrificatur, tanto facilius vero per crucibulum ac retortas penetrat.

Fieri poteſt, ut acido phoſphori, quod ego quidem ad phoſphorum applico, portio quaedam liberi acidi vitriolici inſit: ſed ſemivitrificatum in crucibulo purificatur, ac more vaporis ſulphuris tranſit.

Quodſi diutius in crucibulo coërcetur, acidum phosphori diſſipatur in vapores, qui, candela appropinquante, aut flamma carbonum, virides apparent.

Acidum phoſphori in vaſe ferreo ſpiſſatum coagulatur, ferrique particeps fit, ope carbonum in vaſis clauſis nullum profert phoſphorum, in igne aperto candefactum nonnullas ſpargit ſcintillas.

Eslingae d. 7. Oct. 1785.

OBSERVATIO XII.

Dn. D. CHRISTOPHORI GOTTLIEB BONZ.

De

Pancreate ſuppurato.

Cincinnopoeus XXXVIII. annorum, inordinato vitae generi aſſuetus, ante annum, et quod excurrit, doloribus vexabatur cardialgicis, et colicis, ſaepe recurrentibus, exacerbatis inprimis a cibis, digeſtu difficilioribus. Febris accedebat lenta, cum facie livida. Laxantia, ſubinde propinata, morbum neque tollebant, neque allevabant. Anthelminthica medicamenta unum alterumque lumbricum exturbabant, ſed ſine converſione in meliorem ſtatum. Ad molimina haemorrhoidalia, quae rebar ſubeſſe, promovenda, aegroto pilulas amaras, ſaponaceas, per ſat longum tempus, deglutiendas dedi; iterum ſine ullo effectu. Tandem ob

aegritudinis pertinaciam cogitavi, ineſſe meſenterio obſtructiones vaſorum vel glandularum: hinc injunxi uſum clyſterum, recens maxime celebratum, a Viro Experientiſſimo Dn. D. Kaempf, in libro: *Abhandlung von einer neuen Methode, die hartnäckigſten Krankheiten des Unterleibs — zu heilen. Frankfurt und Leipzig.* 1785. Applicabantur ſupra centum, ſine auxilio. Aeger tabeſcebat in dies magis magisque: per noctem cruciabatur doloribus acerbiſſimis, qui interdiu per horas quieſcebant. Opium quandoque nonnihil opis praeſtitit. Denique dolores ex improviſo penitus ceſſabant, et octiduo poſt, nimirum d. XVIII. Junii h. a. aeger, fractus viribus, diem obiit ſupremum.

Poſtero die ſectionem cadaveris adminiſtravi. In cavitate abdominis reperiebantur liquoris aquoſi, bilioſi, 2-3. librae, et puris, in cavo pelvis collecti, duae tresve unciae. Ventriculi extremitas dextra, et pancreatis extremitas dextra, tam inter ſe, quam cum ſuperficie interna, lobi ſiniſtri, et ex parte etiam dextri, hepatis, fuerunt concretae. In extremitate pancreatis dextra latuit ingens apoſtema, quod ſuperficiem internam hepatis, cum pancreate coalitam, exedit, tandemque ex hepate in abdomen prorupit, ſimulque ventriculum perforavit, unde potulenta in cavum abdominale effluxerunt. Meſenterium, lien, omentum, vitii erant expertia, nec non inteſtina, quae vidi lumbricis vacua.

Pancreas, et jecur, praeter loca ulceroſa, ſana deprehendebantur. Vaſa ſanguinea magna abdominalia fuerunt inania. Veſicula viſebatur integra, fellis plena. Thoracem, et caput ſcalpello non ſubjeci, cum defunctus utrobique nihil mali perſenſerit.

Octiduo ante mortem, quo dolores ceſſavere, procul dubio abſceſſus fuit apertus.

Exem-

Exempla pancreatis ſuppurati habes in TULPII Obſerv. medic. Libr. IV. cap. XXXIII. Jo. SCHENKII Obſervationum medicarum Libr. III. Sect. I. Obſ. CCXCI. THOMAE BARTHOLINI *ungewöhnlichen anatomiſchen Geſchichten, zweytem Hundert, Geſch.* 39.

OBSERVATIO XIII.

Dn. D. CHRISTOPHORI GOTTLIEB BONZ.

De

Virtute Opii exhilarante in aegro, poſt graves ſpasmodicas paſſiones, apoplexia ſeroſa mortuo.

Ecclefiae Miniſter, corporis habitus ſicci, bilioſi, ſtaturae parvae, thorace, adverſo, averſoque, gibboſus, devenerandus cum ob vitae integritatem, tum ob eruditionis praeſtantiam, tribus milliaribus a me disjunctus, jam ab adoleſcentia crebris cardialgicis pathematibus conflictatus fuit, quae aetate provecta magis magisque invaleſcebant. Ceterum videbatur ſanus, viresque, invaſionibus ſpasmodicis fractas, brevi utplurimum recuperavit.

Appono epiſtolas nonnullas, quas ad me dedit Vir digniſſimus, ut ex illis et morbi hiſtoria, et medicamentorum, inprimisque opii actio, eo clarius eluceſcant.

Ep. I. Burgſt. d. d. 24. Sept. 1781.

Dilectiſſime.

— Inſultum paſſus ſum dolorum cardialgicorum atrociſſimum, perdurantem ab octava hora matutina usque ad duodecimam noctis. Tubercula externe in ano erumpunt. Decoctum ex radicibus graminis, et ſaponariae continuo, nec non uſum ſaponis veneti, et gummi ammoniaci, ad diſſol-

 ven-

vendum, quos ſuſpicaris, fellis calculos propoſitum. Tempore pomeridiano, urgentibus ſpasmis, deglutio *opii*, in formam pilularem redacti, *granum dimidium*, bis terve, interpoſito horae dimidiae ſpatio, poſt ſingulas doſes. Pilulae hae mihi apprime conducunt, et plane ſingularem in me effectum edunt. Etenim me non ſomnolentum reddunt, ſed alacrem atque ſerenum, ut per dimidium noctis meditationi concionum ſacrarum indulgere poſſim; neque minus mane ſurgere cum corporis animique refectione. Doſin ultimam ſumo hora 5-6. veſpertina, quia circa hoc tempus ſpasmi plerumque remittunt. Clyſteria, repetitis vicibus applicata, parum frugis exhibent in ſedandis doloribus. Ad alvi obſtructionem, ſi adeſt, tollendam utor drachmis duabus Salis Seignettiani. —

Ep. II. Burgſt. d. d. 13. Octobr. 1781.

— Hebdomade elapſa venaeſectionem adminiſtravi, quam excepit ſpasmus vehementior cardialgico-colicus, triduo per intervalla perſiſtens, utplurimum ingruens una alterave hora poſt paſtum. Heſterno mane excernebatur ſanguis pulchre rubens per alvum. Opii effectus idem eſt: medicamenta cetera eadem. —

Ep. III. Ibid. d. d. 30. Octobr. 1781.

— Spaſmi penitus fere ceſſarunt: quandoque recrudeſcunt tempore conſueto poſt paſtum, mox iterum ſopiti, aſſumto opii grano dimidio. Medicamentum hoc eximiarum in me virium eſt: ſumo bis terve per diem granum dimidium, abſentibus etiam doloribus, vigorem enim et alacritatem corpori animoque reddunt, cum contra, opio neglecto, torpore atque moroſitate affectus ſim, noctuque ſomnum habeam gravem atque moleſtum. Se- et excretiones opium

non

non turbat. Medicamentis reliquis utor iisdem. Modo propius invicem abeſſemus, ut eo facilius copia fieret inter nos colloquendi.

Ep. IV. Ibid. d. d. 30. Novembr. 1781.

— Poſt molimina haemorrhoidalia, nudius tertius perpeſſa, invadebant me dolores colici et cardialgici acerbiſſimi heſterna veſpera. Poſt duo grana opii, in quatuor doſes diſtributa, et ſenſim deglutita, ſpasmi circa undecimam horam nocturnam ſiluerunt. Fruebar tum quiete jucundiſſima, ſine ſomno, usque ad lucem hodiernam. Perluſtravi meditatione promta penſum quoddam verbi divini; compoſui poſtea Tetraſtichon, quod tibi hic mitto, in laudem opii; tandemque de lecto ſurrexi vividus atque vegetus, quanquam noctem traduxi plane inſomnem.

Ep. V. Ibid. d. d. 4. Januar. 1782.

— Cum mihi opium dolores non amplius ſedet, utor ex conſilio tuo oleo lini expreſſo; ſumo de illo mane, poſt meridiem et veſperi cochlear plenum, indeque ab octiduo fere nullos dolores expertus ſum. Nihiloſecius cum animus eſt noctem pervigilandi, ut ſtudiis operam dare poſſim, opium adhibeo: quin interdiu unam alteramue doſin capio, ad excitandas, et reſtaurandas vitae vires, alias mihi hypochondriaca pathemata facile taedium atque aegritudinem afferunt. Se- et excretiones vigent. Cibos duriores melius concoquo, quam molles. Sapo venetus et gummi ammoniacum, nec non decoctum radicum, adhucdum mihi in uſu ſunt.

Ep. VI. Grunb. d. d. 25. Martii 1782.

Jam beneficio Illuſtris Synodi Wirtenbergicae Grunb. . . promotus laetor, me tibi viciniorem eſſe. Opium dolores denuo ſopit, quapropter illud in hunc finem iterum capio. Effectus ejus ad exhilarandum animum idem manet. Saepius jam accidit, ut granum ſemis vel integrum in templo, priusquam ſuggeſtum conſcendi, deglutiverim, mirumque in modum exinde in dictione ad populum corroboratus fuerim.

In hoc valetudinis ſtatu permanſit Vir doctiſſimus. Modo dolores ceſſarunt, modo recurrerunt: aliquando per trimeſtre ſpatium quieverunt: modo opium illos compeſcuit, modo non compeſcuit; virtutem autem reficientem et reſtaurantem exſeruit conſtanter. Initio Octobris anni 1783. firmus adhuc erat, ac vegetus. Sub medium vero hujus menſis inordinatis motibus febrilibus vexari coepit, cum ſomnolentia, et appetitu multum debilitato. Accedebat cephalalgia, quam octiduo poſt ſequebatur plenaria ſenſuum externorum abolitio, tactu ſolo reſiduo. Pulſus erat celer, inaequalis, intermittens; reſpiratio libera, abdomen depreſſum. Tandem, die 26. dicti menſis et anni, placide beateque exſpiravit, anno aetatis ſuae quinquageſimo primo.

Corpore ad ſectionem denudato, apparuit abdomen valde deforme; umbilicus enim, altius locatus, epigaſtrio contiguus erat, et margo ſuperior oſſium innominatorum ab ultima coſta ſpuria vix pollicem diſtabat. Regio epigaſtrica praetumida erat, ac elevata in utrumque hypochondrium. Pari modo inflata erat regio umbilicalis in utrumque lumbum. Scalpello e regione cartilaginis enſiformis deorſum ducto, ſtatim per integumenta communia diſſecta ventriculus adeo ſe protruſit, ut maximopere cavendum eſſet, ne laederetur. Peracta ſectione abdominis cruciata patuit, elevationem regionis umbilicalis formatam eſſe ab inteſtino colo ampliſſimo,

utris

utris inſtar dilatato, et protuberantiam epigaſtrii, ortum duxiſſe a ventriculo ſupra omnem modum longo latoque. In cavitate abdominali ſeri rubelli circiter libra ſemis extravaſata erat. Inteſtina tenuia, et potiſſimum craſſa, flatibus magis ſcatebant, quam ſcybalis. Venae inteſtinorum, inprimis tenuium, ad minimos ramuſculos pulcherrime repletae erant, arteriis contra vacuis. Effectus mortis! Ambo genera inteſtinorum nec inflammata erant, nec gangraenoſa. Hepatis utrumque lobum deprehendi praeternaturali acceſſorio lobulo auctum. Juxta fundum veſiculae felleae prominebat apoſtema, puris tenuis aliquot drachmas continens. De reliquo jecur fuit bene conſtitutum, nec cholelithos aluit cyſtis fellea. Lien cum pancreate naturaliter ſe habuit, nec non meſenterium, in quo nonnullas ſaltem glandulas tumefactas reperi. Cardia, ſ. orificium ſiniſtrum ventriculi, e regione tertiae quartaeve coſtae verae ſitum erat ſub diaphragmate, a ventriculi mole vehementer ſurſum truſo. Thoracis cavum amplum fuit ob gibbum in parte ejus anteriore et poſtica, et pulmones continebat ſanos, quorum dexter pleurae leviter adhaeſit. Pericardium liquoris circiter uncias octo concluſit. Uterque ventriculus cordis polypos tenuit molles, glutinoſos. Cranio diſſecto vaſa durae matris apparuerunt valde turgida. In ſuperficie externa hujus meningis, in regione verticis, ſuper, et juxta, ſinum longitudinalem ſuperiorem copioſae glandulae minutae induratae, quae a Pacchiono nomen habent, in conſpectum veniebant. Separata dura matre ſtatim ſerum prorupit, multo magis detractis membranis arachnoidea, juſto craſſiore, et pia, quae naturaliter conſtituta fuit. Gyri cerebri a ſe invicem remoti erant, interfluente ſero. Idem ſtagnabat inter utrumque hemiſphaerium cerebri usque ad corpus calloſum. Ventriculos anteriores, nec non tertium, neque minus anum, et vulvam, ſic dictam, copioſiſſimo liquore ſeroſo-lymphatico inveni quaſi inundatos. Plexus choroideus erat pallidus, granulo-

 nulo-

nuloſus. Probabile eſt, ſeri hanc profuſionem immodicam aquae ductum Sylvii tranſiiſſe, ac, valvula magna cerebri ſuperata, ventriculum quoque quartum repleviſſe. Temporis anguſtia, bihorio enim poſt demortuus efferendus erat, me prohibuit, quo minus in hanc rem ultra inquirerem. Inter duram matrem et cranium nihil extravaſati reperiebatur. Apoplexiam ſeroſam hunc affectum, rectius hydropem cerebri, dixeris.

In ſectione me adjuvit egregiae indolis juvenis, in academia Stuttgardienſi Sereniſſimi Dni Ducis tum alumnus, hoc anno ad gradum Doctoris Medicinae evectus, *Philippus Theophilus Knaus.*

De virtute opii exhilarante, orientalibus gentibus maxime familiari, plura operae pretium eſt videre in Jo. Andr. Murray apparatu medicaminum, tam ſimplicium, quam praeparatorum et compoſitorum, hujusque Vol. II. Goett. 1779. edito. In mala, quae ab largiori, et protractiori opii uſu Vir celeberrimus p. 233. et 240. deduxit, e. g. fatuitatem, ſtuporem, taciturnitatem, ſomnolentiam, memoriae labem aeger meus non incurrit, cum opii, biennii et duorum menſium ſpatio, refractis doſibus, non amplius unciam unam et drachmas ſeptem conſumſerit: idcirco etiam apoplexia ſeroſa, cui aegrotus ſuccubuit, inde haud exorta fuit. Dies ſaepius plures, quin etiam ſeptimanae praeterfluxerunt, quibus opio ne ad recreationem animi quidem indiguit. Probabiliſſime ſerum eo tempore in cerebrum ſenſim ſenſimque effundi coepit, quo aeger de motibus febrilibus, ſomnolentia, cephalalgia, conqueſtus eſt, i. e. ſpatio decem octove dierum ante mortem: colluvies enim haec ingens ſeroſo-lymphatica erupiſſe non videtur uno, et ſubitaneo impetu.

Colico-cardialgicos dolores procul dubio a juventute foverat flatuum coacervatio, colon et ventriculum, ſub male conformato corporis habitu, atque anguſtato abdominis ca-

vo,

vo, in ſupra memoratam molem extendens. Spaſmi deinde, in adultiori aetate, adaucti fuere congeſtionibus haemorrhoidalibus.

Eſslinga Onoldum miſſae
d. 16. Octobris 1786.

OBSERVATIO XIV.

Dn. D. CAROLI GUILIELMI NOSE.

De
Vſu alcali volatilis externo.

Habitus tenerioris puer decennis, qui ante annum febre quadam lenta per plures menſes laboraverat, denuo per tres ſeptimanas anguſtius valens, ante decem forte dies pede dextro in foſſam, non adeo altam, delabitur. Interjectis aliquot diebus, ſentit dolorem femoris dextri; glandulae nonnullae inguinales acque intumeſcunt. Vini ſpiritus camphoratus, unguenta quaedam, ſuccus ſedi a chirurgo et parentibus, fruſtra, vel ſiniſtre, tentata, dum omne humidum dolorem intendit. Praemiſſo ſolvente, propino aegro febricitanti emeticum, quod bilem viridem magna copia educit. Abinde melius ſe habere videtur. Mox vero adfectum femur inſigniter tumet, exſurgit dolor gravior cum febre aucta. Infuſum florum Arnicae, et radicum *Gei urbani*, *) interne ſumtum; externe ſacculi diſcutientes cum

 cam-

*) Egregias hujus radicis virtutes in profligandis febribus intermittentibus, a Cel. Buchhave depraedicatas, et ego multoties expertus ſum, ut hoc remedio, pauperibus praeſertim exoptatiſſimo, carere unquam nollem. Sua utique ſubinde huic morborum generi inhaeret peruicacia, blando medicamine omnino inſuperabilis. De quo vero *ſpecifico* hoc non eſt dictum ?

camphora effecerunt quidem, ut aeger, alterno quovis die peius ſe habens, levatus quodammodo adpareat; crus vero, quod citra dolorem movere, cuique inniti nullo modo poteſt puer, indies volumine creſcit. Dum itaque tardior aluus cremoris tartari uſu mobilior redditur, adplicantur dolenti parti fomentationes ſiccae, e cincribus clavellatis (part. II.) et ſale ammoniaco (p. I.) invicem mixtis, conflatae, eo cum eventu, ut dolore, tumore ac febre penitus profligatis, mox in plenam cum valetudine gratiam redierit puer, qua nunc (fere per integrum annum) lautius fruitur, quam olim.

Vetulae feſtigia fallebant lubrica ſaxa; procidit in genua, fouet contuſas partes ſpiritu vini camphorato, ſanatque. Remanet interim per plures ſeptimanas tumor trium forte pollicum longus, ſemipollicis latus, mollis, ſolo tactu dolens, ſupra patellam genu dextri: eidem fomentationi ſiccae volatili, paucis diebus, perfecte cedit.

Virgo robuſta, ſaepius vexabatur tumore brachii, praeprimis ſiniſtri, dolente, contra varia remedia rebelli. Cauſſa non adeo obvia, dubia. Simili fotu ſanatur. Semel tantum, quod ſcio, malum eodem modo denuo depulſum, rediit.

Plura quidem, in his luculentiora, quae uſus docuit, de praeſtante remedio proferre poſſem, cujus notitiam Clmo *Abildgaard* *) debeo. Quum vero rei hactenus, ut videtur, iniquius praeterviſae, memoriam paullulum revocare ſola mihi mens eſt; iſta hic ſufficiant.

Elberfeldae, Initio Februar. 1786.

*) *Alcali volatilis uſus externus* in Societ. Med. Hafnienſ. Collectaneis Vol. IIdo p. 265-269. (Havniae 1775. 8.) laudatur in oedematoſis calidis tumoribus, ubi ſpiſſitudo cum aliquali humorum acrimonia, nec non debilitas ſolidorum praeſto eſt. In rheumatiſmis camphoram, ſcopo roborandi, aromatica, addas.

OBSER-

OBSERVATIO XV.

Dn. D. HENRICI FRIDERICI DELII.

De

Acido ſalis communis in gypſo.

Communis eſt, inter pleroſque mineralogos, opinio, *terram gypſeam*, et *lapides*, ex ea concretos, eſſe *indolis calcareae*, hoc tamen diſcrimine, ut ea *acido vitriolico* ſit ſaturata, et eapropter alias nunc poſſideat qualitates, quam ſimplex calcarea: nec non acidum e gypſo, praeſertim e *ſpathis gypſeis*, elicitum, ſuae ſingularis ſit naturae, quare illud *acidum ſpathi* appellarunt. Cujus autem indolis ſit *hoc* acidum, et an vere *novum* ſit acidorum *genus*, de eo jam olim fui ſollicitus, et ideo varia inſtitui experimenta, atque in ea meditatus ſum, quales meditationes primo adjeci diſſertationi academicae, de *affectibus arthriticis*, Erlangae MDCCLXXXII. menſ. Nov. habitae, quae quoque continetur in *Faſciculo* III. *Adverſariorum* meorum *phyſico medicorum*, Num. XII. e quibus meditationibus confeci, *acidum ſpathi* eſſe magis indolis *acidi ſalis communis.* Cum vero illud ſpathum, e quo hoc acidum elicitum erat, in diſſertatione dicta tamen minus recte fuerit appellatum *ponderoſum*, (quamvis verbum ſuo modo defendi potuiſſet,) neceſſarium duxi, hanc mendam corrigere, et mentem meam clarius explicare, et nominare *fluorem ſpathoſum*, ſ. *fluorem mineralem*, quem, *Fluſſ Spath*, *noſtri* vocant, qui *naturae gypſeae* eſt, et e quo *acidum ſpathi* erat obtentum. Peregi illud in ſchediasmate, Erlangae MDCCLXXXIII. impreſſo, et quoque in *Adverſariorum* meorum *Faſc.* IV. n. XIII. inſerto, quod *curas poſteriores* nonnullas *circa acidum ſpathi* continet, in quo experimenta varia, et ratiocinationes protuli, e quibus elucet, *in gypſo* omnino reſidere et acidum *ſalis communis*, ſeu *muriaticum.*

Praeter autem ea experimenta, quae jam in ſuperiori diſſertatione adduxi, ad demonſtrandam hanc porro ſententiam; noviter elegi notiſſimam illam *gypſi* ſpeciem, quam *glaciem Mariae* vulgo vocant, contuſam. Hanc cum ſale tartari puriſſimo miſcui, et mixtum in crucibulo bene calcinavi, et calcinatum in aqua deſtillata ſolvi, et in patina vitrea evaporavi. Tum, per vices, haec ſolutio ſiſtebat cryſtallos ſericeas, et *ſeleniticas*. Decantato liquido, hoc iterum, poſt juſtam evaporationem, largiebatur ſpeciem *tartari vitriolati*. Tertia demum vice, cum ſimiliter procederem, impetravi, praeter cryſtallos ſeleniticas, et tartaro vitriolato ſimiles, quoque *cubicas*, et *ſali digeſtivo Sylvii*, ut et *ſali ammoniaco fixo*, analogas.

Ut autem magis pateat impetratarum cryſtallorum facies, eas cunctas, prouti, per vices, ſeſe manifeſtabant, (quod tum ſtatim fieri non poterat) in patina vitrea, natas, ad naturam, nunc delineandas, et aere incidendas, curavi, quas in adjecta Tab. II. jam, et hoc loco, naturae curioſis exhibendas ratus ſum. Siſtitur itaque ſub lit. A. dicta patina vitrea, cum cunctis relatis cryſtallis, quarum maxime notabiles, ſub lit. B. ſeparatim, delineatae ſunt, inter quas plures, figurae *quadratae*, et *cubicae*, eminent. In primis autem lit. C. eminet quaedam *configuratio magna*, ſub lit. D. microſcopio paululum aucta, faciem *cubicam*, quam ſal commune, aut et ſal digeſtivum Sylvii, habere ſolet, perfecte referens! Quodſi itaque e figura ſalium, et habitu eorum externo, jam aliquid, quoad mixtionem, et habitum internum, concludere licet, utique et hic valere poteſt, *ea, quae in certo aliquo tertio conveniunt, eatenus inter ſe convenire*: ut itaque conformatio cryſtallorum noſtrarum ſic concipi poſſit, ut et *acidum vitriolicum*, quod in gypſo non nego, cum ſale alcalino vegetabili, effecerit ſpeciem tartari vitriolati; *acidum* autem *ſalis communis*, ſ. muriaticum, quoque in *glacie Mariae*, ut gypſo, habitaſſe, quod cum ſale

tartari

tartari unitum, nunc concreverit in ſalis communis ſpeciem, ſal digeſtivum Sylvii dictum, quod eatenus ſaltem a ſale communi differt, ut in hoc pars alcalina ſit mineralis, in illo autem vegetabilis.

Ne vero hic ſuperſit deceptio quaedam, cum ſaepe accidat, ut, ſub eadem corporum figura, maxime diverſa lateat mixtio, (veluti illud in cryſtallis lapidum, et glebarum metallicarum, toties obvenit, quae quidem ſaepius faciem ſalium referunt, haud quaquam vero haec ipſa ſalia, cum quibus, quoad figuram convenire videntur, continent,) atque ipſa figura conſueta ſalium ſit mutabilis, (quale quid *nitrum cubicum* demonſtrat,) et omnis excutiendus ſit error, non in figura ſolum acquieſcendum eſſe putavi, ſed ſpiritui nitri puriſſimo, aurum per ſe non ſolventi, addidi aurum puriſſimum foliatum, et pauca ſaltem grana ſalis noſtri cubici, unde *ſpiritus nitri in aquam regiam mutatus* eſt, et *aurum ſolvit.* Solutione hac flava, ope fruſtuli lignei, lineas quasdam, in manu mea, duxi, circa veſperam, quae altero mane *egregium colorem purpureum* prae ſe ferebant, (qui color ſolutionis auri teſtis eſt!) neque prius diſparebant, quam poſt tempus aliquod cuticula infucata deſquamaretur. Jam, cum, (ſi nonnulla alia experimenta excipias, ignis, et hepatis ſulphuris, ope, facta, quae vero huc non pertinent,) non aliud menſtruum detur, quod, via humida, aurum ſolvat, quam aqua regia, noſtrum menſtruum autem per adjectum, acido nitri, ſal noſtrum cubicum, e gypſo obtentum, in aquam regiam converſum fuerit, ſal ſaepius dictum, cubicum, *fuiſſe indolis ſalis communis,* in aprico eſt. Prona itaque eſt concluſio, in glacie Mariae, praeter acidum vitriolicum, (de quo impetratum etiam ſal ſeleniticum, et tartarus vitriolatus, teſtantur) *habitare quoque acidum ſalis communis!*

Sequitur quoque inde, *gratis* hucusque *adſumtum* eſſe, *acidum* illud, quod terram calcaream in gypſum mutavit, eſ-

ſe

ſe *ſolum vitriolicae naturae!* ſequitur porro, acidum muriaticum ibi latere poſſe, ubi illud non praeſumitur, nec exſpectatur: ideoque, ſi copiam ejus, in globo noſtro terraqueo, ſpectes, illud magis pro univerſali habendum eſſe, quam ullum aliud: atque ſic, in conſtituendo acido quodam in corporibus mixtis, magna opus eſſe circumſpectione, et pluribus experimentis, et repetitis, quae chemica doctrina ſubminiſtrat!

Erlangae, d. 5. Jul. 1787.

OBSERVATIO XVI.

Dn. OTTONIS JUSTI EVERS.

De

Luxatione humeri.

Doctrina de morbis oſſium, inprimis de luxationibus, quamquam luculenter ſatis et perſpicue pertractata, et a Petito aliisque clariſſimis viris ſolide, cogitateque deſcripta, immo ab excellentiſſimo et experientiſſimo Pottio feliciſſime aucta ſit atque ditata: tamen manus extrema nondum adeo acceſſit operi, ut omnes habeat numeros, ſed meo quidem judicio, nonnulla intacta, aut inexperta, ſunt relicta, quae diligentes naturae et artis ſcrutatores obſervatoresque addere debent, ſi poſſunt, et explere quaſi has, quas animadvertunt lacunas.

Tales quidem lacunae, niſi me fallit animus, reperiuntur praeſertim circa humeri luxationem, quae omnium frequentiſſima eſſe ſolet, et quae, ſi propter impedimenta inſuperabilia ſanari nequit, Chirurgos tamen plerumque culpa et ſuſpicione inſcitiae notare ſolet.

Mitto

Mitto jam luxationum toties repetitam definitionem, cauſſas, accidentia et praedictionem: at ſigna, luxationi cuique propria, curatius paullo mihi exponenda eſſe arbitror.

Conſtat vero inter omnes, repoſitionem luxatorum oſſium omnium requirere cumprimis accuratiſſimam anatomicam, phyſiologicamque cognitionem partium laborantium cunctarum, muſculorum puta, ligamentorum, quibus oſſa inter ſeſe connectuntur, cartilaginum, capitum, e cavitatibus ſuis motorum, mechanismi denique muſculorum, una adfectorum ſeu laborantium, quae niſi quis habeat perfecte cognita, numquam recte ſatisque habebit exploratas, neve luxationes oſſium, neve repoſitiones.

Caruimus autem usque ad haec noſtra tempora, quantum quidem ego audiverim, ad repoſitionem luxati humeri, inſtrumento, quo tractio, quae fit antrorſum, et quae fit ad oppoſitum, ſive antitaſis, ſecundum muſculorum mechanismum, quantum ſatis eſt, et viribus aeque magnis, effici poſſit; inſtrumento inquam, quod luxationi aptum eſt perfecte, abundeque reſpondens, ſi e directo verſus inferiora, ſi retrorſum, ſi antrorſum, et ſi introrſum, verſusque inferiora facta eſt, et quo muſculi tenſi in operationibus, quacunque ratione id fieri poteſt, reddantur quieti. Cujus inſtrumenti effigiem hic adjicere libuit.

Luxatio autem humeri antrorſum facta, quae, ut manifeſtum eſt omnibus, difficillima omnium eſt, et, quod bene obſerves velim, ſine ſingulari eaque haud communi encheireſi ac dexteritate, non facile reponenda, ea mihi eſt, ſi humeri caput infra magnum pectoris muſculum, apophyſin coracoideam inter, et claviculam reperitur elapſum: ſeu, ut error evitetur omnis, luxationem humeri, ut norunt omnes, introrſum et verſus inferiora factam, eam dicimus, ſi humeri caput reperitur ſub ala.

Inſtrumenta mechanica, noſtra et patrum memoria, ab hominibus de arte noſtra meritiſſimis inventa, varia admo-

dum ſunt, ſed partim valde noxia et incommoda, ex parte quoque nimis compoſita, ſupervacua, non ſufficientia, nimioque tandem pretio paranda. Quae hoc loco leviter tantummodo perſtringere mihi liceat.

Inſtrumentis, ad reſtituendum luxatum humerum commendatis, uſuque ſaepiſſime adhibitis, ſed valde incommodis, jure meritoque annumeramus ſcalam, januam, baculum, amben Hippocratis, et rotulam cum volubili chorda, quibus numquam tractionem e directo et antitaſin, aequis viribus, efficere quis poterit, quoniam nimirum partes carnoſas contundunt, et majora ſanguinis vaſa nervosque premunt, unde fit, ut interdum ſequatur nervorum reſolutio, nonnumquam etiam, niſi maxima cautela adhibeas, ipſa humeri fractura.

Supervacua autem mihi videntur omnia iſta compoſita nimis, pretioſaque inſtrumenta mechanica, quae noſtra aetate in ephemeridibus doctorum, actorumque commentariis publicis, duodecim, immo viginti quatuor numis aureis propoſita ſunt venalia, quorum ſaepenumero vix unum ſibi comparare poteſt Chirurgus, cui curta ſupellex. Inſtrumentum vero hocce meum, quod excogitavi, et quo ſaepius cum magno uſus ſum commodo, unius vix thaleri pretio, ubique fere locorum, ſatisque commode parari poteſt et adhiberi.

Methodo luxatum humerum ſuperiorem reponendi non ſufficienti, adſcribendam quoque cenſeo calcem. Chirurgus nempe, in lecto aut in pavimento cum aegroto recumbens, calcem ſuam brachio ſupponit luxato, manuque brachium attrahit. Manifeſtum autem eſt, et facile intelligi poteſt, quam imperfecta hic producatur tractio, quae manu, et antitaſis, quae fit calce.

Optima inſtrumenta, ad reſtituendum humerum e cavitate ſua elapſum, quae ego quidem cognita habeo, mappula eſt manualis, et machina illa magni et clariſſimi profecto

PETI-

Petiti, quam et Heisterus, lumen illud Chirurgorum, Tab. X. Fig. VI. Chirurgiae ſuae, pulcherrima figura exprimi curavit. At pace tantorum virorum dixerim, magni nominis Chirurgi ſine dubio fatebuntur, et hanc ſaepe non fuiſſe perfecte ſufficientem, quoniam ea, non relaxatio ſolum muſculorum, una laborantium, ſed tenſio quoque et antitaſis partium tenſarum et inflammatarum, ſatis nequit effici.

Inſtrumentum itaque, ſi recte judicaverim, operationi huic perfecte aptum, et ſatis reſpondens, has habeat proprietates neceſſe eſt:

Primo, tenſio in oppoſitas directiones, ſive antitaſis ſufficiens, ſatis fortis eſto.

Secundo, requiritur, ut vis tractioni adhibenda, ut commodum videtur, augeri mox poſſit, mox minui.

Tertio, illa ipſa vis partibus ſolum adfectis ſeu laborantibus adhibenda inſerviat, ita, ne ſanae partes laedantur.

Quarto, tenſio et antitaſis aequis viribus ſeu eodem fiant motus gradu.

Quinto, vis adhibenda ductum moti capitis oſſis humeri minime impediat.

Sexto denique, ut muſculi, una adfecti, in operatione non agant, ſed, quoad fieri poteſt, maneant quieti, proſpiciendum eſt.

Num vero hocce meum inſtrumentum, uti deſcriptum hic adjeci, et quo perſaepe cum magno uſus ſum emolumento, has commemoratas proprietates habeat omnes, doctiorum Chirurgorum relinquo judicio, qui ſi id adſenſu ſuo probaverint, magno id mihi honori ducam.

En ſchema ipſum: Tab. III.

Littera *a* deſignat tignum arrectarium duodecim ad quatuordecim pedes altum.

b. Clavus [eſt] ferreus, ſuperiori parti infixus, cui appenditur.
c. Cochlea cum rotula volubili.
d. Funis ductarius eſt octo cubitos longus, qui ſupra rotulam moveri poteſt.
e. Ille ipſe funis ſupra alteram cochleam cum rotula porrectus.
f. Foramen in inferiori cochlea, per quod funis, duos cubitos longus, tranſiicitur.
g. Faſcia eſt e lana texta, quae huic laqueo annectitur, et qua brachium ſuperius obvolvitur.
h. Uncus ferreus alto tigno infra infixus, per quem transiicitur cingulum, quo ephippia firmantur, fibulaque adſtringendum, quo humerus aegrotus obducitur.
i. Splenium denſum, quo arcte humerus laeſus tegendus eſt.

Haec conſtructio, ſeu diſpoſitio inſtrumenti adeo ſimplex eſt, ut in continenti, et duobus fere temporis minutis, poſſit inſtrui et adminiſtrari.

Nobilis Eques Brandenburgicus Graevenitius, tunc temporis Subcenturio legionis cataphractariorum equitum Regis Boruſſiae, cujus tum Manſtenius praefectus erat, anno MDCCLXXXII, cum meditabundus per campos equo veheretur, prope Potzdamum, ex equo in terram decidit, quo gravi caſu luxavit humerum dextrum ſuperiorem. Adfuit ſine mora turmae equitum Chirurgus, qui luxationem iſtam meram exiſtimavit contuſionem, aegrotoque, per totas ſeptem hebdomades, fruſtra adhibuit remedia. Medicinae Doctor clariſſimus, ejusdemque legionis loricatorum equitum Chirurgus Primus, Weslingius, quem honoris cauſſa nomino, cujusque merita et amicitiam colui ſemper, cum ſanationem aegroti, qui praeterea gracili et macilento erat corpore et paullulum gibbero, perficere non poſſet, petiit, ut ipſi adeſſem. Nudatis ergo partibus adfectis, perſpexi eas, ob uſum remediorum ſpirituoſorum diuturniorem, rigidiores, duriusculasque et vehementer dolentes. Curatius porro

exa-

examinatis omnibus, inveni humeri caput inter apophyſin coracoideam et claviculam, ambobusque humeris inter ſe comparatis, vidi acromion non valde proſtans, et ſupra cavitatem glenoideam levem depreſſionem ſeu concavitatem exiguam. Brachium paullo brevius erat ſano, brachiumque anterius, introrſum ſi flectebatur, magnos excitabat dolores.

Quibus ſignis innotuit prorſus, luxationem humeri factam eſſe verſus anteriora. Doctor Weslingius ejusdem mecum fuit ſententiae, repoſitionem haud prius poſſe fieri, quam rigidi, durique muſculi et ligamenta paullo flaccidiora facta eſſent. Cui rei gummi ammoniacum adhibendum cenſebamus, percoctum cum aceto ita, ut ſpiſſitudine emplaſtrum aemularetur, corioque ſuperinductum, quod per continuos duodecim dies brachio adfixum manere voluimus.

Quibus diebus praeterlapſis, remotoque emplaſtro, muſculos animadvertimus minus criſpatos; quare jam experimento cognoſcere conſtitui, quid poſſet inſtrumentum meum elevatorium. Infimam ergo humeri extremitatem obvolvi reticulo e lana texto, triumque cubitorum longo, ſeu cingulo, quo veredarii publici, his regionibus, corpus cingere ſolent, cui annexui minores in inferiori cochlea funes. Humerum obfirmabam cingulo, quo equos circumdamus, quodque forte ad manus erat, corrigiamque cinguli tranſieci per uncum tigno alto infixum, cingulumque fibula infra conſtrinxi, humero autem, ſubter cingulum, mappulam manualem complicatam impoſui; jamque duos adminiſtros longum illum funem attrahere, brachiumque attollere juſſi. Facile intelligitur, ſic agendo, muſculos factos flaccidiores, tenſionem autem et antitaſin non tantum aequa vi, juſtaque proportione fieri, ſed, ut lubet quoque, vel augeri poſſe, vel minui. Mox dextra mea ligamentum humerale circumdedi, ſiniſtra autem inflexum cubitum, cumque crederem, tractionem ſufficientem factam eſſe, infimam humeri extre-

mitatem flexi introrſum, dextraque preſſi ejusdem caput. Eo ipſo temporis momento, reductio cum ſonitu aliquo facta et abſoluta eſt perfecte. Quo facto, partes laborantes iterum operui emplaſtro ex eodem gummi confecto, transactisque diebus XIV, aegrotus ſanatus eſt quam perfectiſſime.

Aprili menſe, anni MDCCLXXXII, acceſſit ad me membris compactis et firmis ruſtica quaedam, ex pago aliquot milliariis ab oppido noſtro diſtante, cui ante dies XIV. brachium luxatum erat dextrum ſuperius, cujus reſtitutionem fruſtra tentaverant, et, ut reducerem ad ſanitatem, rogavit. Inveſtigatis diligentiſſime partibus laeſis, concavitatem exiguam vidi ſub acromio, cavitatem glenoideam animadverti vacuam, acromionque proſtans, caput vero brachii apparuit ſub brachio, brachium ſuperius paullo erat elevatum, a pectore paullo, itemque paullulum verſus poſteriora diſtans, extenſio brachii anterioris, motusque ejus antrorſum, dolores producebat magnos, brachium praeterea cum ſano comparatum, paullo erat brevius. Quae ſigna et notae nullam relinquebant dubitationem, luxationem introrſum eſſe factam, et verſus inferiora. Et hic inſtrumentum meum adaptavi elevatorium, ut in ſuperiori obſervatione commemoravi. Dextra ſcilicet mea laborantem complexus ſum humerum, ſiniſtra autem flexi brachium anterius, duo adminiſtri longum attrahentes funem, brachium in altum elevabant, et aucto paullulum adminiſtrorum conatu, extruſum humeri caput, ſub dextra mea, in vacuam rediit cavitatem glenoideam. Perfecta ſic feliciter reductione, exhibui aegrotae remedia quaedam externa ſpirituoſa, quibus luxatum brachium ſuperius diebus XIV. bene perfecteque ſanatum eſt.

Menſe Auguſto anni MDCCLXXXV, corpulentus et valde toroſus eques Regis M. Br. et Electoris Hannoverani, legionis equitum Praetorianorum, in cujus legionis miniſterio me quoque eſſe, honori mihi eſt eximio, equo excuſſus, graviſſimo lapſu dextrum brachium ſuperius luxavit.

Tur-

Turmae equitum Chirurgus ſine mora mappula manuali repoſitionem tentaverat, ſed fruſtra. Die tertio poſt, eques hic, juſſu Praefectorum legionariorum, ad me miſſus eſt, ut ei opem ferrem. Facta ſedulo perſcrutatione, inveni humerum, brachiumque ſuperius tumidum, inflammatum et dolens, caputque humeri introrſum, et verſus inferiora luxatum. Tentabam et ego reductionem mappula manuali, ſed itidem fruſtra. Uſus itaque ſum machina mea elevatoria tam ſimplici, manuque mea dextra humerum complexus, ſiniſtra incurvavi brachium anterius. Mox juſſi adminiſtros duos funem longum attrahere, brachiumque tollere. Illis paullo fortius trahentibus, humeri caput, quod exciderat, ſub dextra mea forti cum ſonitu in vacuam cavitatem glenoideam reſiliit, aegrotusque clara voce exclamavit:

Facta eſt reſtitutio!

In valido hoc et ſucci pleno equite, inflammatio periculi quid minari videbatur, unde venae ſectiones, antiphlogiſtica interne, et emollientia externe adhibenda erant, quibus inflammatio doloresque pulſi, et ſanatio feliciter planeque ad finem perducta eſt.

Humeri luxationes antrorſum et introrſum, verſusque inferiora factae, experientia docente, omnium ſunt frequentiſſimae, ob rationes autem anatomicas illasque notiſſimas, difficillime quoque curantur, maxime, ſi a longiori tempore acciderint, ſicque inveteratae ſint, et aegrotum brachium ſano evaſerit brevius. Quod Chirurgi, uſu et exercitatione pollentes, ſaepius ſane, quam vellent, ut credo, experti ſunt.

Luxationes humeri e directo verſus inferiora et retrorſum, quae, ut omnes norunt, facilius ſanantur, per tot annos, quibus Chirurgiae operam dedi, nullae acciderunt,

quas

quás ego quidem reſtituerem, quoniam, ut opinor, aut raro admodum fiunt, aut ab aliis forſan ſanatae ſunt.

Auctores, de arte noſtra optime meriti, veteres non modo, ſed recentiores quoque, docent, extruſum humeri caput ea ipſa via eſſe reducendum, qua exceſſit: at reductio luxati humeri introrſum, verſusque inferiora, quae, ut diximus, omnibus aliis eſt frequentior, ſemper huic opinioni repugnat ac refragatur. Nam in hoc tantum caſu, eoque admodum raro, poteſt effici, ſi ſcilicet ligamentum capſulare, item duo humeri ligamenta lateralia rupta ſunt. Tunc vero caſus eſt mixtus. Poteſt nimirum humeri caput, propter rupta ligamenta ſemper antrorſum extruſum, facili impreſſione in cavitatem glenoideam reprimi, ſed eadem facilitate per disrupta rurſus excidit ligamenta. Per gummi tamen ammoniacum, cum aceto ad emplaſtri ſpiſſitudinem percoctum, et corio ſuperinfuſum, humeroque arctius circumcirca impoſitum, continuisque diebus XIV. immotum ita retentum, brachio autem interim in mappula quieſcente, duos hujusmodi caſus ſex hebdomadum ſpatio perfecte ſanavi.

Perinde, ut ad regulam illam revertar, acſi Chirurgi in hoc caſu, quo omnes, una laborantes et adflicti, muſculi et ligamenta tument, inflammantur, tenduntur, coacti ſemper vi agere, facere vel omittere poſſent ea, quae habent in votis. Forſitan etiam illi de vi contrahente, muſculis propria, ne cogitaverant quidem, quae tamen in operatione ſimul ſuperari debet.

Hac de re inſtrumentum hocce meum elevatorium tam ſimplex, quo muſculi una adfecti, quantum id fieri poteſt, flaccidi redduntur, et tractio et antitaſis aequis viribus, ut lubet, augeri poteſt, vel minui, pro utilitate ſua et praeſtantia aeſtimandum puto.

Regulae vero illae et praecepta in muſeis quidem facili negotio praeſcribuntur, multo et facilius deſcribuntur, uſu autem, et longis multisque experimentis cognoſcitur, ſaepe

rem

rem ſecus ſe habere, ſatisque habemus, modo fiat reſtitutio, quae interdum ſummam eludit noſtram induſtriam, et, propter impedimenta inſuperabilia, plane nequit fieri. Id quod et ſequens probat exemplum.

Menſe Majo a. MDCCLXXXVII. Sereniſſimi Ducis Megapol. Praefecturae Doemizianae Gubernator Rathigius, ſubjectum huic praefecturae hominem ad me miſit, annorum circirter XL, macilentum et facie ſubflava et nigricante, rogans, ut aegrotum ejus brachium ſanarem. Hic homo, ante VII. menſes, dextrum brachium ſuperius luxaverat. Reductio mappula manuali iterum ac tertio fruſtra tentata erat. Facta accuratiſſima perſcrutatione, inveni humeri caput introrſum, et verſus inferiora luxatum. Brachium laeſum multo non ſolum tenuius, ſed duobus quoque digitis ſano brevius erat. Acromion valde proſtans, et vacua cavitas glenoidea formabat concavitatem, ſatis ſub oculos cadentem, caputque humeri in profundo alae erat immobile.

Expoſui homini, repoſitionem bene et feliciter tentari ideo non poſſe, quia partes adfectae, VII. menſium ſpatio, jam coaluerint, unde ad medendum ipſe haud eſſet appoſitus. Miſer non tulit libenter repulſam, et ſummopere, enixeque petiit, ut ſaltem experirer et attentarem omnia. Cui flagitationi ut ſatisfacerem, elevatoriam meam adaptavi machinam, praecepique, ut tres adminiſtri longum attraherent laqueum, brachiumque levarent in altum. Illi quamvis ſumma vi traherent, tamen os humeri ſub ala plane permanſit immobile. Invitus ergo et coactus, hominem ſine auxilio dimiſi domum.

Omnes itaque Chirurgos bene animatos, et miſeris mortalibus opem ferre deſiderantes, ſimplex hoc meum et maxime parabile inſtrumentum elevatorium, uſu, ſi videbitur, recepturos, beneque de illo exiſtimaturos, plane confido, ut numerus miſerorum horum mancorum, qui arti noſtrae

 plus

plus moleſtiae, quam honoris dant, aliqua ſaltem ex parte diminuatur.

Si tandem Chirurgis, legionum caſtra ſequentibus, placeret forſan, trochleas has rotulasve ex orichalco ſibi parandas curare, facillimo negotio in caſtra ſecum transferri, et exigente neceſſitate, in continenti, in quovis arboris ſtirpe ſatis alto, conſtrui poſſent atque diſponi.

Hanovera Erlangam miſſ. 1787.

OBSERVATIO XVII.

Dn. OTTONIS JUSTI EVERS.

De

Tinea.

Inter omnes morbos, pueris proprios, nullus fere moleſtior, foedior, magisque dolorificus, et ſqualidus, eſt, quam Capitis Tinea.

Tinea vero, Gallis teigne vel tigne, Germanis *der Erbgrind*, *Kopfgrind*, *böſe Grind*, ſcabies eſt iſta mala, ſeu porrigo, in parte capillata, adeo contumax, immo et contagioſa, ut non facile ſine artis artificio depelli poſſit et profligari. Capitis autem cutis tinea valde tumet, caputque panni inſtar craſſi, villoſi et hirſuti ſpectatur, vel ſicca in capite exiſtit cruſta, digiti nonnunquam craſſitie, quae modo lutea, modo viridis, modo albeſcens, apparet, et totum occupat caput, qua pilis obſitum. Plerumque aliqua capitis parte locus aliquis conſpicitur, ex quo pus effluit tetri, foetidiſſimique odoris. Mirum in modum praeterea, et acriter prurit, pungitque, et ſcalptu ſanguine madet puro vel ichore.

Sana-

Sanatio morbi hujus tam foedi, hucuſque evulſione radicularum pilorum capitis facta eſt, quae ſane operatio horroris plena, et admodum dolorifica, neque ſine periculo fieri poteſt, neque tamen ſemper eventu peragitur felici.

Ratione igitur et experientia ductus, in mali hujus graviſſimi, moleſtiſſimique cauſſas primas ſeu fundamentales attente inquiſivi, easque diſtinxi, et iis ſublatis malum ipſum ſanare tentavi; jamque officium meum eſſe puto, utilitati conſulere communi, mediaque proponere, nullos prorſus dolores excitantia, quorum uſu a methodo illa vulgari, et noxam ſaepe ſanitati inferente, abſtineri et dolorifica vehementer, aeque ac terrifica iſta Picatio, *Pechhaube*, intermitti poſſit et evitari.

Majores noſtri, de arte noſtra meritiſſimi, docuere, ſcabritiei hoc genus, morbum eſſe magis radicularum pilorum, quam acrium, vitioſorum ac tenacium humorum in ductibus glandularum ſebacearum, id quod vero experiendo nondum potui cognoſcere; ſaltem malum hoc non tam internis cauſſis nutriri alique videtur, propterea quod, ut conſtat, ſi a cauſſis receſſeris, quas vocant ſpecificas, tum in hoc, tum in aliis morbis topicis media interna nihil poſſunt proficere. Clariſſimus ille Doctiſſimusque Eques ab Acrel dicit:

Vid. Equitis clarissimi Excellentiſſimi a Murray Biblioth. Medico-Practica Tom. III. P. III. pag. 485.

Cura tineae capitis, uſque ad hanc noſtram aetatem, admodum eſt incerta, ita, uti et vera hujus mali cauſſa, metaſtaſin puta, multum adhuc habet obſcuritatis.

Neque etiam, ut quidam exiſtimant, ſemper in cauſſa eſt fomes Neapolitanus: raro enim e contrario mala haec ſcabies, ſi pura puta ipſa tinea eſt, venereis ſymptomatibus videtur conjuncta.

Noſtris his aliisque paſſim regionibus, morbo huic medentur feliciſſime mulierculae, et experimentis particulari-

 bus

bus nitentes, et arcana jactantes inaniora. Mihi, ſi de remediis his, eorumque efficacia et eventu, judicare licet, eo redit totum negotium, ut pilorum evellantur radices, et ſuppuratione modica exſtirpentur radicitus; quod quidem artis noſtrae periti cathaereticis lenioribus, lixiviis acribus, mediisve, ex victriolo et alumine paratis, efficiunt.

Pilorum evulſio fit vulſella, unguibus, vel ſola pice communi. Curatio vero ipſa tarde ſuccedit, ut medici ſaepe, diuturnitatis pertaeſi, illam relinquant imperfectam. Praeterea ſanatio illa non apud omnes conſtans eſt, multasque ſaepe operationis ejusdem poſtulat repetitiones.

Quod ad me attinet, evulſis pilis, loca infecta forti decocto centaurii minoris, in quo Mercurius ſublimatus corroſivus ſolutus eſt, rite imbuenda, lavandaque curo. Doctiſſimus quidem Celeberrimusque Duncans, libro qui inſcribitur: Medical Caſes and Obſerv. V. adfirmat, ſe puellae ſex annorum, graviter tinea capitis laboranti, cum fructu adhibuiſſe Mercurium ſublimatum corroſivum. Solvit nimirum granum unum in duabus unciis aquae fontanae, et in ea maceravit micas panis ſimilaginei, capitique impoſuit, et ter in hebdomade eadem aqua caput juſſit ablui, quo factum eſt, ut ſcabrities paullatim in plurimis locis cederet. Quoniam vero pultis crebra remotio magnos excitabat dolores, loco hujus remedii, unguenti, ex una drachma aeruginis et duabus unciis adipis ſuillae, mane et veſperi, drachmam unam, locis ſqualidiſſimis, praecepit infricare.

Eadem curationis ratio et Doctiſſimo illi et Excellentiſſimo Equiti a Murray data occaſione arriſit; ſed levari quidem et minui videbatur mali gravitas, at non conſtanter. Omni tamen induſtria diligentiaque Clariſſimi Duncansii methodum ſequens, licet pultis tam ſaepe repetita remotio valde eſſet dolorifica, quia ſingulis vicibus, radices pilorum debebant evelli, quarum tamen evulſio paullatim fiebat facilior:

nihi-

nihilo tamen ſecius Eques Doctiſſimus longum per tempus non deſtitit, laborem continuare. Sperabat nempe, omnibus pilorum radicibus evulſis, malum penitus ſublatum iri, nunquam rediturum, ſed pulte tandem ſepoſita, per cutem denuo incepit erumpere. Idem de unguento ex aerugine dicendum eſt.

Magnus Dux Florentiae arcanum, contra capitis tineam, redemit a Forzanio quodam remedium, illudque ab experientiſſimis viris probatum, poſtea divulgavit quam liberaliſſime. Conſtat autem pulvere e bufonibus, in olla bene lutata, rite in fornace torrefactis; qui antequam adhibetur, caput adipe ſuilla probe eſt inungendum, dein pulvis inſpergendus, tandemque veſica ſuilla, aqua macerata, ſuperimponenda faſciaque firmanda eſt. Quo facto, elapſo viginti quatuor horarum ſpatio, caput totum uniforme purum (unie) absque vitio et dolore fore, dicunt.

Cujus remedii, tanto pretio emti, ſumma mentis attentione adhibendi bis mihi data eſt occaſio, ſed ſpes me feſellit. Nam veſica et cruſta ſub illa concreta, pulvereque bufonum remotis, omnia quidem videbantur uniformiter pura, tineaque profligata et exſtirpata, at in ima cute apparuit tenuis, pruriens, albida ſplendens cruſta, quae quatuor praeterlapſis diebus coepit humeſcere, paucisque aliis diebus interpoſitis, tinea cum omnibus ſuis ſymptomatibus aeque ſaeviens, ac ſuperiori tempore, rediit; quod argumento eſſe poteſt, regia liberalitate emtum hoc remedium, cauſſae morbi primariae, nondum ſatis cognitae, tollendae et deſtruendae non ſufficere.

Corſius, Subcenturio, Luchoviae tunc morans, petiit a me, ut ſanarem filiolam ejus annorum ſex, quae bona alias utens valetudine, per duos et quod excurrit annos, capitis tinea, omnibusque illam concomitantibus moleſtis ſymptomatibus, vexata erat. Praemiſſis itaque demulcentibus et evacuantibus, pilos juſſi, quantum fieri poterat, reſecari,

 inun-

inungique caput adipe ſuilla, quo rite facto, ſuperinſpergebam large denſiusque pulverem bufonum, totumque caput texi veſica ſuilla, aqua macerata, et totam deligationem per viginti quatuor horas immotam et intactam relinquere juſſi. Remotis deinde omnibus, totum caput uniformiter plane purum (unie) videbatur: at in ima capitis cute conſpiciebatur ſubtilis, albore ſplendens, haud depellenda cruſta, quae poſt dies IV. humorem plorare coepit, octo autem diebus praeterlapſis, atrox et ſaeva tinea, cum omnibus pravis ſymptomatibus, eadem vi, ut ſuperiori tempore, repullulavit.

Mater itaque puellae ſollicita, negotium tam triſte ipſa ſuſcepit, partesque capitis ſingulas ordine inungere coepit olivo, quo, tinea paullulum emollita, pilos radicitus evulſit, tamque diu laborem hunc continuavit, donec a parte una, in alteram pergens, totum ſic caput depilaret. Jam vero orti, ab evulſione pilorum, dolores levem excitaverant inflammationem et exulcerationem partium adfectarum, qua lentum, craſſum et acre ſerum ſanguinis in tot bulbis radicularum pilorum emendatum eſt, humores reſidentes et tenaciores in ductibus glandularum ſebacearum immutati, attenuati et evocati ſunt, et evulſione radicum pilorum repetita, decurſu temporis paullatim abſoluta, et conſtans effecta eſt ſanatio.

Menſe Oct. 1783. rogatus ſum, ut civis hujus oppidi Krugeri filiolo insererem variolas. Puerulus erat annorum duorum, temperamenti ſanguinei, bona forma, et optima valetudine utens. Cum itaque dubitationem adferret mihi nihil, diligenter omnia egi, adhibitisque principio evacuantibus, ſecundum praecepta Excellentiſſimi Doctiſſimique viri Schulz a Schulzenheim, inciſiones feci in utroque brachio leves, id eſt, non ita alte in carnem deſcendentes, iisque fila pure variolarum macerata indidi, eaque emplaſtro firmavi ſtiptico. Die ſecundo vulnerum orae rubeſcere incipiebant,

et

et prurire; emplaſtra commutabantur, fila, pure variolarum tincta, immota remanebant. Quarto die pruritus et humor vulnerum aucti, orae autem albeſcebant. Die quinto albeſcentem in vulneribus animadverti lineam, aegrotusque puer queri coepit de doloribus in brachiis, de rigore articulorum, alarumque dolore. Die octavo morbus incipiebat cum frigore per vices et calore, qui cum pruritu cutis deſierunt. Jam geſtus pueri erant ut ebrii, pandiculabatur, et in ſomno pavore concutiebatur. Die decimo pulſus durus erat et plenus, cutis autem mollis et humida, id quod, dato largiori potu, eoque aquoſo, pergebat. Die tandem undecimo numeroſae variolae efflореſcebant, octoginta enim numerabamus. Nunc vero omnia ſymptomata, die octavo aegroto tantopere moleſta, parentes vero hucusque anxios et ſuſpenſos detinentia, minuebantur. Die duodecimo puer, calidioris complexionis, variis crepundiis, quibus delectabatur, in lecto continebatur. Diebus ſequentibus magnopere lecti calorem commendavi, quantum puer cogi poſſet, itemque diaetam vegetabilem, potumque aquoſum largiorem, imperavi. Undevigeſimo et vigeſimo die aegrotus remediis antiphlogiſticis purgatus eſt, et viceſimo primo die perfecte abſoluta eſt curatio.

Sic methodo Clariſſimi Schulz a Schulzenheim, cui nulla alia par, meliorve exiſtimanda, et calore, trecentis quadraginta uni infantibus inſevi variolas, exitu longe feliciſſimo, cum, ne unico quidem excepto, convaleſcerent omnes. Huic digreſſioni facile, ut ſpero, quisque dabit veniam, quoniam quidam, quorum ad ſcientiam haec pertinent, non obſcure ſignificabant, tineae capitis, duobus annis poſt, ſecutae, proximam cauſſam eſſe poſſe inoculationem variolarum; quibus autem tunc quidem temporis, nihil, niſi contemtum tacitum, opponere potui. Puer nempe iſte ſucci plenus, elapſis annis duobus, quibus incorrupta uſus erat ſanitate, capitis tinea adeo adfectus eſt, ut ne una quidem

quidem capitis particula, pilis tecta, ſupereſſet, quae tinea non obducta fuiſſet. Poſtquam initio evacuantia, ſanguinemque purificantia, interna, ſine ullo fructu, malo oppoſueram maligno, media quoque externa itidem fruſtra erant applicata; et hic ſumma animi attentione pulverem illum bufonum Italicum, uti, ut ſupra dixi, apud Korſiam virginem feceram, adhibui. Sed eventus aeque parum mihi fecit ſatis. Horis enim XXIV. elapſis, bufonumque pulvere remoto, caput totum plane uniformiter purum (unie) eſſe videbatur, in ima tamen cute apparebat ſubtilis illa, albore ſplendens, pruriens, rodensque cruſta, quae poſt dies quatuor incipiebat humorem ſtillare; praeterlapſis autem diebus octo, tinea capitis cum omnibus ſuis cruciantibus moleſtiis aeque ſaeviens, ac antea, rediit. Jam omnes vias perſequutus eram, ſeu omnia remedia, quae ego quidem cognoveram, et in hunc uſum parata et tradita acceperam, ad contumax hoc malum tollendum, tentaveram, praeter diram et horrendam picationem, *Pechhaube*, quam, quia, ut Excellentiſſimus Doctiſſimusque Eques Acrelius dicit, non ſemper ſalutarem effectum producit, et quoniam cum evulſione radicularum pilorum, quae ſine ſummo dolore fieri nequit, conjuncta ſemper eſſe debet, in honorem et laudem Chirurgiae ſempiternam, aut evitare, aut lenire exoptabam maxime.

His tam gravibus argumentis motus, ſecuram lenioremque attenta meditatione quaeſivi, ſanandi hoc malum, methodum, ſtudium et curam convertens eo, ut horroris plena operatio, quae, ut demonſtravi, non ſemper certam medelam affert, ſcilicet picatio dolentiſſima, plane poſſit rejici et proſcribi. In hunc finem igitur elegi Gummi Ammoniacum in aceto, ad ſpiſſitudinem emplaſtri, coctum, illitum corio ea craſſitie, ut haec cultri dorſum aequet. Hoc, capillis in totum abraſis, capiti impoſui, ita tamen, ut tria emplaſtra, quo commodior eorum eſſet remotio, totum caput tegerent.

Haec

Haec emplaſtra per totas quinque hebdomades immota ita manere volui; gaudensque interim animadverti, puerum paullatim fieri adſpectu et colore meliorem, vegetiorem et hilariorem.

Finita hebdomade V. emplaſtra detraxi, locisque, quibus nondum reſorpta erant, capillos, ſub tegmine emplaſtrorum interim natos, ſubtili vulſella ſecui, emplaſtris dein remotis vidi, totum caput ab omni tinea mundatum et perfecte conſtanterque ſanatum.

Id quod argumento eſſe poteſt, viribus Gummi Ammoniaci emollientibus, prolicientibus et evocantibus, ſerum ſanguinis, topice in radicularum pilorum bulbis, absque earumdem evulſione, correctum, tenaces et ſtipatos in ductibus glandularum ſebacearum humores ſeparatos, capitis tranſpirationem promotam, omnesque cauſſas topicas, capitis tineam producentes et alentes, perfecte deſtructas eſſe et exſtirpatas.

CONTINUATIO

Obſervationum de tinea capitis.

Menſe Martio anni 1788. civis quidam et faber ferrarius hujus oppidi, nomine Piper, petiit a me, ut filiolam ejus, annorum ſex, liberarem a capitis Tinea, qua jam a novem menſibus graviſſime erat vexata, cuique multa parentes remedia, ſed fruſtra, applicaverant.

Totus autem vertex capitis foeda, glutinoſa, ſicca, gilva, paullulum albeſcente cruſta, palmae magnitudine, obductus erat, quae ſcalpta, humorem ſeroſum fudit.

Hanc cruſtam glutinoſam duramque fricari juſſi fortiter unguento nutrito, quo non modo emollita eſt, verum ex parte etiam poterat removeri. Sub cruſta cutis vehementer tumebat, et adſpectu inſtar panni craſſi villoſi et hirſuti

 erat,

erat, colorisque fulvi. Jam vero non in eo commorabar, ut uſu remediorum internorum corrigerem prius humores, propterea quod, uti conſtat, in locali hoc caſu metaſtatico, ſemper ſine fructu adhibita ſunt: ſed ſtatim totam capitis partem, tinea obductam, emplaſtro texi de Gummi Ammoniaco, in aceto ad emplaſtri ſpiſſitudinem cocto, et ſuper corium extenſo, ita ut craſſities latus cultri averſum aequaret. Quod emplaſtrum, totas quinque per hebdomades, ut immotum capiti inhaereret, nec loco turbaretur ſuo, ſerio praecepi; magnaque interim cum voluptate animadverti, pallidum puellae colorem paullatim fieri vegetiorem et adſpectu hilariorem.

Remoto emplaſtro, capillos, ſub illo interim natos, locis, quibus non reſorptum erat, vulſella reſecui, laetusque perſpexi, caput tinea plane liberatum eſſe, perfecteque ſanatum. Quo exemplo non levi iterum, haud dubie, probatur, Gummi Ammoniacum, vi ſua emolliente ſtimulanteque, cauſſam primariam topicam huius foediſſimi mali penitus deſtruere, et ſpecifice ſanare.

Hanovera Erlangam miſſ.
d. 24. *Mart.* 1789.

OBSERVATIO XVIIII.

Dn. OTTONIS JUSTI EVERS.

De

Morbis uteri.

Multis illis variisque morbis, quibus ſolus ſexus ſequior obnoxius eſt, miraculoſum hocce naturae inſtitutum, quo genus humanum propagari voluit, ipſa ſcilicet ſaepiſſime

ſime conceptio et generatio hominis, et quae his conſectaria in nonnullis ſuccedere poſſunt, originem dant et abundantem praebent ſcaturiginem. Experientia autem edocemur haud raro, cauſſas horum adfectuum, feminis propriorum, adeo frequentium, in *morbida* latere *matrice*, et ab illa oriri maxime, et ali.

Obſervatorum ergo et naturae curioſorum omnium intereſt, ſi, ut perneceſſarium eſt, in naturam ejusque leges inquirere ſatagunt, quantum fieri poteſt, inveſtigare, cognoſcere et penitus perſpectas habere has internas, occultas easque ſonticas profecto cauſſas, quae generationi et propagationi generis humani ſat frequenter impedimento ſunt. Tum enim demum Medico continget, tam eſſe felici, in foeminis, aetate florentibus praeſertim, internas cauſſas topicas ſterilitatis accidentalis, uti et abortus, cognoſcere, et ad tranquillitatem conſervationemque integrarum familiarum remedia adhibere maxime idonea.

In obſervationibus quidem meis Medico-Chirurgicis, quas nonnulli magni nominis judiciique Germaniae Medici aequiſſimo ſuo adſenſu probarunt, aliquot ſaltem ejusmodi cauſſas, felici eventu a me ſublatas, data occaſione protuli in medium, quae vel conceptioni, vel perfectae foetus efformationi, plane erant contrariae. Quae cauſſae, cum ſuis ſymptomatibus, ex parte quidem tactu cognoſci et definiri poterant: at in tanta earum varietate non ſemper, neque ratione ſemper firma, id fieri poteſt. Tum vero, ubi omnia nobis videbuntur obſcuriora, uti id in cognitione plurium morborum humani corporis obvenire ſolet, in tanta caligine, fundamentum illud commune ſyſtematis Medico-Chirurgici, *ratio* ſcilicet *et experientia*, facem nobis praeferat neceſſe eſt, et judicio noſtro ſubveniat, ad naturae vias quam diligentiſſime inveſtigandas, ſedemque et cauſſas mali detegendas.

Menſe Julio MDCCLXXXVI., Wenzii, civis Wuſtrovienſis, uxor honeſta, annorum fere XXV, temperamenti ſanguinei, ſed corpore gracili, rogavit me, ut ſanitati ipſius, ſaepius minus proſperae, conſulerem. Tertio abhinc anno nupta fuerat, et ante, et poſt nuptias ſaepe morbis laboraverat. Facies pallida erat et tumidula, pulſus tenuis, appetitus deficiens, poſt prandium et coenam plerumque flatibus vexabatur, regio circa ventriculum turgida, ad alvi tarditatem accidebant gravitas capitis, ſomnus levis, reſpirandi difficultas, menſes admodum inordinati, mucoſi et ſpaſmis conjuncti. Praeterlapſis poſt nuptias aliquot menſibus, praegnantem ſe ſenſit, ſed dulcis et grata fauſti puerperii ſpes, tribus menſibus poſt, abortu triſti perdita eſt; de quo autem, quoniam me tunc temporis nondum conſuluerat, vix ſatis certo novi, quae placentae forma fuerit, et quae praeterea acciderint, excepto hoc uno, quod, magnam haemorrhagiam ſequutam eſſe, mihi dictum ſit.

Poſt quem tam periculoſum caſum, aegrota melius ſeſe habere videbatur, hincque parum ſollicita fuit de praecavendis, quae ſuccedere poſſent, malis conſectariis. At peractis ſic VIII. menſibus, iterum abortum paſſa eſt, cum vehementibus ſpasmis. Jam vero nunc in ſollicitudinem ſummam adducta, diligentius attendere, et accuratius de rebus ſuis cogitare coepit, neque ita multo poſt, auxilium meum poſtulavit. Purgatio menſtrua, quae a ſuo ordine et a qualitatibus ſuis plane receſſerat, caſus hujus cauſſas ſatis aperte et accurate demonſtrabat. Si quis enim modum rationemque excretionis hujus, mulieribus propriae, ex phyſiologia recte cognoverit, ſimulque diligentiam adhibuerit, in cauſſis morboſorum horum caſuum explorandis et perſpiciendis, eum quoque non fugiet, humores corporis noſtri talibus conſtare particulis, quae, ſi tardius, vel plane non moventur, mutuo ſeſe attrahunt, et vi iſta in corpuſcula abire poſſunt et formas, quae minus magisque cohaerent, ex qua congelatione

latione et concretione, et fluidorum mixtione ſic alterata, non niſi agmen morborum infauſtum procreari poſſe, certiſſimum eſt.

Simulac nimirum particulae iſtae minutiſſimae, a quarum mixtione humorum in corpore noſtro circuitus facilis, et per minima vaſcula capillaria tranſitus, dependent, majorem inter ſe obtinuerunt cohaeſionem, ſeu juſto propius ad ſe invicem acceſſerunt, et mutuo quaſi vinculo ſe invicem amplectuntur, neceſſario in ipſis hiſce vaſis accumulabuntur, ad motum quippe progreſſivum tardiores craſſioresque factae, et denique, polyporum inſtar, non ſolum in vaſis capillaribus ob craſſitiem hanc haerebunt; ſed et in ipſis magnis vaſis, vena cava praecipue, jugularibus, pulmonalibus, vel in omnibus cavis corporis, inde maſſae, ex lento, pituitoſo et mucoſo humore concreſcente, naſcentur.

Ad has cauſſas igitur removendas, media hic eligenda ſunt maxime idonea, quorum ſcilicet partes ſubſtantiales valent, craſſiores praeter naturam, et tenaciores mucoſosque humores cohaerentes, et quaſi congelatos, ſejungere et diſſolvere, ut in minimas illas partes extenuentur, ex quibus antea conſtabant, eoque redigantur, ut quam maxime formam induant globoſam, qua celerrime moveri, protrudi poſſint et propelli.

Praeſto itaque huic fini ſint media convenientia, et praecipue in hoc caſu locali, reſolventia, ſtimulantia et antiſpasmodica. Qua proprietate gaudet certe Bella donna. His innixus ratiociniis, exhibui aegrotae, altero quoque die, ſub veſperam quinque hujus plantae grana, totidem mixta gr. rhabarbari. Quo facto, ſtatim excretiones per ſedes, ante haec rariores, perque urinam largiores ſequutae ſunt: febris quoque levis acceſſit.

Hoc modo, ſi recte judico, diſſolutio ſanguinis mucoſi, in arteriolarum extremitatibus matricis haerentis torpeſcentisve, effecta, et cauſſa primaria mali paullatim fugata eſt.

Poſtquam remedia illa, eo, ut dixi, modo, hebdomadibus VIII. nondum plene conſumtis, adhibita erant, periodica purgatio, juſta ſua qualitate et quantitate, ſuoque tempore, ſequebatur, et aegrota vigore viribusque adeo firmata eſt, ut omnem medicamentorum uſum omitterem.

A. MDCCLXXXVI. menſe Octobri, rurſus bonam habebat ſpem de felici partu, nec falſo. Votis enim res ipſa reſpondit adeo, ut, toto hoc geſtationis temporis ſpatio, nulla medicina, niſi venae ſectione unica, egeret, atque menſe Julio maritum ſuum magno adfecerit gaudio, filiolo nato ſano et forma pulchro, qui, cum haec ſcribo, ſex aetatis hebdomades complevit.

Sic laeta omnium recordatio, Medico, quacunque potuerit ſcientia, ſtudio et facultate, divina benedictione auſpice, propagationem familiae civitati utilem promoventi, triſtes iſtas moleſtasque horas, quae medicinam practicam ſaepius comitantur, aliquo modo compenſat.

P. S.

Perfecte abſoluta haec ſanatio optimum habuit ſucceſſum: nam familia, de qua ſupra dixi, jam MDCCLXXXVIII. nata ſana, pulchraeque formae filia, aucta eſt, quae vero haemorrhagia, et ſymptomatibus, a funiculo umbilicali non ſatis firme deligato obortis, decimo vitae die extincta eſt. Vehementer autem optandum eſſet, ut recens natorum tenera corpora, primis poſt nativitatem horis, non ſtatim, ut pro more fieri ſolet, faſciis involverentur et conſtringerentur, ſed potius calidis tegumentis et pulvinaribus foverentur; ſic enim facilius multo, meliusque et ſecurius ſanitas illorum obſervari, triſtiſſimique hujusmodi et miſerandi caſus animadverti poſſent et evitari.

Lüneburgo Erlangam miſſ.
init. Sept. 1789.

OBSER-

OBSERVATIO XIX.

Dn. D. CONRADI ANTONII ZWIERLEIN.

SISTENS

Effectus aquae Sinnbergenſis, juxta Bruckenavium, in terris Fuldenſibus.

I.

Examine chemico in aqua *Sinnbergenſi* detegitur ſal alcalinus, terraque ſelenitica. Parum ſpiritus mineralis ſeu aëris fixi continet haec aqua. Tota analyſis et reactiones chemicae, cum aqua iſta inſtitutae, in libro *), de fontibus medicatis *Bruckenavienſibus*, a me edito, uberius expoſitae leguntur.

Aquae Sinnbergenſis virtus in eo praecipue conſiſtit, ut obſtructiones reſeret, vaſa minima penetret, blandam tranſpirationem, imo ſudorem, uſu continuato, excitet, urinam pellat, alvumque moveat. Acrimoniam, imprimis acidam, ventriculi corrigit optime, lentamque reſolvit pituitam. In vias urinarias, vix hauſta, agit efficaciſſime. Perſonae temperamenti, utut irritabilis, aut ſenſibilis, aquas minerales quaſcunque reſpuentes, non tantum ſine omni incommodo, ſed felici quoque cum ſucceſſu bibunt Sinnbergenſem. Ex hiſce facile colligere licet, quibus in malis aqua Sinnbergenſis conducat. Praeſentiſſimum autem adfert levamen in affectibus hypochondriacis et hyſtericis, haemorrhoidalibus, lithiaſi, fluore albo, glandulisque obſtructis. Inter anthelmintica non ultimum tenet locum; aſcarides prae caeteris celerrime necat expellitque. Praeterea effectum adhuc praeſtat ſane mirum, nempe mercurium, in corpore diutius jamjam latentem, altiusque ſepultum, teterrima ſaepius ſymptomata excitantem, eruit, et totum quantum e corpore expellit.

Hunc

*) *Abhandlung* über die *Geſundbrunnen bey Brückenau.* Fuld. 1785. Seite 40. und 85.

Hunc effectum *aquae Sinnbergenſis* anno 1776. clariſſimus Weikard *) primo obſervavit. Per quatuor annos ego plures hoc de effectu collegi obſervationes, quarum unam ſolummodo, memoratu dignam, heic ſincere recenſebo.

Vir 50. annorum multis jam abhinc annis vehemente cephalalgia, vertigine frequente, arthritide, ac tremoribus vexabatur continuis. Leviore inſultu apoplectico jamjam bis erat correptus. Nec motione corporis, vehementiſſimo quanquam ſolis aeſtu, nec medicamentis ſudoriferis quoque adhibitis, unquam elicere ſudorem poterat aegrotus. Quanquam varii in auxilium vocarentur Medici celeberrimi, variaque ab illis medicamina praeſcripta ſumerentur, nulla tamen ſpes ſanitatis recuperandae miſero affulgebat. Anno 1785. medicatos vir ille inviſebat fontes noſtros. Hiſtoria morbi longe lateque mihi enarrata, medicamina mercurialia corpori, ob malum venereum, ante plures annos copioſius intruſa, adhucdumque inhaerentia, cauſam diri morbi veram conſtituere mihi videbantur.

Ad morbum nunc crudelem ab imis radicibus extirpandum, neceſſe duxi, medicamenta mercurialia, ſomno quaſi ſopita, e latebris ſuis protrahere, atque ex corpore profligare.

Aqua igitur Sinnbergenſis, in hoc caſu ſat efficax mihi viſa, commendabatur. Primo die lene aegrotanti porrigebatur laxans. Sequentibus ſingulis diebus, ex ordinatione mea, vir potabat aquae Sinnbergenſis menſuram unam, aſcendendo poſtea usque ad menſuras duas et ultra, ſimulque balneo, ex aqua *Wernarcenſi* tepida, quotidie utebatur. Intra balneum capiti lintea imponebantur frigida Bruckenavienſi madida, ut humorum ad caput impetus (id quod plerumque efficit balneum) arceatur, minuatur, ſimulque caput roboretur. Sic per tres hebdomadas aquae Sinnbergenſis balneorum-

*) Einladung zur Kur auf das Jahr 1777. an den Kurort bey Brückenau im Fuldiſchen. Fuld. 1777. Seite 9.

neorumque uſus continuabatur, interpoſitis laxantibus lenioribus.

Primis jamjam diebus parca evocabatur tranſpiratio, quae gradatim ad largiorem usque ſudorem augebatur. Hacce methodo et ſymptomata paulatim mitiora fiebant, donec tandem poſt tres hebdomadas plane evaneſcerent.

Roborandi ſcopo nunc Bruckenavienſi aqua, tam ad potum, quam ad balneum, per quatuordecim dies adhucdum utebatur vir, ſanusque laetusque domum iter ſuſcepit.

II.

Aquae Sinnbergenſis efficaciam in lithiaſi demonſtrat ſequens obſervatio.

Pater Philadelphus, Religioſus Fuldenſis, annorum 68. habitu corporis pinguedine turgido donatus, variaque craſſi et obeſi abdominis fata jam perpeſſus, 1786. ad noſtros veniebat fontes, meum implorans auxilium. Ob varia pectus afficientia ſymptomata, morbum erronee dijudicaverant Medici, adeoque medicamentis minus convenientibus male tractaverant, veram mali cauſam haud indagantes, quae in abdomine latitabat, pulmonesque duntaxat per conſenſum afficiebat. Cauſa, in viis urinariis haerens, partesque remotas per conſenſum irritans, ſat innoteſcebat mihi, in ſtatum morbi diligentius inquirenti.

Praemiſſis quibusdam congruis medicaminibus, Sinnbergenſem, efficacia ſua in ejusmodi malis probe notam, ac pluribus obſervationibus comprobatam, Religioſo praedicabam. Per tres aut quatuor hebdomadas Sinnbergenſem liberalius potabat aegrotus, et felicior methodi medendi, a me immutatae, eventus opinionem meam, de morbi cauſa ſuſceptam, omnino comprobavit; etenim intra hoc tempus ſucceſſive *quinquaginta* minores *calculos*, duros ac rubros,

per urinam absque omni moleſtia Pater Philadelphus excernebat, ex quo nunc valetudine fruitur integerrima.

Calculus renum et veſicae heic atque in locis vicinis longe rariſſime obſervatur, licet ad hunc morbum producendum alimenta, in noſtra regione uſitata, multum conferant. Annon in aquis mineralibus noſtris, queis totius regionis incolae per totum annum utuntur pro potu ordinario, hujus ratio ſummo jure quaerenda ſit? et eo magis id conjicere licet, cum inter Medicos, praeſertim Britannos, conſtet, *aërem fixum*, quo abundant aquae minerales noſtrae, et ſalem alcalinum, peculiari virtute gaudere lithontriptica, uti aqua thermarum Carolinarum argumento eſt. Sic clariſſimus Archiater *Kämpf* *), ad eundem ſcopum, commendat aquas minerales, Fachingenſes, Carolinas, Embſenſes et Selteranas. Idem teſtatur Home **) de aquis praecipue, quae ſalem alcalinum continent.

OBSERVATIO XX.

Dn. D. ERASMI LUDOVICI WERNBERGER

Circa geneſin caerulei Berolinenſis.

Puteus publicus, in foro urbis liberae imperialis Windsheimenſis, a longo jam tempore proſtans, propter aquae, quam continet, impuritatem, ab incolis neglectus, ſuperiori anno purgabatur, et ab 80. pedibus ad 94. uſque excavabatur; qua occaſione argilla martialis, griſea, indurata, mica paſſim intertexta, nec non pyrites mineraliſatus, inde educebatur. Etiamſi ſcaturigo, ſtudioſe quaeſita, nova non reperiretur, nihilominus tamen aqua, intra Menſis unius ſpatium ſenſim

*) Enchiridium medicum. Francofurti et Lipſiae. 1778. pag. 131.

**) Principia Medicinae. Editio tertia. Amſtelodami. 1766. pag. 255.

ſenſim ibi collecta, ad 15. pedes uſque aſſurgebat; quae turbida quidem, nigricans, ſalſa, heparque ſulphuris ſpirans, mora autem, ac, mediante ſubſidentia ſpontanea, pulvere ſubflavo ſeparato, clarior hinc evadit, atque in ſuperficie ſua cuticulam ferrugineam, iridi ſimilem, contrahit. Dicta aqua, paludoſa, ſtagnansve, modo hauſta, cum gallis turcicis laete purpuraſcens, et cum lixivio ſanguinis promte caeruleſcens, libero aëri per aliquot dies jam expoſita, neque purpuraſcit amplius, neque caeruleſcit cum dictis reagentibus; ſuperadditis vero nonnullis acidi mineralis guttulis, ſtatim colores iterum oſtendit conſuetos: certiſſimo ſane indicio, ad *atramentum nigrum* aeque, ac ad *caeruleum Berolinenſe*, *gignendum*, et *manifeſtandum*, ſi adfuerit maſſa, ſeu miſcela, quaedam, huic ſcopo conveniens, ſi non ex una eademque cauſſa, aut ſemper plane eodem modo, acidum ſaltem tamen, et quidem neceſſario, requiri.

Absque dubio acidum vitrioli volatile, (ſub aëris hepatici nomine hodie comprehenſum?) admodum laxe cum particulis terreo-martialibus cohaerens, hincque facillime difflandum, in caſu ſubſtrato, enarratorum phaenomenorum continet rationem.

Quanquam lixivium ſanguinis, cum acido minerali combinatum, ad caerulei berolinenſis geneſin ſolummodo ſufficiat, ideoque decantata illa mineralia, nec non metallorum ſolutiones, quae a Chemicis paſſim adhiberi *ſimul* ſolent, ad augendum volumen magis, lucrique cauſſa, addantur, quam quod modo dicta proprie ad coloris eſſentiam ſymbola conferant; nihilo ſecius, ex oppoſita tamen parte, non obſtat, quo minus ſuperaddita quoque adſtringentia vegetabilia caerulei berolinenſis praepediant productionem, ut potius ejusdem et copiam, et pulchritudinem, mire promovere atque exaltare valeant.

Atramenti nimirum ſcriptorii conſtantiſſimus nigror coracinus, addito lixivio ſanguinis ſtatim alteratus, ac pro re

M 2 nata

nata abolitus, per acidum *Nitri*, lege artis ad ſaturationem uſque inſtillatum, mox in elegantiſſimum colorem caeruleum vertitur!! qua occaſione ſimul evenit, ut fragmenta gallorum turcicarum, in atramento adhibito contenta, nigerrima viſa, nonſolum colorem priſtinum naturalem reaſſumant, ſed etiam, cum vitriolo mortis invicem tractata, atramentum nigrum denuo conſtituant.

OBSERVATIO XXI.

Dn. D. ERASMI LUDOVICI WERNBERGER.

De

Urina caerulea.

Urina caerulea, ut ut perrara, ideoque in dubium paſſim vocata, vere tamen talis in rerum natura interdum exiſtit. *) Liceat mihi igitur, pro aſſerti hujus probatione, obſervationem illuſtrantem cum Eruditis communicare.

Vir quadraginta ſex annorum, temperamenti ſic dicti cholerico-melancholici, caelebs, probus, caſtus, ſtrenuus, vitae ſedentariae, ac librorum lectionibus deditiſſimus, cibosque ſimul difficulter digerendos in deliciis habens, per quatuor abhinc annos cachexia icterica laborans, Menſe Junii 1780. praecedente horripilatione in febrem validam, anxietate, agrypnia, aſthenia, meteoriſmoque ſtipatam, incidebat. Oculorum tunica albuginea, hactenus ſubflava, lurida nunc conſpiciebatur; hypochondrium dextrum, tumefactum durumque, leviſſimum prae dolore acutiſſimo non amplius ferre potens attactum, decubitum ſolum ſupinum, eumque horizontalem tantum, permittebat; pulſus erat omnimode inaequalis, ac intermittens, perquam celer, debilis-

*) Conf. *Cl. Weſtendorff*, *im neuen Magazin für Aerzte*, *ab ill.* BALDINGERO edit. Vol. I. p. 299. ſeq.

bilisque; reſpiratio parva, frequens, et lingua ſqualida, radicem verſus ſubfuſca, una cum anorexia, ſitique clamoſa, obſervabatur.

Data appropriata antibilioſa, antiſepticis maritata, evacuantia ingentem primo materiae atrabilariae, foetidiſſimae, fermentantis, copiam, ſummo cum aegroti levamine, ſymptomatumque notabili remiſſione, deorſum eliminarunt; quae, diutius continuata, phaenomenorum, hucuſque maxime ominoſorum, agmen feliciter demum clauſerunt.

Lotii, in ipſius febris candentia miſſi, vitroque urinario immediate, et perquam ſcrupuloſe, excepti, hypoſtaſi lateritia larga gaudentis, color quotidie, et per integram exin ſeptimanam, perfecte *cyaneus* conſtansve obſervabatur!! Poſtea autem urina iterum crocea reddebatur; quae quoque ad finem uſque vitae Noſtri, tabe demum conſumti, per 2. fere annos, ſemper talis permanſit.

Cadaveris ſectio non concedebatur; quapropter, qualis capſularum atrabilariarum, in producenda forte urina caerulea, fuerit habitus? edicere haud valeo.

Interim nonnulla de origine urinae caeruleae, ejusque ſedimenti, ſimiliter tincti, legi poſſunt, in *perill.* Delii tractatu, *vom Preuſſiſchen Blau, und der Blutlauge* p. 56. Atque vero ſimillimum videtur, putredinem quandam bilioſam inprimis, in corpore aegroto adfuiſſe, et inde alcali volatile exortum, ex quo, accedente, quocunque demum modo, acido, materia caerulea manifeſtata fuit. Ut itaque praecedens obſervatio quoque huic phaenomeno explicando lucem quandam afferre queat.

 OBSER-

OBSERVATIO XXII.

Dn. D. ERASMI LUDOVICI WERNBERGER.

De
Ventriculo biloculari.

Cum obſervationes certae, per ſimiles alias rite confirmatae, unanimi phyſicorum ſuffragio, eadem gaudeant dignitate, ac nova quaevis experimenta; ſpero fore, publicum Eruditorum, hoc reſpectu, praeſentem quoque qualemcunque de *ventriculo biloculari*, a perilluſtri Praeſide inclytae Academiae Caeſareae Naturae Curioſorum, Delio *) nec non a Cel. Heistero, **) ſcite olim conſignatam, parallelam obſervationem, non plane dedignaturum eſſe.

Vir ſexagenarius, litteratus, perfecte alias ſanus, purus putus phlegmaticus, ebrius ex convivio redux, ventriculum, epulis refertum, vehementer impingit ad temonem, quoinde varia ſtatim incommoda, viſu levidenſia, in regione ſiniſtri potiſſimum hypochondrii, ſenſit, quae tamen, intra unius circiter luſtri ſpatium, ſub variis et mire variantibus viciſſitudinum exacerbationibus, febre anomala comite, obſtipationeque, flatulentia, nauſea et vomitu, in cachexiam ſenſim, diriſſimamque hypochondriaſin, degenerarunt. Multum jam multaque incaſſum adhibita fuerant, cum a me, periclitans, demum aegrotus quoque flagitaret auxilium. Conſilio in arena capto, utiliſſimum ante omnia eſſe judicavi, leniter ſolventia, ſic dicta ſaponacea, eccoprotica, abſtergentia et antiſpaſtica, in conſortio diaetae appropriatae, caute tentaret, diuque hiſce continuaret. Praeter ſpem omnem exſpectationemque notabilis mox ſymptomatum remiſſio, et paulo poſt ipſa fere in integrum reſtitutio ſubſequuta eſt; ſola

*) Nov. Act. Natur. Curioſ. Vol. VI. p. 10.

**) Act. Nat. Cur. Vol. X. p. 53.

la tantum vomituritione, et ſpaſtica quadam ſenſatione in hypochondrio ſiniſtro, poſt paſtum ſuperſtite.

Mucum viſcidum, atra bile maritatum, ſuſpicatus, medicinae internae ſulphur antimonii auratum, parca manu, et ſcopo tantum reſolvente, ſuperaddidi; at, prima doſis, ſurſum ſtatim ac deorſum, materiam foetentem, craſſam, nigram, roob ſambuci adinſtar, quanquam inopinato, cum ſummo tamen aegrotantis levamine, evacuavit. Sumtae, alio tempore, aliae hujus 8. doſes ſimilem ſemper effectum laudabilem praeſtiterunt. Sufficienter nunc expurgato ſyſtemate gaſtrico, tonica, motus corporis, aër campeſtris, regimenque diaeteticum ſtrictiſſimum, amiſſam reſtituerunt ſanitatem, reſtitutamque confirmarunt.

Orta noviter, ex aegroti incuria, indigeſtione, recruduit vomitus; quo ejiciebatur initio juſculum rubellum, modo ſumtum, e fructibus cynosbati paratum; poſt horae autem dimidiae intervallum, radix quoque ſcorzonerae integra, qualem ante 6. dies comederat, puraque ſimul, ac ſine ullo rubedinis, a dicto juſculo, veſtigio. Quod phaenomenon plane ſingulare illico me induxit, ventriculi, ſi non divaricationem ipſam, ejusdem ſaltem fabricam admodum perverſam, tacite praeſumere. Diaeta negativa, roborantiumque continuatus uſus, rebellem huncce vomitum denuo cicuravit, labilemque valetudinem ita communivit, ut inſtituendis itineribus, et laboribus officialibus ſubeundis, Noſter par eſſet.

Sanitas optima, per plures menſes laete jam virens, ira vehementiſſima iterum ita turbabatur, ut nonſolum ominoſus ille vomitus niger ſponte protinus rediret, ſed et convulſiones clonicae univerſales, letales, ſimul accederent, quae miſerum, atrociſſimis angoribus conſumtum, poſt 12. circiter demum horas trucidarunt.

Abdomen externe lividum, tympanitice inflatum, facta inciſione, multum aërem mephiticum eructans, ichore nigrican-

gricante, perquam cauſtico, duodecim libras medicinales ponderante, repletum, et omentum paſſim gangraenoſum deprehendebatur. Tubus inteſtinalis erat integer, veſica urinaria vacua, ſanaque, glandulae meſentericae quoque incolumes; cyſtis fellea autem, bilis loco, humore gelatinoſo, excolore tantum referta. Hepar cinereo-flavum quidem, ſolitoque majus, minime tamen induratum aut ſuppuratum; lien contra vero monſtroſe extenſum, cicatriſatum, et friabile reperiebatur. Vaſa brevia integra erant; aſt cruore corrupto infarcta nimis, atque dilatata. Ventriculus collapſus, qualibet preſſione materiam atram ſubter orificium ejus ſiniſtrum, mire extenuatum, pone arcum majorem, nonſolum ex foraminulis permultis, ibi exiſtentibus, ſed et ex rima quadam transverſa peculiari, quinque lineas aequante, (absque dubio per aſſiduum vomendi conatum noviſſime cauſſata,) largiter fundens, craſſiſſimae hujus maſſae libram adhuc unam continebat. Tunicae inſuper, villoſa, nervea, muſculoſaque ab alia membranoſa, a dicta plaga deorſum ad ventriculi interni medium uſque, perfecte ſolutae deprehendebantur. Ex coalitis hiſce tribus prioribus, ſurſumque directis, ac margine calloſo donatis, membranis, novus quaſi — ventriculus, in ventriculo, conſtitutus, ciborum indigeſtorum rudera adhuc dum recondebat!! —

Quod reliquum eſt, Lectoribus ingenuis dijudicandum lubens relinquo: unde cicatrices illae venerint in liene, nec non perverſa haec ventriculi conformatio? An congenita fuerit, aut potius, uti videtur, adquiſita, per vim externam, puta, contracta?? —

Windshemio Erlangam miſſ.
d. 17. Mart. 1789.

OBSER-

OBSERVATIO XXIII.

RELATIO
Dn. IGNATII A BORN.

De
Aurilegio Daciae Transalpinae.

Aurilegium noſtrum Dacicum non differt a communi. Inſtituitur *lotione*, aut *alutatione*. Auriferax Tranſilvaniae ſolum, praecipue ſterilis aridaque illa montium regio, in cujus ſuperficie nihil gignitur, hodie usque fluvios ſuos, rivulos, fontesque omnes auro ditat, exſiccatis jam Tagi, Padi, Hebri et Pactoli aureis arenis, quae decantatae olim metallum amplius nullum fundunt, aut ſpei quaerentium non reſpondent. Deponitur auro mixta glarea ad ſinuoſas fluminum ripas, ubi lentiori curſu aquae fluunt. Ibi aurileguli, gens pauperrima mortalium, quae ſemper fame cruciatur, quamvis, veluti ſtultum Midae votum imitata, quidquid tangit, in aurum vertat, *ſcamnum lotorium* erigunt, quod ex aſſere latiore, oblongo, declivi componitur. Veſtiunt ſcamnum hoc lanoſa pelle, aut villoſo panno, et ſtructae huic portatili machinae glaream auriferam et aquas, ſimpulo e flumine hauſtas, adfundunt continuo, donec, abrepta crebris lotionibus glareâ, pannus omnis ſabulo ſubſidente obducatur. Abluitur ſaepius pannus, reſiduum vero terreum ſuccuſſoria agitatione in vaſis ligneis, conchae in formam exſculptis, a baluce, paleisque aureis, abigunt, et abjectis vitiis, cuſtodiunt, repetuntque primum laborem, donec effoeta fluminis arena ſpem amplius nullam lucri faciat. Remanenti ſcobi addunt argentum vivum, quod, ceteras ſordes reſpuens, auri paleas colligit, in pelles ſubactas dein effuſum preſſumque ſudoris vice defluit, et aurum purum relinquit.

Alutatio alio modo peragitur. Adfertur in planitiem *Cſebe* *) abraſa, per vernales et aeſtivales imbres, a ſuperficie et venis montium *Magurenſium* **) arena aurifera, et in ſtrata mille paſſus longa, tercentum lata, et orgyam unam profunda congeritur. Lavatur ex his aurum; quod, ne temere fiat, Praefecti metallorum planitiem omnem in portiones aequales partiuntur, ita, ut pars quaevis per omnem ſtratoſae congeriei longitudinem excurrat, et latitudo tantum determinetur. Dein quivis aurilegulorum per ſtrati partem, quae ſua eſt, canalem ducit, ad cujus finem foſſam cavat. Egeſtis e canali, raſtro metallico, majoribus lapidum fragmentis, immittitur retinaculo intercepta aqua, quae continuo profluens, arenam, e parietibus ablatam, in foſſam devolvit. Reſtat alius labor. Collectas, in plena jamjam foſſa, harenas in planum inclinatum, cujus latera tabulis eluduntur, elutriant, ſubſtrato panno aſpero, aurum retinente, quem eluunt, elutia vero aqua et hydrargyro purgant. Arena, e montibus, per ſuccedentes imbres advecta, evacuatos jam canales, et foſſas, iterum replet, et poſteris novos praeparat labores.

Eſt trans *Maruſium* alia hujus generis ſtratoſa congeries, quae *Cſebeienſem*, puritate metalli, et antiquitate fodinarum, longe ſuperat, nomenque a pago *Ohlappian* ducit. Stratum hoc arenoſum, orgyam unam profundum, montem *Delnyz* verſus, ad pagos *Sebeshely* et *Rikitta* initium capit, ubi ſub ſummo ceſpite aurum eluitur; deſcendit dein per planitiem *Ohlapian*, infra laetas pagi *Szaſpian* ſegetes, nec male cuſtodiri videntur, a Proſerpinae matre Cerere, Plutonis divitiae. Rigantur arenae hae rivulo *Kopoſienſi*, cujus agros olim romanorum colonorum induſtria fontibus auxit, ad lavandum pretioſas has naturae ruinas, e jugis vicinorum montium, per invias rupes, et ſubſtratos intervallis canales, adductis,

*) Comitatus Zarandienſis.

**) Diſtrictus Körösbanyenſis.

ductis. Sed tanti laboris hodie nonniſi rudera ſuperſunt. Excitata iterum, poſt plurium ſeculorum caſus et injurias, ante quadraginta fere annos, alutatio *Ohlapienſis*, collocatos in hoc opus labores, cultoribus ſuis ſummo cum foenore redderet, niſi aquae deeſſent. Nec enim Kopoſienſis rivulus, nec imbres, nec cavata in altioribus partibus ſtagna, quae aquam a pluvia tantum recipiunt, operi ſufficiunt. Meditantur nunc incolae plures corrivationes, quae proficuas alutationi aquas ſuppeditent.

Exercuerunt in illa etiam Daciae parte, quae ripenſis dicebatur, romanorum Coloniae alutationem, cujus adhucdum veſtigia reſtant ad fines Tranſilvaniae, in valle *Mare*, prope *Ohavam*, piſtram, et Margam, et ad pagos *Verſcherova*, *Polvaſchniza*, *Purlava* et *Tumul* *). Lavatur etiam aurum e *Nera* fluvio, regionem *Almash*, quae ad aquas herculanas, ſeu *Mehadiam* ducit, a ſeptentrione in meridiem percurrente. Foecundiores eſſe fluminis accreſcentis arenas, experti ſunt aurileguli, deficientibus autem aquis, utramque fluvii ripam perquirunt. Tollunt primum caeſpitem, et argillam ad duos fere pedes perfodiunt; caedunt dein ſtratum, e rotundatis lapidum fragmentis conglutinatum, quo arena aurifera ſoluta, tres pedes alta, granis ferreis granaticiſque permixta, et lapidi arenaceo incumbens, tegitur. Infundunt aquas, cum harenis, ſcamno lotorio, ſulcis plurimis transverſis exaſperato. Reſidet in ſupremis ſulcis ferrum granulare, et ſabulum granaticum, paleis aureis gravidum, haerente circa medietatem glarea, paucis auri miculis interſperſa, devoluta ad pedem obliqui ſcamni ſterili arena. Octoginta fere *Zingarorum*, degenerae et foedae Aegyptiorum ſtirpis familiae, per aeſtatem in hac regione auri micas, per hyemem vero ſtipem colligunt.

Auri color, puritas, et palearum figura ubique variat. Deliteſcentis in arena metalli capiunt indicium ex arena fer-

*) In Diſtrictu Karanſebeſſienſi.

rea, retractoria, quae per Hungariam etiam et Germaniam aurum fluviatile comitatur. Arena haec atra, nitidiſſima, *) aeris injuriis in ochram non degenerat; acidis non ſolvitur, niſi acido ſalis nitroſo aut dephlogiſticato; liquata, methodo vulgari, non cogitur in regulum, fors, ut acutiſſimus *Poda* **) ſuſpicatur, nec ferri ſoboles.

Redimunt nobile metallum ab aurilegulis coactores regii ſtatarii, aut circumforanei, fixo per leges pretio, et plus quum octo centum pondo auri in aerarium referunt; ſed fors, quod Rheni, Danubii, Moldaviae et omnium per ditiores provincias auri ramenta volventium fluviorum fatum eſt, aurilegium in Tranſilvania quoque negligetur, cum incolae lucroſius ſeſe occupare noverint, quam ſingulas auri paleas anxie legendo.

Vienna accept. d. 4. Oct. 1789.

OBSERVATIO XXIV.

Dn. D. FRIDERICI JAHN.

De

Vſtione veterum hodienum non temere negligenda.

Ea eſt ſaeculi noſtri conditio, atque iniquitas, ut, quidquid antiquitatem redolet, alto ſupercilio ſpernat, ac fere pro nihilo prorſus ducat. Quam quidem erga priſcos contemtionem tantum abeſt, ut equidem comprobem, atque communi fere hominum noſtrorum ſententiae ſubſcribam; ut potius non poſſim non veterum medicorum in obſervando induſtriam, in deſcribendo diligentiam, in exercendo ſimplici-

*) Gravitate ſpecifica — 4167. 1000.

**) *Nicol. Poda* Addit. de mineris ferri in Continuat. altera Selectorum ex Amoenitat. Acad. *Car. Linnaei* diſſert. *Graecii* 1769. pag. 154.

plicitatem, mirari, talesque viros ſemper honoris cauſſa adpellare. Atque ego quidem cenſeo, lectionem veterum quam maxime commendandam, eamque medicis practicis etiamnum uſui et commodo eſſe. Ignorabant priſci, vel potius nondum norant illam, qua nobis gaudere licet, medicamentorum ſuppellectilem; in curandis in- et externis C. H. adfectionibus, aliam paſſim ingrediebantur viam, nec minus, quam noſtrates, perveniebant ad fauſtam felicemque coronidem. In remediis, quibus utebantur, plura ſunt, quae, jure meritoque, crebriori uſu adhuc digna videntur. Eminet in his *uſtio* illa, apud quemque de re medica ſcriptorem veterem perquam celebrata. Commendatam apud plurimos hanc, quam vocant, operationem, oblivioni tradidiſſe, certe nihili aeſtimaſſe, videntur poſteri, caventes, ne ſibi ipſis idem, quod *Archagatho* Romani, inurerent nomen. Paucis abhinc annis ſurrexit cl. POUTEAU, qui, quam fieri potuit feliciſſime, ſanavit igne et ferro. Atque tunc factum eſt, ut, quae medicamentis et manu curare non poterant, igne ſanare quidam inciperent. Elata igitur paſſim uſtio, et in priſtinam reſtituta eſt dignitatem. Fuerunt nunc multi, qui commendarent hanc per ignem operandi methodum; pauci, qui adhiberent: docuerunt plurimi, didicerunt multi, reapſe factam operationem litteris conſignarunt pauci. *)

Quae quum ita ſint, non abs re alienum eſſe puto, enarrare caſum, in quo felicem inſtitui ſanationem per uſtionem.

Vir quadragenarius corripiebatur ao. 1773. vertigine, quam, ceteroquin ſanus, nullius momenti eſſe credebat. Numquam antea laboravit vertigine, numquam (ſit fides penes ipſum!) alio quo demum cumque morbo. Evanuit vertigo, adparuerunt plures in capite, vertice, circa aures et tempora nodi ſeu tophi (*Knoten*, *Beulen*). Conſulit aegrotus medicum, qui vilipendebat hoſce; quos non ſatis noſſe

 vide-

*) Conf. tamen Cl. JOAN. PHIL. JUL. RUDOLPH Diſſ. inaug. *De uſtione cranii in epilepſia*, praeſide *ill.* DELIO defenſa, *Erlangae* 1768.

videbatur tophos. De reſtitutione in integrum lugentem refocillat aegri animum, modo utatur, quo illum uti jubebat, balſamo ſequenti:

Rec. Sapon. veneti, drachm. duas
diſſolv. in
Spirit. ſal. ammoniac. ſemiunc.
admiſc.
Balſ. ſulphur. drachm. duas.
M. d. xv. Febr. 1773.

Quo quidem balſamo, quum inungeret aeger tophos, minuebatur admodum tumor, augebatur dolor: decreſcente nodo, creſcit dolor. Conquerenti hanc rem aegroto imponit medicus continuatam unctionem. Unxit igitur porro, absque ullo tamen auxilio; reſtabant tumores minuti, reſtabat capitis dolor, fixus, punctorius, urens. — Non ita multo poſt commendat medicus aliud, quod ſequitur, unguentum.

Rec. Sapon. nigr. ℨij.
Solv. in
Spirit. juniper. ℨij.
Eſſent. galban. ℥ß.
M. d. xxvi. Jun. 1773.

Quo quum omni, ut par erat, diligentia uteretur; aeger ſenſim ſenſimque gravius audire, et penitus obſurdeſcere, coepit. Aurium dolore, ſonitu intra aures ipſas, et id genus aliis incommodis, angebatur aeger quam vehementiſſime. Acrem capitis dolorem vix et ne vix quidem ferre poterat. — Aeger nunc plures conſulit medicos, ubicumque locorum auxilium petit, invenit nullum. Sunt omnia vana!

Quae quum ita erant, vacavit totus legendis libris medicis, ſpe inductus, fore, ut in uno alterove inveniat aliquid, ad rem ſuam pertinens. Forte quaedam accepit Pouteavii ſcripta. Legenti ei de uſtione, levis ſpei aura objicitur,

citur, relegentem inflat. In ſe ipſe experiri tentatur, quid ſibi velit et poſſit haec, apud priſcos quondam, apud incultos populos hodienum, celebrata operatio. Quem ab acri humore rheumatico deducebat dolorem, facile ab internis, quo pellebat medicus unctione ſua, verſus extera urendo ducere credebat. Bene cogitatum auxilium bene exſecutus eſt. Parari jubebat ſex cylindros ex goſſypio conflatos, phalangis pollicis magnitudine, quorum binos in fronte, binos in vertice, binos in occipite poſitos, incendit. At vero ſpes eum rurſus fefellit. Quoniam nimis laxi et molles fuere cylindri; juſto citius exſtinguebantur. Hinc ſenſit levamen qualecumque; ſed parum admodum.

Relicta igitur urendi methodo, aliam praeſtantiorem reperiſſe autumabat, in pulveribus draſticis famigeratiſſimi Ailhaudii. Aſt bone Deus! miſerum antea, miſeri hi, multo miſeriorem reddiderunt! Salivae fluor, modum excedens, aegrotantis vires exhaurit penitus, ac ſtomachi reſolutio impedit, quo minus illae reficiantur. Ventriculus enim cibi non tenax fuit, et, ut Celsus ait, deſiit ali corpus, ſicque in procinctu erat, tabe conſumi. His acceſſit oppreſſio pectoris, ſudor copioſiſſimus, colliquativus: capitis dolor, ſurditas manſit.

In hoc rerum peſſimo ſtatu perſeverare oportebat aegrum, per duos, et quod excedit, annos, terentem tempus ſperando. Carebat omni auxilio, praeter ſpem, unicum miſerorum ſolatium. Vel lenis tantum aura ad caput ſpirans adducit capitis dolorem vehementiſſimum. Quid igitur nunc faciendum? — Confugit iterum, me ſuaſore, ad uſtionem, tamquam ſolum, qui ei in hoc horribili labyrintho patuit, exitum. Iterum poſuit duo cylindros, eodem quo antea modo confectos, in vertice. Bene comburuntur, bene juvant. Quo citius hoc loco abſcedit dolor, eo pejus ſaevit pone aures, ubi alii incendebantur cylindri. Diſparuit dolor, adparuit ſomnus quietus, ſuavis, reficiens. Poſteaquam

ſic

ſic dormiverat per plures horas, aurem puris liquidi plenam credidit, ac ſenſit. Digito auri immiſſo, eduxit fruſtulum quoddam, ligno emortuo haud abſimile, nucis juglandis magnitudine. Odorem ſparſit (ſic ait!) eundem, quem habuerunt balſama ſua. Educta hac qualicumque materie, ceſſit dolor, redit auditus, ſomnus, adpetitus; rediere vires, amorque vitae. Sic vixit tutus et incolumis per plures annos, haud immemor curationis ſuae, hujusque ſanationis cauſſae. Cuilibet, quem audit, aegroto ſuadere velit uſtionem ſuam, tamquam praeſentiſſimum auxilium, verum remedium panchreſtum!

OBSERVATIO XXV.

Dn. D. FRIDERICI JAHN.

De

Secretione lactis, ſine lactatione.

Notiſſima eſt illa, mammas inter et partes genitales muliebres, ſympathia, quam varii varie explicare ſtuduerunt. Equidem in praeſenti ſingulas hac de re opiniones, nec enarrare, nec dijudicare, volo, potius in eo verſans, ut adponam, mirae illius ſympathiae, brevem qualemcumque hiſtoriam.

Jenae ſtudiorum cauſſa degenti, mihi demandabatur ab ill. Starke aegrota quaedam, in cujus morbi curatione multa occurrebant inopinata, dignaque admiratione. Quae quidem mirantem taxavit ex adſtantibus femina quaedam, rogitans, ut ſuam audirem aegrotationis narrationem. Narravit igitur hiſtoriam ſecretionis lactis absque infantis lactatione. Narravit et miratus ſum; narrabo nunc, et non dubito, quin Lectores mecum mirentur talem ſecretionem.

Femina annorum triginta, ex ima populi claſſe, corpore duro, genere vitae laborioſo, nullam usque ſanitatis jactu-

jacturam fecit per totam vitam. Comprimebatur haec a viro, uteroque concipiebat. Sexto circiter graviditatis menſe fuſtibus male tractabatur, ſenſitque hinc incommoda nonnulla, quae, paullo ante partum, per lapſum ab alto augebantur maxime. Doloribus tunc perquam vexata, poſt ſudorem largiſſimum mammas lacte, ſeu potius ſero ac lympha, tenui turgentes vidit. Non ita multo poſt peperit puerum mortuum, atque manſit per aliquot dies in gynaedochio Jenenſi. Atque, hoc quidem tempore, curam circa eam paullo negligentiorem fuiſſe, dicit, id quod facile largior. Neque tamen prorſus aegrotabat. Omnia proſpere ſuccedebant, praeter lochiorum fluxum, qui fere ſupprimebatur. Mammae lacte turgebant. Rediit domum mammis lacte plenis. Tertio poſt partum menſe lac aberravit verſus inguen. Sexto, poſt partum, reverterunt catamenia, evanuit lac in mammis. Diſparuit dein menſtruationis fluxus, rediit lac. Atque haec quidem alternatio ad hunc usque diem perdurat; adeo ut, ſi adſit menſtruorum fluxus, deſit lactis excretio, mammaeque ſint flaccidae; e contra, quando menſtrua fluere deſierint, redeat fluxio lactis. Accidit vero paſſim, ut lac illud rediens aberret a via ſolenni; tunc ad alias easque diverſas adfluit partes. Sic vidi lac ſtillare ex naribus, ex aure, atque ipſum lotium ſero lactis ſimillimum adparet.

Omnia eluſit haec aegritudo medicamina.

OBSERVATIO XXVI.

Dn. D. FRIDERICI JAHN.

De

Deglutitione impedita.

Quae olim inter rariſſimos referebatur morbos, *deglutitio impedita*, ſat frequens tamen occurrit et viſitur noſtris temporibus. Multa ſunt, quae ab auctoribus, tamquam

cauſſae hujus mali, adcuſantur, inque his eminet multiplex *potus tepidi* uſus. Mittamus interea nunc hanc impeditae deglutitionis aetiologiam, et audiamus hiſtoriam quamdam ejusdem mali.

Vir annorum quinquaginta, habitus toroſi, temperamenti, ut aiunt, ſanguineo-cholerici, vitae ſedentariae deditus, diaetam lautam, ac ſorbitiones calidas, non reſpuens, integra hucusque gaudebat ſanitate. Ex improviſo ei accidit, ut in coena, medios inter amicos, aliquid ex dapibus deuorare vellet, nec poſſet. In oeſophago quid ſentire videbatur, quod officiebat, quo minus fruſtulum deglutire valeret. Relicta menſa eructare, et vomiturire incipiebat, magno cum cruciatu, et anxietate, ſpiritus ducendi difficultate. Propius a ſuffocatione aberat. Atque haec quidem incommoda tam diu illum miſere vexabant, quam haeſitabat fruſtulum in oeſophago. Poſt aliquot horas rejecit tandem iſtud per os, et ſanus revertit ad amicos.

Tales paroxyſmos plures per annum paſſus eſt. Tantum non ſemper adfuit ingens ſitiendi cupiditas, in ipſo ventriculo ingratus frigoris ſenſus, anxietas praecordiorum, levis tantum preſſio dolorifica, febricula. Verum tantum abeſt, ut aliquid illam ſitim poſſet ſedare, ut idem potius accenderet atque augeret cuncta, quae aderant, ſymptomata. Tacite et quiete ſemper exſpectavit finem mali, quod nullis, niſi externis auxiliis, linimentis, balneis, enematibus, auferri poterat.

OBSER-

OBSERVATIO XXVII.

Dn. D. FRIDERICI JAHN.

De

Conceptione ſine menſtruis.

Diu multumque diſceptatum eſt, ad conceptionem utrum menſtruorum fluxus abſolute neceſſarius ſit, an minus? — Fuerunt, qui adfirmarent; fuerunt, qui negarent, nec adhuc lis prorſus compoſita eſſe videtur. Equidem non poſſum, quin ad partes eorum, qui ejus ad concipiendum neceſſitatem negant, transgrediar, caſu quodam, quem cum Lectoribus communicare liceat, edoctus.

Femina quaedam, robuſta, et, quoad cetera, ſana, anno aetatis ſuae viceſimo menſtruationem nondum perpeſſa eſt. Hoc vero tempore incidit iſta, poſt valentiorem corporis motitationem, potumque exaeſtuantem. Paucula tantum tunc, et ſingulis menſibus, effluxerunt; attamen haud ſine magno dolore et cruciatu. Anno ſuo XXVI. viro nupſit. Ab iis inde nuptiis non amplius adparuit fluxio illa, donec utero ſe gerentem ſenſit. Forcipis auxilio partum edidit maſculum, inſequente ingenti ſanguinis profluvio; ipſa vero, ut matri piae decet, ubera praebuit puero, per annum fere integrum. Nulla hoc tempore, nulla poſt lactationem, menſtrua. Abdomen tumuit, cujus nihil intereſſe credidit bona, a puerperio relictum tumorem autumans. Praeterlapſo aliquo temporis ſpatio nonnulla ſenſit graviditatis incommoda, quae tamen non curavit propterea, quod ſe, immunem a menſtruis, immunem a conceptu exiſtimavit. Sero tandem de graviditate certior facta, tempore neſcio quo filiam edidit, inſequente iterum haemorrhagia. Mammas mox denegavit infanti; neque tamen rediere menſtrua. Nullus abdominis tumor. Vixit per annum, absque catameniis, ſana et incolumis. Denuo tamen utero concepit, ignorans

 rans

rans ſemper certam conceptus ac partus periodum. Inſecuta vero tertium hunc partum menſtrua rite manarunt, per tres, et ultra, menſes; tunc rurſus evaneſcere, abdomen increſcere, pluraque graviditatis ſymptomata incidere. Larga alvi dejectio fugat cuncta haec qualiacumque ſymptomata. Non ita multo poſt, ex improviſo, ingentem ſanguinis copiam miſit ex vulva. Vocatus ego in auxilium, ſtatim exploravi digito partes generationi inſervientes, inque utero ſenſi molle quid, carnoſum et mobile. De graviditate rogitanti, mihi nihil, ex quo certior fieri poſſem, retulit, ſeu referre potuit. Propinavi igitur medicamenta temperantia, ſalina, acida, nitroſa. Remiſit ſanguinis profluvium aliquo modo; at vero brevi poſt largius fluere coepit; mox horror, vomitus, oſcitatio, ſyncope, ſuperveniunt. Iterum immiſi digitos, ad explorandum uteri ſtatum, aſt incaſſum. Paucis ut multa complectar, non prius, quamquam multa ſumeret medicamenta, quamquam praeterea uteremur fomentis, injectionibus, aliisque auxiliis externis, ſiſtebatur ſanguinis fluxus, quam dejiciebat molam carnoſo-membranaceam, quae foetum immaturum condebat.

Meininga d. 19. *Febr.* 1789.
Erlangam miſſ.

OBSERVATIO XXVIII.

Dn. D. CAROLI CHRISTOPHORI ECKNER.

De

Morbo melancholico, quem lichen, in capite et facie primum obortus, deinde vero ad encephali nobiliores partes retrogreſſus, produxit, feliciter ſanato.

Praeter Britanniam, et Germania noſtra, propter morbum, quo nuperrime Rex Magnae Britanniae afflictus fuit, in magnam

magnam attentionem, et animi ſolicitudinem, hinc illinc rapiebatur, nunc vero omnes Boni de exitu morbi adeo felici, ut optimus Rex, praeter multorum ſpem et opinionem, tam cito cum ſanitate redierit in gratiam, quam maxime laetantur. Ego quidem, cum ex Novis Publicis, cauſſam quoque morbi ſubeſſe phyſicam et materialem, deprehenderem, ſtatim ab initio certe optima ſperabam, tam propter magnum judicii acumen, quo Medici Britanni plerumque gaudent, quam, ut mihi videbatur, propter analogiam quandam morbi, quem nunc, pro acceſſu in inclytam Academiam Naturae Curioſorum, referam, et qui, id quod nunc vel maxime gaudeo, eventum aeque fauſtum, atque felicem, habuit.

Virgo quaedam, propter gentis perilluſtris, ex qua orta eſt, famae celebritatem non minus, ac ob ingenii dotes, et *temperamentum manſuetum et mite*, a) quo gaudet, magni ſane aeſtimanda, ad annum aetatis viceſimum tertium nunc progreſſa, variolis laboravit anno aetatis circiter tertio. Ex hoc morbo, infantili aetati ſaepiuscule funeſto, vel ſaltem magnas inſidias ei ſtruente, Noſtra, quae graviter, et non ſine vitae periculo, eodem decumbebat, emerſit quidem, ſed palpebrarum margines ex eo tempore cum rubore plus minusve intumuerunt, et lippitudo chronica exoriri videbatur. Contra hoc reſiduum varioloſum, poſtmodum, et annis ſubſequentibus, remedia varia, tam interna, quam externa, adhibebantur, ſed morbus palpebrarum iisdem non tollebatur, quamvis natura adhuc, variis temporibus, diverſis corporis locis, abſceſſus formavit, quorum ſuppura-

 tione,

a) Manſuetum et mite temperamentum *Illuſtr.* Wrisbergius, in Not. ad Halleri *Prim. lin. Phyſiolog.* edit. noviſſimae p. 79. ex ſanguineo, cholerico et phlegmatico compoſitum eſſe, exiſtimat. Bonum hominum genus, inquit, omnibus bene cupiens, ſuaves, ſedatos, mores ſemper in illo animadvertimus, ſtrepitantem, garrulam loquacitatem vehementer odit, litteris ſi deditum eſt, placide illis incumbit, dogmata ſollicite ſecum meditatur, et egregie proficit.

tione, acrimoniarum, in corpore evolutarum, ſenſimque collectarum, certe magna vis eliminabatur. Anno aetatis circiter decimo quarto fluxas menſium prima veſtigia apparuerunt, et Noſtra, quoad hoc ſui ſexus phaenomenon, periodos lunares recte obſervavit. Diaeta quoque exquiſita, ex alimentis farinaceis, mucilaginoſis, nec non oleribus mollibus, quae corpus quidem nutrirent, at vero ſimul ſuccos nutritios, blandae indolis, eidem pararent, humores acres involverent, leniterque demulcerent, propter malum palpebrarum, adeo rebelle et fere indomabile, longo tempore obſervabatur, et iteratis vicibus remedia laxantia ſaltem interponebantur. Et tamen his omnibus palpebrarum ſanatio impetrari nullo modo potuit; natura potius novam viam, qua acrimonia, noviter generata, iterum deponeretur et excerneretur, quaeſivit, et mox invenit. Utraque enim auris, quoad partem ejus poſteriorem, rubere et titillationis ſenſum ab initio, dein ſi digitis ſcalperetur, et manibus contrectaretur, valde dolorifico, affici coepit, quem poſtmodum largior lymphae valde acris effluxus excepit. Novo huic oborto morbo iterum varia remedia haematocatarthica opponebantur, ſed fruſtraneo modo. Aures enim nunc, circa omnem ſuum ambitum, ſenſim ſenſimque ubique rubebant, et lympham acrem plorabant; malum proſerpebat, tam aſcendendo, quam deſcendendo, ad vicinas quoque partes, et producebat, ſubſecuto tempore, morbum cutaneum, *lichen* dictum, qui ſuperius capitis fere dimidiam partem capillatam, anterius faciem et genas, quam maxime, et inferius mentum, colli anteriorem, et thoracis ſuperiorem, regionem ſquamis cruſtisque dealbatis, quae acrem humorem recondebant, valde foedabat. Sub hoc ſtatu Aegrae, certe miſero, eique adeo moleſto, ut nunc vitam ſolitariam inter ſuos degeret, conſpectumque hominum fugeret, ego, vergente jam jam anno 1785. rogatus, ut morbum ſanarem,

Cor-

Corticem Vlmi a) decoquendum, pro uſu interno, et Aethiopis antimonialis parvas doſes, mane veſperique aſſumendas, interpoſitis quoque ſaepiuſcule pilulis, alvum ſubducentibus, curavi. Remedia externa exſiccantia, a variis propoſita, ſemper diſſuaſi, munditiem contra aqua egelida ſpongia excepta, et ita ad abſtergendas ſordes et abigendum pruritum doloroſum applicanda, ſerio commendans. b) Cum vero, praeter omnem opinionem, circa ſextam hebdomadem, gingiva intumeſceret, et ſalivatio ex improviſo immineret, quam ego laxantibus quidem, ut ſupra commemoravi, ſaepius, et largiter, datis, ab initio ſtatim praecavere et avertere ſtudebam, nunc vero, criticam quaſi et ſalutarem, non ſtatim ſupprimendam autor ſuaſorque fueram, Aegra, quanquam curae effectus bonos, hilaremque eventum morbi praeſagientes, ipſa ſaepius mirabatur, quippe dum non exigua pars lichenis coeperat evaneſcere, pallere, cutisque pluribus locis laevitatem induere, tamen, medicamentorum plane pertaeſa, ſub praetextu tempeſtatis frigidae et hyemalis, quae ſanationi, ut fingebat, minime faveret, curationis filum, me valdopere renuente, abrupit, et ad tempus vernale usque diſtulit. Anno 1786. vix ingruente, Chirurgus quidam, me neſcio, *Decoctum ſtipitum Dulcamarae*, interne ſumendum, et liquorem mundificantem, cui aliquot grana

a) *Cortice Vlmi* tam ſolo, quam in connubio mercurialium et antimonialium, in lichene, aliisque morbis cutaneis pertinacioribus, medicus Anglus Clariſſimus *Lyſon*, et inter Gallos Clariſſ. *Poupartius*, et *Banovius* optimo ſucceſſu uſi ſunt. Confer. *Arzneykundige Abhandlungen, herausgegeben vom Collegio der Aerzte in London*, 2*ter Band*, *Leipzig* 1773. item *Sammlungen auserleſener Abhandl. zum Gebrauch für praktiſche Aerzte*, 9*ter Band p.* 195. etiam *litterariſche Nachrichten für Aerzte, Wundärzte und Naturforſcher aufs Jahr* 1785. 1786. Halle 1786.

b) Eandem ſententiam hac de re mecum fovet Clariſſ. *Bajon*, in Memoires pour ſervir a l' Hiſtoire de Cajenne etc. vid. *Richters chirurgiſche Bibl.* 8*ter Band*, p. 168.

grana *Mercurii ſublimati*, ipſo id poſtmodum dicente, intraverant, ***externe adhibendum*** ordinavit. Facies mox hinc illinc nitere coepit, cutis, ſquamis variis adhuc locis obſeſſa, munda et pulchra reddebatur ita, ut, aeſtate ſubſequente, Aegra plane ſanata videretur. Partes, lichene antea occupatas, nonniſi rubore aliquantum profundiori, vel ad fuſcum et atro-coeruleum quodammodo vergente, notatas, ab aliis dignoſcere poteras. Noſtrae, quae nunc in publicum ſaepius prodibat, et omnes amici et amicae gratulabantur, de malo tam atroci feliciter ſublato, et de ſanitate quadantenus iterum recuperata. Aſt verno tempore anni 1787. ſcena proh dolor! iterum mutari, et ſanitas, hactenus interrupta affectibus variis catarrhalibus, iisque ſaepius reiteratis, primum turbari et vacillari coepit. Poſtea in facie, et praeſertim in fronte, hinc illinc maculae apparuerunt, quae magnam ſimilitudinem prae ſe ferebant lichenis illius abominabilis, quo Noſtra, annis praecedentibus, tam graviter et moleſte affecta fuit. Illis vix ab eadem conſpectis et obſervatis, prae timore, ne malum adeo tetrum iterum recrudeſceret, liquorem mundificantem a Chirurgo ſibi anno antegreſſo, tanquam remedium tutum ac pulchritudinem conſervans commendatum, reaſſumſit, interdiu ſaepius, reiteratisque vicibus, maculas apparentes, et omnem faciem, diligenter et ſtudioſe eodem abluit, et abſterſit, atque ulterius proventurum et reverſurum lichenem hocce modo praecavere ſibi viſa eſt. Die 23. Maii ejuſdem anni domeſtici, et ii, quibus domi familiariter utebatur, primum obſervabant, Noſtram tam corpore, quam animo, non bene valere. Colloquia enim, quae cum iis haberet, minus recte cohaerere, mentem leviter quaſi alienatam eſſe, et actiones, quas gereret, cum fervore quodam, alias ei inſueto, et praecipitanter nimis, perfici iis videbantur. Ipſa narrabat Patri, quem maxime ſemper venerabatur, ſe noctem antecedentem minus tranquille tranſegiſſe, ſomnumque multis inſomniis turbulentis

bulentis inquietatum fuiſſe, petebat igitur ab eo veniam, animi recreandi cauſſa, hortum, non procul ab urbe ſitum, adeundi; ſed mox inde reverſa lectum quaerebat, quo decumberet. Ego tunc certior factus de omnibus iis, quae hodie acta ſunt, properabam ad aegram, ut ei medicinam pararem, et cum ea collocutus, animum illa erga me ita confirmavit, ut, mentis compos, ad quaeſtiones ſibi propoſitas non inconcinne reſponderet. Tranquillitatem vero animi aliquanto turbatam, et actiones corporis conſueto multum alacriores, et praecipitantia quaedam verborum pronuntiatorum, oculique et vultus minus ſedati, luculenter declarabant. Pulſus celer et inaequalis, at nec fortis et durus, nec plenus, magis vero parvus et ſpaſticus erat. His omnibus bene a me ponderatis, febrem ingruere, parentibus praeſagiebam, in ſuo decurſu certe periculoſam futuram. Propter amaritiem oris, de qua conqueſta eſt aegra, et ob affectus catarrhales, antea ſaepius, ut ſupra commemoravi, perpeſſos, bilioſo-pituitoſam, vel gaſtrico-catarrhalem fore exiſtimabam. Quanquam medicamina, ei tum propinata, ita comparata eſſent, ut febris impetus exinde mitigari deberet, deliria tamen, ab initio morbi ſuavia et mitia, circa diem 5tum 6tum, et ſequentes, adeo ferocia interdiu erumpebant, ut aegra lecto nec contineri, nec ad uſum praeſcriptum medicaminum ſemper induci poſſet. Exanthema quoque miliare in abdominis ſuperficie, et praeſertim in regione epigaſtrica, efflorefcere coepit, quod tamen, propter inquietudinem, qua Aegra huc illuc ſe lecto jactitabat, et ferebatur, intra corpus iterum regredi debuit. Die 8vo et 9no omnia in pejus ruebant, et febris nunc omnes notas malignitatis prae ſe ferebat. Pulſus parvus, debilis, ſpaſticus et inaequalis, vires naturae valde depreſſas, et ad ſubigendam et expellendam materiam morbificam, cerebro nervisque adeo moleſtam, vix ſufficientes denotabat. Morbi vehementia et animi furor poſt viceſimum demum diem aliquantum qui-

dem remiſerunt, at in novum morbi ſchema nunc transfigurari videbantur, quod non longe a Melancholia chronica abeſſet. Animi enim ſerenitas et tranquillitas, perpaucis admodum intervallis lucidis momentaneis exceptis, plane nunc turbata erat, perpetuo, et fere in una ſerie, in deliriis, quae phantaſia corrupta producebat, verſabatur, cantilenas varias intonabat, currebat nunc ab uno conclavi in aliud, ſaltabat, riſus interdum proferebat, ſine omni ratione et ei data occaſione, garriebat fere indeſinenter fatua, colloquia nunc inſtituebat, et ea quidem praeſertim in locis anguloſis domus vel conclavis, ubi degebat, cum variis magni nominis viris, quos praeſentes imaginatio laeſa fingebat, ſed minus cohaerentia, quippe dum ideae conceptae mox ab aliis incepte, et perquam celerrime, diſturbarentur. Ad propoſitas quaeſtiones, quod maxime mireris, utplurimum tamen recte reſpondit, ſed mox ad deliramenta ſua revertebatur, et animus, neque blanditiis, et cohortationibus amicis, neque minis, corrigi et ad rectiora et ſaniora induci poterat. Status hic Aegrae certe miſerandus per 5. menſes, nempe per totam aeſtatem, ad autumnale tempus usque, hocce modo duravit. Alimenta et potulenta cum appetitu quidem, ſed admodum moderato, ſumſit, nec eam in uſu eorundem inhoneſte vel indecenter ſe gerere, aut contra diaetae ordinatae regulas ſaepius peccare memini. Sub initio morbi, dum febre adhuc laboraret, per 14. dies ſaltem ſomnus eam vix et ne vix quidem ſemel, poſtea vero noctibus alternis propemodum ſalutavit, et bene tunc cognoſcere poteram, Aegram, quando per aliquot horas noctu dormiverat, in die ſubſequente animo magis perturbatam eſſe, ac alio tempore, quo requie nocturna careret. Circa aeſtatis tempus ſolſtitiale, et plures, id ſequentes, hebdomades, urina ſaepius ſedimentum album, cretaceum, tenue, depoſuit, et pulſus celeritas mox matutinis, mox vero veſpertinis, horis tum obſervata, febris lentae, irregularis, leves paroxyſmos, ite-

rum

rum invadentes, luculenter declarabat. Cum natura tandem, multis laboribus et conatibus irritis hactenus fatigata, et viribus fere exhauſta, impar eſſet materiae morbificae penitus ſubigendae, etiam haec excretio ſalutaris, per vias uriniferas, ſenſim ſenſimque evanuit, morbo vere chronico melancholico remanente. Morbo hoc a me ita hactenus depicto, ſilentio non praetereundum puto, Noſtram, per omnia morbi, tam acuti, quam chronici, ſtadia, fluxus menſium periodos regulares, easque interdum ſat abundanter et largiter habuiſſe, nec tamen eo tempore morbus augebatur, nec diminuebatur.

Remedia, quae morbo huic tam gravi opponebantur, nunc commemoranda ſunt. Lene vomitorium, ſtatim ab initio, propter amaritiem oris, de qua aegra conqueſta eſt, tunc medicamenta temperantia et perſpirationem leniter promoventia, ſubjunctis interdum apozematibus laxantibus, ſub varia forma fluida, vel Mixturarum vel Emulſionum, propinabantur. Plantis pedum nocturno tempore ſinapismi applicabantur. Sequentibus morbi diebus, cum deliria, tam nocturna, quam diurna, febris ſummam malignitatem declararent, Moſchus et Camphora, variis modis, etiam, ad vires ſuſtinendas, Decoctum Corticis Peruviani cum ſalis medii quadam portione, pro alvo libera ſervanda, et ſyrupo quodam grato edulcoratum, ordinata fuerunt. Nunc emplaſtrum quoque veſicans ſuris et nuchae imponebatur, et, cuticula ablata, locus nudus longe et diu in ſuppuratione tenebatur. Dolebam autem quam maxime, quod Aegra iis diebus, in quibus coctio materiae morbificae a natura alias perfici ſolet, lecto contineri non poſſet. Quo factum eſt, ut perſpiratio continue impediretur, et medicamenta, quae ſaepius non deglutiebat, ſed ore ſtatim reddebat, efficaciam ſperatam non praeſtarent. Cum, in cauſſam morbi accuratius poſtmodum inquirens, certior nunc factus eſſem, de remediis, praeſertim externis, contra lichenem antehac a Chi-

rurgo adhibitis, ſupraque commemoratis, ſuſpicionem ſtatim hauſi, de acrimonia iſta ad encephali nobiliores partes retrogreſſa. Propoſui igitur, ut, remediis cardiacis, alexipharmacis, et haematocatarthicis, balneisque tepidis, omnino non ſepoſitis, *capillorum* capitis non minima portio *in vertice novacula abraderetur*, emplaſtrum veſicatorium ibidem applicaretur, et ejus locus, ita notatus, per longum temporis ſpatium, cuticula orbatus, et ob affluxum humorum udus ſervaretur a), ſed fere omnes, praecipue vero mater, quam maxime renitebantur. Interim varia remedia contra Melancholiam, a medicis experientia et arte clariſſimis, laudata, tam a me, quam a Collega conjunctiſſimo, in conſilium tum vocato, propoſita et commendata, nimirum *Mixtura Muzeliana*, quae, ut notum eſt, ex Tartaro tartariſato et Melle paratur, et cui ſemper largior doſis Camphorae admixta fuit, Vinum antimoniatum *Huxhami*, ut et alia Praeparata Antimonialia, Flores Sulphuris cum tartari tartariſati aequali portione et perpaucis granis tartari emetici, non vomitus excitandi, ſed humores alterandi et perſpirationis promovendae cauſſa, mixti, laxantia et alvum evacuantia, plus una vice interpoſita, ſemicupia et balnea, non nimis calida, vel ex aqua pura, vel hepate ſulphuris adulterata, cantharides, unguento exceptae, et poſt aures applicatae e. ſ. p. incaſſum fere, et ſine eventu ſperato tentabantur. Venaeſectionem, plus una vice ab hominibus, artis non peritis, commendatam, ut inutilem, quin imo magis noxiam, diſſuaſi ſemper, quippe qua Aegra, jam jam ſat debilis, viribus non ſolum privaretur, ſed materia acris, cerebro inhaerens, fixior adhuc redderetur. Poſtquam vero propter morbum tam gravem, qui nulli remedio hactenus cederet, Medicus quidam extraneus, artis exercitio et famae celebritate clariſſimus, con-

a) Emplaſtrum veſicatorium in morbis melancholicis vertici capitis abraſo applicandum commendat Cl. Stoeller in *Beobachtungen und Erfahrungen aus der innern und äuſſern Heilkunſt, Gotha* 1777. S. 158.

conſuleretur, ille itidem, ut ego, longum tempus antea, Veſicatorium vertici capitis applicandum, ut remedium praecipuum, et forte primarium, ſerio commendavit. Quo nunc impoſito, multa quidem lymphae acris colluvies, intra cutem cuticulamque elevatam, colligebatur, ſed morbi atrocia multum aberat, ut ab initio mitigaretur, furor animi potius increſcere, et augeri videbatur. Materia acri cerebro, nervisque inde egreſſis, inhaerente, per effluxum ad locum verticis irritatum, mobili nunc facta, fieri aliter non poterat, quin ſenſorium commune noviter afficeretur. Ego abinde nil timens, optima parentibus praeſagiebam, quae etiam tempore futuro ita evenerunt. Cum enim vertex, cuticula privatus, et, prout neceſſitas jubebat, cantharidibus iterum iterumque irritatus, per 5. hebdomades lympham acrem large et abundanter ploraſſet, animi tranquillitas, et corporis requies, ſenſim ſenſimque revertebantur, imagines vero inanes et phantasmata, quae mentem hactenus usque adeo turbaverant, plane evaneſcebant. Lymphae hujus acris effluxus quo magis fovebatur et ſuſtinebatur, eo rectiores ideae, et antea, et nunc, ſenſibus acceptae, animo ſe repraeſentabant ita, ut perquam raro abalienationem mentis deprehenderes. Nunc res domeſticas curare iterum, et negotia varia muliebria tractare coepit, et cum autumnali tempore frigido, et fere brumali, per coryzam, qua Noſtra afficiebatur, magna copia materiae acris pituitoſae ex naribus excerneretur, incepta jam convaleſcentia inde adeo crevit, ut Melancholia non ſolum, ſed et lichenis veſtigia, hinc illinc, durante morbo, reditum minantia, penitus abirent. Lippitudo chronica adhuc reſtans, poſtea Cortice Mezerei, brachio dextro per aliquot menſes applicato, ſanata eſt. Facultates animi integras, corporis ſanitatem feliciter reſtitutam, ejusque robur, quo Noſtra nunc gaudet, Parentes laeti, Conſanguinei et omnes, qui eam norunt, valdopere mirantur.

Ex Hiſtoria hac morbi, uberius a me enarrata, aliqua Confectaria, in uſum Medicinae practicae, elicere mihi libet. 1) Materiae varioloſae particulae quaedam, in corpore reſtitantes, varias tempore poſtero acrimonias generare potuere. 2) *Cortex Vlmi* contra *lichenem* non ſpernendum remedium eſt. 3) Mercurialia etiam, in iis hominibus, qui iisdem antea nunquam uſi ſunt, interpoſitis quamvis ſaepius alvum laxantibus, et omni adhibita cautione, ſalivationem ex improviſo, et perquam celerrime, excitare interdum ſolent. 4) Mercurius ſublimatus corroſivus externe, non ſemper, et ubivis, ſatis tuto, in morbis cutaneis, et in lichene, adhiberi mihi videtur. 5) Venaeſectio non in omni Melancholia inſtitui debet. 6) Veſicatorium, capiti raſo applicatum, in illa Melancholiae ſpecie, quae ab acrimonia quadam, cerebro nervisque inhaerente, ortum duxit, ut primarium certe, tutum et ſumme utile, remedium haberi poteſt.

Rudolphipoli Erlangam miſſ.
d. 3. April 1789.

OBSERVATIO XXIX.

Dn. D. CHRISTOPHORI KNAPE.

De

Cartilaginis Cricoideae carie lethali.

Miles juvenis, Joannes Caſcatis, febri, catarrhalem benignam mentiente, correptus eſt. Aptis remediis febris ſanata, aegerque in integrum reſtitutus viſus eſt; latuit vero anguis ſub herba. Bonam valetudinem jam autumans juvenis, paucis interpoſitis diebus, de faucium dolore, deglutitionem impediente, conquerebatur. Tuſſiebat ſaepius. Pulſus

Pulſus paullo poſt de novo febrilis. Nulla faucium inflammatio, nullus externarum colli partium tumor conſpicuus, quamvis modo dicta ſymptomata continuo increſcerent, et aeger acutiorem nunc dolorem, in iſta imprimis *colli* parte, quam *larynx* occupat, ſentiret. Reſpiratio non ſemel impedita et anxia, ſaepius tamen libera erat. Vox vix mutata. Narrata modo ſymptomata internam affectae partis inflammationem, hinc anginae ſpeciem, certo certius indicare videbantur; quapropter aptis, probatiſſimisque remediis aegro ſuccurrere non neglexi, fruſtra vero, proh dolor! Symptomata, quotidie pejora evadebant, ſaepius et quidem ſubito, reſpiratio tantopere ſupprimebatur, ut aeger anxie de lecto exſiliens, ſuffocationi proximus, chirurgi vigilantis auxilium imploraret. Ceſſabat denuo anxietas, redibat reſpiratio. Aeger, per aliquot dies ita ſe habens, tandem ſub noctem acerbiori paroxysmo cruciatus, repente exſiliens, eheu! me miſerum, clamavit, ſuffocor! ſuffocor! a fulmine quaſi tactus, aliquot paſſus a lecto in terram proſtratus eſt, animamque efflavit. Cum chirurgus, vigilias agens, de morte illius certiorem me fecerit, avidus cognoſcendi cauſam morbi, cautiſſime poſtea, diſſecui cadaver. Removi integumenta communia, muſculos colli anteriores, glandulamque thyreoideam, ita ut ſenſim totus larynx, et trachea, denudarentur, aſt nec minimum inflammationis ſignum uſpiam inveni, omnia tam in anteriori colli parte, quam ad latera, ſana et integra erant. Abſcidi hinc tracheam, prope manubrium oſſis ſterni, eamque ſuperiora verſus reclinavi; mox adparebat in *poſteriori parte cartilaginis cricoideae* macula, ſat ingens, livida. Locum maculatum provide aperiens, partem, vel ſic dictum arcum poſteriorem, cartilaginis cricoideae, a carie corroſum, et in fruſtula acutiora diſſolutum inveni. Cavum, quod fruſtula haecce continebat, ichore inſuper ex parte repletum erat, qui in quovis latere ex hocce cavo in tracheae canalem diverticulum ſibi paraverat.

Per

Per haec diverticula ichor, durante adhuc morbo, increſcens, in ipſum valde irritabilem tracheae canalem effluxerat, et pro diverſa ſemel effuſa copia, fortiores, debilioresve ſpaſticas cauſaverat contractiones, hinc ſuffocationes. Quod viribus poſtremum effuſae ichoris copiae, vitae vires haud pares fuerint, indeque ſuccubuerint, per ſe patere videtur.

OBSERVATIO XXX.

Dn. D. CHRISTOPHORI KNAPE.

De

Vini rubri adulterati accuratiori examine, exſtinctione coloris inſtituendo.

Rubrum vinum, pariter ac album, variis modis tam conſulto, quam caſu, adulterari poſſe, ſaepiusque reapſe vitiari, vix quisquam gnarus diffitebitur, nec fugit artis peritum, rubri coloris materiem, ſaturatorum imprimis vinorum, verbi gratia, Pontac, Cahors, Grandconſtant, aliorumque ejusdem generis, reagentium effectum valde dubium reddere, valdeque obnubilare: hinc remotio colorantis materiae, ſine ulteriori mixtionis turbatione, ante reagentium uſum, haud levis erit momenti, certeque id, quod inveſtigatores ſaepius in votis habebunt. Lac vaccinum dulce, remedium eſt, quod voto huic reſpondet. Lac cum vino mixtum ſtatim coagulatur, et caſeoſa illius pars coloris materiam arripit, ſecumque in fundum ducit, ita, ut remanens fluidum, per chartam bibulam a craſſamento ſeparatum, omni pene rubro colore orbatum ſit. Lactis et vini proportiones varie mutavi, omnium optima viſa eſt, ſi una pars vini cum duabus lactis commiſcetur. Fluidum ex hac commixtione obtentum, ad ulteriorem adulterationis inveſtigationem aptiſſimum eſt; liquoris probatorii tam veteris,

quam

quam *Hahnemanni*, vel aliorum reagentium effectus nunc non amplius dubii redduntur, ſed plane iidem ſunt, qui in albis vinis obſervantur.

Berolino Erlangae accept. d. XI. Jun. MDCCLXXXIX.

OBSERVATIO XXXI.

Dn. D. PASCHALIS JOSEPHI FERRO.

De

Urachi utroque canali aperto, in homine quadraginta annorum.

Johannes Koegel, vir quadraginta annorum, trigeſimo aetatis anno, vehementem ad regionem pubis contuſionem patitur, unde inflammatio veſicae urinariae, et plenaria urinae retentio, exoritur. Durat haec *ischuria* per duas ſeptimanas, incaſſis omnibus, quae adhibuerat, remediis. Poſt tredecim atrociſſimos inter dolores transactas dies, en! urina novum ſibi exitum parat, ubi hucusque ne veſtigium quidem urinae, aut aliusvis humoris, apparuerat, profluit nempe *urina per umbilicum*, duplici ex canali, miteſcentibus ſubito ſymptomatibus. Veſicae interim dolor, et inflammatio, cedit, aperitur urethra, exitque tandem per urethram conſueto urina modo, absque impedimento, manentibus tamen apertis novis exitibus, ut ſimul et per umbilicum urina mox profluat, primo ad mingendum conamine.

Ab eo tempore laboribus ſuis ruſticalibus operam dat, omniaque, quae facere conſuetus eſt, peragere pergit, optima gaudens ſanitate; ſed quandocunque mingere vult, tunc, praeter quod ſolvat femoralia, totum et abdomen denudare debet, effluente urina, non ſtillatim, non foedo pauxillae quantitatis ad ventrem lapſu, ſed pleno virilique radio, ut

tres uno in homine mingere viros crederes. Sic ſanus vegetusque vivit per *decem annos.* D. 8. Maji 1788. febre putrida corripitur, qua 15ta ejusdem menſis moritur; Urinae triplici exitu ad ultimam vitae horam aperto, nullo dolore, nulla in viſceribus uropoieticis laeſione ſe manifeſtantibus.

In cadavere partes omnes exteriores ſanae, et naturales inveniebantur. In umbilico vero duo ſeſe monſtrabant foramina rotunda, lineam dimidiam in diametro habentia, horizontaliter lineam a ſe invicem diſſita. Foramina haec exitus erant duorum canalium, in quos levi negotio ſtili, calami columbini craſſitie, introduci poterant, deſcendebantque in iisdem absque impedimento recta deorſum ad pelvim usque. Remotis integumentis communibus, et muſculis abdominalibus, canales diſtincte in conſpectum veniebant. Erant in peritonaei duplicata lamina, aequales initio lineae latitudine ſejuncti; dein, proxime ſe invicem attingentes, recta deſcendebant usque ad veſicae urinariae fundum. Ibi ſejungebantur a ſe invicem duarum linearum interſtitio, perforabant peritonaeum, et, media in parte poſteriore corporis veſicae, ejus exteriorem membranam penetrabant. Sic linearum duarum latitudine adhuc inter tunicas veſicae deſcendebant, et dein interiorem veſicae membranam apertura ſat ampla perforabant.

Veſicae vero pars poſterior, ab inſertione canalium ad collum usque, livida erat, etſi aeger nil de dolore hac in parte queſtus fuerit, neque mingendi ulla, integro in morbi decurſu, difficultas adfuerit.

Tria in hac hiſtoria memorabilia ſunt: primo, Urachus apertus in viro 40. annorum; ſecundo, Urachi duplex canalis; tertio, Urachus tam diu apertus, ut conſueta mingendi via evaſerit, absque ullo urinae per urethram exeundae impedimento!

Adjectae figurae, Tab. IV. V. VI. reperta forte diſtincte docebunt:

Tab. V. A. Integumenta communia c. muſculis reflexis. B. Peritonaeum. C. Peritonaeum remotum, ut poſſit videri veſica. D. Fundus veſicae urinariae. E. Umbilicus. F. Orificia duorum canalium urachi. G. Stili in hos canales demiſſi. H. Canales hi in ſuperficie peritonaei decurrentes. I. Flexura canalium ad poſteriorem partem veſicae.

Tab. VI. A. Veſica urinaria a poſteriori parte. B. Fundus veſicae. C. Collum veſicae. D. Urethra. E. Bulbus urethrae. F. Ureteres reſecti. G. Umbilicus. H. Duo canales urachi hic divergentes. I. Canales hi proxime decurrentes. K. Canales hic iterum a ſeſe cedentes. L. Canales inter membranas veſicae urinariae. M. Inſertio canalium in extimam membranam veſicae urinariae. N. Veſica urinaria hoc loco nigreſcens.

OBSERVATIO XXXII.

Dn. D. PASCHALIS JOSEPHI FERRO.

De

Carie vertebrarum, et medulla ſpinali, libere in abdomine fluctuante, hiſtoria.

Vir triginta annorum, ex alto cadens, dorſi parte poſteriore in lignum acutum impingitur; unde paralyſis perfecta artuum inferiorum, ſphincterumque et ani, et veſicae urinariae, ſequuntur, laeſione alias nulla, nullo vulnere, exterius apparentibus. Arte deſtitutus, fomentis ſpirituoſis, et aromaticis, dorſum fomentat; unde ſenſim urinae, et alvi voluntaria retentio, atque artuum inferiorum liber motus reſtituuntur; aſt truncum aeger, absque vehementiſſimo dolore, ne minimum quidem erigere poteſt; progrediens enim pectore ad genua inclinato, manibusque pedes apprehendens,

 unum-

unumquemque greſſum laborioſus dirigere debet, proximum mox ſcamnum vel lapidem, cui inſideat, laſſus quaerens, vel et in terram ſe demittens, huic ſat proximus. Poſt duos ſic transactos annos, accedebant aſcites, plenaria artuum inferiorum paralyſis, facies rubicundo fuſca, palpitatio cordis, et ventris tympanitica intumeſcentia poſt eſum, tandemque mors finiit aerumnas.

Cadavere aperto, quatuor penultimae vertebrae dorſi in cavum abdominis impreſſae inveniebantur, ultima vero vertebra dorſi, et ſpinae primarum trium vertebrarum lumborum exterius valde eminebant; extractis dein ex abdomine viſceribus, en rarum ſpectaculum! Saccus enim, pugni virilis magnitudine, prope corpora vertebrarum lumborum, apparebat, albus, mollis, *hernia vera ſpinalis medullae*; corpora duarum primarum vertebrarum lumborum penitus conſumpta, ut ne veſtigium quidem de iis appareret. Dura mater, medullam continens, clauſtro oſſeo conſumpto, libere nunc ceſſerat medullae luxurianti, quae, limites excedens, tantam in molem excreverat, ut quatuor pollices in diametro latitudinis, et 2. longitudinis, menſuraret. Supererant ſolae ſpinales et transverſales proceſſus primarum vertebrarum lumbarium, reliquum omne os carie conſumptum erat. Reliquarum trium vertebrarum corpora maxime carioſa erant, inter ſe in unum os concreta, perioſtio ſuo deſtituta, et fragilia, ut digitis facile in fruſtula teri potuerint.

Vienna accept. d. 21. Oct.
1 7 8 9.

OBSER-

OBSERVATIO XXXIII.

Dn. D. MARTINI LANGE.

De

Baryecoia haereditaria.

Morbos haereditarios varii generis apud mortales occurrere, nullus medicorum noſtris eſt temporibus, qui neſciat. Multa, contra meum inſtitutum, deberem facere verba, ſi eos omnes, vel plurimos ſolummodo, ſummarie recenſere vellem, ab auctoribus jam annotatos. Non tamen omnem hanc materiam ab auctoribus ſcriptis exhauſtam eſſe, paucis hac oratione dicere mihi animus eſt. Oſtendere nempe e duabus *Coronae* obſervatis hiſtoriis volo, *Baryecoiam* quoque eſſe haereditariam, nullamque ejus ab ullo auctore mentionem hucusque factam eſſe; nullam dico, quia unica illa hiſtoria morbi, quam Cel. Peſtienſium Profeſſor, Truka, nuper in egregio ſuo libro de *Cophoſi*, publici juris fecit, naturae accommodata vix eſt: acceperat enim Ill. auctor eam, tunc temporis, a Studioſo Coronenſi, morbi haud ſatis gnaro, quam dein, typis evulgatam, familia Coronenſis, organo auditus debilitata, vero perlegens, pro non exacta declaravit. En igitur, Lector Benevole, accuratam baryecoiae narrationem, uti ipſam, non tantum a generoſa, ſed etiam ab alia vilioris ſortis familia, quarum familiarum Medicus diu fui, accepi.

Hiſtoria Prima.

Haec concernit amplam, generoſamque, familiam Coronae in patria degentem, claram eruditione, morum probitate, officiisque publicis, ideoque ob adflictionem cum morbo hoc fatali ſumme condolabilem.

Ne hiſtoriam morbi confundam, loquar prius de viventibus, dein de mortuis, in linea tam recta, quam laterali.

In linea recta

exiſtunt quinque proles, baryecoia adflictae, ex eodem thoro genitae, nempe GEORGIUS, MARTINUS, JOANNES, ROSINA et SARA. Omnes hi adhuc vivunt, *excepto* Martino et Roſina.

1) GEORGIUS, nunc 52. annorum, primis ſuae vitae annis ſaniſſimo organo auditus eſt gaviſus, itaque felix manſit, usque ad 14. annum, quo anno, tempore hyemali, contra ſuam conſuetudinem, in cubiculo frigido, absque mitra, dormivit, et mane, ante lignorum in fornace incendium, ſurrexit, et ipſemet candelam ſibi incendit, unde poſt breve tempus aciei auditus diminutionem quandam ſenſit. Anno aetatis 18. hic defectus augebatur, anno 19. plus, eum in modum, ut in conviviis, omnes voces audire loquentium exacte non poſſet. Anno 24. a *ſucco Sedi* allevatus parumper auditus, anno 36. vero poſt gravem laborem, et depoſitam calculationem publicam, labefactatus rurſus eſt. Anno 41. deterius fiebat malum, ex applicatione cujusdam ſpiritus, quem agyrta auribus bombice immiſerat. Succeſſit quoque frigus aurium. Augebatur hoc frigus paulo poſt ex ſpiritu vini, allio, ſedoque, ſaturato. Anno 42. baryecoia majus incrementum ſumſit, ex gravi moerore, et aucta poſtea ita eſt, ut nunc Ill. Vir. neminem audiat, niſi ipſe ſpatio duorum paſſuum a loquente diſtet, faciemque ad ipſum directe vertat. Melius etiam ſonos percipit Ill. Vir, dum os aperit (ſive bibendo, ſive non) aliusque loquitur, difficilius vero oſcitando. Aurium ſuſurrum habet nullum, niſi ſerius lectum petat. Meatus auditorius in ſtatu naturali eſt, nec ſiccus, nec humidus.

Filia

Filia unica ipſius nunc circiter 24. annorum bene adhuc audit.

Remediis Ill. Vir contra morbum hunc moleſtum, variis a tempore, in tempus, uſus eſt, verum fruſtra. Immiſit prima vice oleum amygdalarum amararum ſaepius veſpere, ad guttas duas tresve, ſed ſine levamine; brevi poſt omni tertia die, menſis Maji et Junii, guttas duas tresve ſucci ſedi recenter expreſſi, juncto ſimul vapore florum chamomillae, in lacte coctorum, per infundibulum collecto, unde revera multum allevatus auditus eſt. Quum vero hoc remedium plenariam curam non adferret, adhibuit Vir Ill. ſuccum ex ovis formicarum, urinae calidae erinacei vaporem, panem calidum cum ſemine foeniculi coctum, balſamo *Teichmeyeriano* madefactum, et ſpiritum vini allio vel ſedo ſaturatum: interne ſimul radicem raphani ruſticani, jejuno ventriculo. Sed nec hoc quidquam juvit. Electricitas, per 4. hebdomades, ad omnes corporis partes ſenſim directa, primo morbum allevavit; poſt duos menſes vero ceſſavit paucus hic effectus dulcis, et frigus aurium auctum plus eſt. Nec levamen attulit decoctum herbae ſalviae, chamomillae et rorismarini, auribus ter de die infuſum, cum inunctione externae regionis aurium cum ſpiritu lavendulae et ſalis ammoniaci.

Monere hoc adhuc de hoc aegro debeo, quod, a quo tempore electricitas adhibita fuit, interdum pruriant aures, tuncque major ſolito ceruminis quantitas ex auribus educi queat. Singulare phaenomenon vero eſt, quod ſub eductione ceruminis quam plurimum levis ſuccedat tuſſis.

2) *Martinus* frater optime audivit, usquedum ille aetatis ſuae anno 27. ex officio, qua *Geometra militaris*, in autumno ſylvas Bohemicas per aliquot dies pluvioſos circumvagari, noctuque in iisdem veſtibus humidis dormire humi debuiſſet. Redux enim ab itinere, animadvertit levem auditus difficultatem, majorem vero, quum anno 29. per 20. dies

dies et noctes, in finibus Poloniae montes menſuraret, et praeſertim per quandam noctem totam in pluviis commoraretur. Medicamenta primum adhibita, ut pediluvia, veſicantia, ſcarificationes, et moſchus, auribus bombice inditus, auditum ipſi aliquantum meliorarunt; eſſentia acuſtica vero paulo poſt auribus applicata, mercurius interne praeſcriptus, nec non electricitas, morbum auxerunt, ita, ut, ex hac nimis diu continuata, omnem ſenſum auditus, memoriamque amiſerit, miſereque convulſionibus perierit.

3) *Joannes*, usque ad 14. vitae annum ſanus in auribus fuit; ab eo tempore, ex cauſſa ipſi ignota, ſenſit auditus decrementum, quod ſequentibus annis plus augebatur. Accuſat Ill. Vir forte tranſpirationem ſuppreſſam, quia ipſe, puer, noctu, per totam aeſtatem, ſerumque autumnum, absque mitra apertis feneſtris dormivit. Variat tamen iſte auditus difficilis, major minorque fit variis circumſtantiis; nempe deterioratur, 1) poſt quamlibet vehementem commotionem, 2) magno calore, 3) curvando multum caput, ſtando, vel ſedendo, 4) poſt ſumtos nimis largos ſolito cibos et potus, 5) in balneis calidis, 6) in domiciliis multum calefactis.

Sub his circumſtantiis jungitur ſaepe aurium ſuſurrus, ſenſusque in aure genitae veſicae aqueae auditum, ad minutam vel ſecundam penitus tollentis, qui vero rurſus redit diſrupta veſica, quam ruptionem ſalivae deglutitio promovet.

Melius audit Ill. Vir vehendo rheda, praecipue in rheda ſtrepitum magnum excitante.

Edoctus ex irritis conaminibus fratrum, nulla auribus remedia applicare voluit; ob plethoricum corporis ſtatum ſaepius venam ſecavit, absque tamen, auribus inde ſuccedente, levamine ullo.

4) *Roſina*, anno ſeptimo, poſt variolas malignas, dolore capitis et aurium eſt affecta, ita ut exinde ſurda et ſucceſſive

ceſſive magis magisque facta fuerit. Ceterum plus laborat aure ſiniſtra, quam dextra.

Ejus *filia*, poſt, anno ſuae vitae 15, perpeſſam tuſſim gravem, incidit pedetentim in baryecoiam quoque. Quamdiu duravit tuſſis, aures fundebant ſerum, utraeque, ceſſante vero tuſſi, ceſſavit etiam ille fluxus, auresque fiebant ſiccae. Adhibuit contra hoc malum mater 1) oleum hyperici, 2) panem calidum recenter coctum, 3) vapores calidos. Aſt fruſtra. Ideo ex conſilio meo applicabatur ad brachium fontanella, auribus immittebatur decoctum ex ſalvia, floribus chamomillae, et herba rorismarini, ſimulque regio aurium ſpiritu vini cum ſpiritu ſalis ammoniaci fricabatur; interne dabantur diaphorematica, ſolventia, depurantia. Factum inde eſt, ut aures plus maderent; aſt ſurditas manſit eadem.

5) *Sara*, usque ad annum 32. vitae ſuae, quo phthiſi mortua eſt, bene audivit; aures tamen ſemper fluentes habuit. *Sarae* filius, *Georg. Franciſcus*, 45. nunc annorum, ſurdeſcere incepit aure ſiniſtra, cum ſenſu plenitudinis, in dextra, dum poſt perpeſſam in Walachia febrem acutam, 1790. menſe Januario, ex regione calida, per montes *Carpaticos*, nive adhuc obductos, in Tranſylvaniam veniret, inque illis, tranſpiratione ſuppreſſa, et fluxum, ex aure ſiniſtra, ſeroſum, per aliquot dies exiſtentem, ſubito ſupprimeret. Tam felix vero fuit hic aeger, ut tamen perfecte curaretur, per diaphoretica, et veſicantia, nuchae applicata, intra aliquot hebdomodes, absque revocato auris fluxu.

6) Mater harum quinque prolium, nomine *Sara*, nunc 80. annorum, a ſanis procreata parentibus, usque ad annum 53. nullo aurium defectu laboravit, hac tamen differentia, quod ſiniſtra aure melius audiret, quam dextra; haec enim ex improviſo tubi ſono, auri applicati, debilitata, in juventute adhuc erat. Surda vero evaſit, cum eryſipelate capitis, anno 53. laboraret, eodemque anno maritus repente moreretur, quae mors tam terrorem, quam moerorem, in ea excita-

citavit non exiguum, haecque ſurditas, cum perpetuo ſuſurru, a die in diem crevit, adeo ut nunc aure dextra plenarie ſurda ſit.

7) Pater familiae ſurdae, *ſive maritus Sarae, Georgius*, e vivis ceſſit anno 59. Optimo auditu quidem gaviſus ille non eſt; verum etiam de debilitate ſua non conquerebatur, excepto, quod aure dextra melius audiret, quam ſiniſtra, absque cauſſa tamen ipſi manifeſta.

8) Avia familiae ſurdae ſeu *mater Georgii, Maria*, annum vitae 81. attigit. In ultimis vitae annis difficilior in auditu erat, neſcio an ex ſenectute, vel morbo.

In linea laterali

hujus familiae baryecoia laborant

1) Frater *Georgii, Theodorus.* Ille pedetentim ſolito difficilius aliorum voces percipere incepit; anno vitae 54. ex tranſpiratione capitis ſuppreſſa vero, ſurditate vera affligebatur, quam quidem pane calefacto, ſemine foeniculi frixo, auribus per 4. hebdomadas applicato, ad magnam partem levavit, non vero penitus ſuſtulit, relabente poſteris annis rurſus malo. Plus ceterum Theodorus laborat aure dextra, quam ſiniſtra.

2) Filius *Theodori, Carolus*, ſexto vitae anno poſt parotides, morbillis ſuccedentes, male curatas, in aures diſſipatas, in ipſis exulcerationem, et ſurditatem excitarunt. Filia ipſius, *Thereſia*, nunc 14. circiter annorum, ab aliquo tempore, absque cauſa manifeſta, male quoque audit.

3) Ex familia *Sarae* alia derivari mali origo poteſt. Nempe *pater Sarae, Samuel*, aure ſanus, ex tribus feminis habuit proles, ſcilicet ex *prima* femina *Samuelem*, ex *altera Bartholomaeum* et *Saram*, et ex tertia *Eliſabetham.*

a) *Bartholomaeus*, frater Sarae, vixit 58. annos, male audivit, cum perpetuo aurium ſuſurru, jam in annis ſuis viri-

libus,

libus, pejusque in ſerioribus, plusque dextra, quam ſiniſtra parte. Duas reliquit ipſe filias, optime ad hunc usque diem audientes.

b) *Samuel* ad mortem usque nullo aurium vitio laboravit, filia ejus tertia, *Roſina*, vero, anno 57. ex moerore filii mortui, paupertatisque perpeſſae, incidit in veram baryecoiam. Tres reliquae Samuelis filiae, una cum prolibus, audiunt bene.

c) *Eliſabetha* nullo unquam aurium defectu laboravit; verum ejus *tres infantes* citius, ſerius, magis, minus, baryecoia affligi inceperunt, imo ex filio majore natu, *Samuele*, ſaepius eryſipelate faciei afflicto, 2. pueri, jam ante 14. annum, de difficili auditu conqueſti ſunt, virgo vero nunquam adhuc. *Filia Eliſabethae* aliquot peperit infantes, hucusque bene audientes, excepta filia 19. annorum, majore natu, jam difficile audiente.

4) In remotioribus gradibus extitit quoque *mulier*, *juvenisque*, eodem morbo laborantes. Mulier, cujus avus jam ſurdus fuit, a matre in gradu tertio erat conſanguinea, juvenis vero in tertio gradu a patre.

Hiſtoria baryecoiae haereditariae altera

concernit familiam pellionis, *Andreae Klein*, qui ſurdus erat, cujusque ſeptem liberi potiſſimum obſurduerunt. Quantum expiſcari potui a liberis, audivi, ipſum jam in juventute baryecoia affectum fuiſſe; quo anno vero, et quomodo, non patet. Hoc ſaltem reſcivi, patrem ipſius, matrem, 2. fratres, et 2. ſorores de nullo aurium defectu unquam conqueſtos eſſe.

Senex iſte ſeptem procreavit liberos, quatuor filios et tres filias, nempe *Andream*, *Chriſtianum*, *Joannem*, *Martinum*, *Annam*, *Catharinam* et *Roſinam*.

1) *Andreas* puer obſurduit; quomodo, nemo ex familia ſcivit. Reliquit ille 2. liberos perfecte ſanos.

2) *Chriſtianus* 15. anno, auditum amiſit, ex cauſſa mihi incognita, reliquit 2. liberos bene audientes.

3) *Joannes* 30. aetatis anno, poſt tranſpirationem ſuppreſſam, audire deſiit. Procreavit ipſe 6. liberos, 2. filios et 4. filias. Tres liberi natu majores, nempe 2. pueri et puella, jam obſurduerunt, reliquae nondum, nempe a) *puella* 20. annorum auditum amiſit nono aetatis anno, quum efflorefcentia, poſt aurem unam ſita, ſponte decideret; altera tamen aure quoque male audit, illa vero pejus. b) Filius, *Joannes* nomine, nunc 19. annorum, octavo anno, poſt alapam fortem acceptam, audire deſiit, in parte affecta in totum, in altera tantum ad partem. c) *Martinus* 16. annorum ante tres annos, ſeu 13. anno, abſque cauſſa aperta obſurduit.

Horum trium liberorum pater ceterum tempore pluviali melius audit, quam ſereno. Monere etiam debeo, fratrem uxoris *Kleinii*, nunc 39. annorum, a ſeptimo anno, ob ſaepius perpeſſas convulſiones, nil audire.

4) *Martinus*, una cum infantibus, optima gaudet valetudine, nec non *Catharina* una cum infantibus.

5) *Anna* vero, poſt variolas, 12. aetatis anno, ſonos non exacte percipere incepit.

6) *Roſina* moriebatur tertio aetatis anno, variolis, abſque ullo aurium defectu.

* * *

Dum hujus mali haereditarii in antecedentibus expoſiti originem *cauſſasque occaſionales* perpendo; ſequentes mihi eruere earum, ex morborum decurſu, licet:

1) *Suppreſſam tranſpirationem* capitis. Hanc perpeſſus eſt *Georgius*, *Martinus*, *Joannes*, *Georgius Franciſcus*.

2) *Meditationes* ſolito vehementiores, ex qua cauſſa *Georgius* malum auctum vidit.

3) *Moerorem* gravem, quem accuſavit Georgius, Sara et Roſina.

4) *Metaſtaſes*, quae elucent apud Saram, Roſinam et ejus filiam, Carolum, Samuelem, filium Eliſabethae, Annam Kleinii, et puellam majorem Joannis Kleinii.

5) *Commotiones cerebri*, dum ab alapa data obſurduit *Joannes, filius Joannis Kleinii.*

Quo clarius elucent hae cauſſae occaſionales in producenda baryecoia haereditaria, eo difficilius mihi cauſſa ejus primaria determinanda eſſe videtur. Suſpicari tamen mihi licet, nervorum, organo auditus inſervientium, debilitatem praeternaturalem quandam, eos ita diſponentem, ut, antecedente cauſſa accidentali, facile ſuccedat in duabus his familiis baryecoia. Aperte hoc aſſertum patet quoque, in phthiſibus haereditariis, quibus, in annis certis, tota familia, ante perfecte ſana, corripitur, et perit.

Dabam Coronae in Tranſylvania,
d. 15. *Nov.* 1789.

OBSERVATIO XXXIV.

Dn. D. MARTINI LANGII.

Hiſtoria Icterorum Epidemicorum.

Nimis frequens, ac vulgaris, *Coronae* in *Tranſylvania* extitit icterus, a Menſe Februario anni 1784. usque ad finem Menſis Maji A. 1785. a), et quidem ſub forma, non ſaepius obvia: quare a Medicis nec tam accurate, nec tam multifariam, uti de fraterno ejus morbo, ictero nimirum chro-

a) Ceſſante hac conſtitutione epidemica, nempe fine menſis Maji, anni jam dicti, oriebantur epidemico modo tuſſis convulſiva, et morbilli mox vere inflammatorii, mox ſordibus primarum viarum juncti.

chronico, de eo diſputatum eſt b). Itaque non ſuperfluum ſuſcipere puto laborem, periculum capeſſendo, communicare cum republica literata, quae de hoc morbo hactenus animadverti, quatenus nimirum is a *populari ictero diverſus* eſt: nam de ictero in univerſum loqui, conſilium meum hic non eſt.

Icteri in ſingulis hominibus, orti ex peculiari corporis conſtitutione, vel ita dicti icteri chronici, etiam apud nos non plane rari morbi ſunt. Verum mirum mihi in initio videbatur, brevi tempore ſat multos homines, omnis generis, conditionis, ſexus, et aetatis, ictero tali laborare, cujus cauſſae et ſymptomata a chronico admodum erant diverſa; qui vero eodem modo afficiebat aegrotos, ac mater ejus, febris bilioſa acuta.

Nulla hominum claſſis illo immunis erat. Liberi, aeque ac adulti, hoc morbo laborabant; mares, aeque ac feminae; divites item et pauperes. Ceterum non erat lethalis, e contrario ſine difficultate ſanabilis. Hujus icteri cauſſa, durante epidemia, nemo moriebatur, niſi vir ſeptuagenarius, qui, poſt diuturnum moerorem, in icterum, et febrim lentam, incidit, eamque ad finem vitae usque retinuit; cujusque medicus ego non fui.

Diverſus in ſuis ſymptomatibus, uti omnes morbi epidemici, etiam icterus hicce fuit. Nonnulli hominum aegrotantium vehementius, alii non ita vehementer, paſſi ſunt, pro diverſitate corporum adflictorum, diverſa mutatione aëris, et nexu hujus morbi cum aliis morbis.

Apud pauciſſimos aegros, poſt ſolita demum, icterum alias praecedentia, ſymptomata, mala lenta, color flavus in oculis et cute videbatur: apud plurimos vero apparebat potiſſimum poſt ſuppreſſam tranſpirationem, aut corruptas primas

b) Inter ſcriptores recentiores, de icteris epidemicis inprimis diſputant celeb. STRACK in Actis Moguntinis T. I. et BRÜNNING in libro, de ictero ſpasmodico, *Eſſendiae* 1772. epidemico.

mas vias, repente, cum omnibus ſuis ſymptomatibus. Et apud omnes, ſtatim ab initio morbi, aderat modo lenior, modo vehementior, febris; febris continua remittens, tertiana, vera febris biliofa, quam omnia ſymptomata febris biliofae concomitabantur, quaeque eadem ratione, eodemque tempore, uti febres biliofae ſimplices, ventris ſolutione, urina, et ſudore, tollebantur. Non absque ratione igitur hunc febrilem icterum, febrem acutam biliofam latentem, ſeu larvatam, adpellandum eſſe exiſtimo.

Qui minimum de ictero paſſi ſunt, adeo leniter aegrotabant, ut negotia ſua expedire poſſent. Febris eorum fuit nimis temperata, pulſus mollis, nec adeo celer, ſitierunt modicum, aut plane nihil; lingua non admodum impura; comederunt cum appetitu; poſt eſum vero affligebantur anxietate, et de laſſitudine ſolum querebantur; cutis color fuit flavus, et urinae croceus.

Qui vero vehementius aegrotarunt, pluribus etiam, et ſenſibilioribus, ſymptomatibus ſunt conflictati. De defectu virium, qui durante morbo ſemper eos comitabatur, querebantur prius, quam morbus noſci poterat. Modo plures, modo pauciores, homines querebantur de doloribus in capite, dorſo, lumbis, omnibusque membris; de doloribus in ſtomacho, conjunctis cum ſenſatione plenitudinis: imo nonnunquam etiam de doloribus in inteſtinis, de torminibus ventris, frigore, aeſtu, ſiti et anxietate, in regione cardiae ventriculi, deque guſtu amaro. Lingua eorum erat impura, flava aſpectu; appetitus debilitatus, aut plane amiſſus, et pulſus celer, at mollis. Ipſi aegrotantes erant vertiginoſi, proclives ad vomitum; immo nonnulli vomebant vehementer mucum et bilem.

Modo poſt haec enarrata ſymptomata, modo una cum iis, apparuit color univerſalis flavus cutis, aſpectu mox obſcurior, mox lucidior; urina craſſa, modo ſubnigrior, modo minus ſubnigra, modo lateritia; et alvus plurimum difficilis,

cilis, albida, quae tamen apud multos admodum biliosa, interdum etiam cum diarrhoea conjuncta erat. Immo nonnulli jam ante febrim, et animadverſionem icteri, aliquamdiu albas et torpidas ſedes ſe animadvertiſſe adfirmabant. Sub his circumſtantiis venter non multum erat tenſus, nec dolorificus; et ope tactus non poteram in ventre ſenſibiles obſtructiones viſcerum detegere. Ceterum morbus ſemper fere erat ſimplex; in conjunctione cum febri quartana, durante hac epidemia, apud unam feminam tantum reperi. In univerſum animadverti etiam, plures adultos, quam liberos, ab hoc morbo correptos eſſe.

De cauſſis hujus epidemiae icterorum cogitans, nullibi certius, quam in aëre, eas quaerendas eſſe puto: nempe, in maxime mutabili aeſtate calida, anni 1783 et 1784, et conſequente frigidiſſima hieme anni 1784. quarum mutabilitate bilis in corpore humano tempore aeſtivo fermentari, et hiemali inſpiſſari, debuit a). Fuit enim hiems anni 1783. parum frigida, ſaepius pluvia; ver, inſequensque aeſtas, hic, ſicuti in Europa univerſa, calida et nebuloſa; autumnus continuo ſudus. E contrario in hieme anni 1784. frigus vehemens diu duravit; quam ſecuta eſt admodum mutabilis aeſtas, modo calidiſſima, modo valde frigida; et autumnus, contra naturalem ſuam conditionem, ad medium Decembrem usque, calidus fuit: tum ſat vehemens frigus inſecutum eſt, ad medium Aprilem usque durans: deinde ad breve tempus repente calida tempeſtas, et non multo poſt iterum frigida pluvia, per totam aeſtatem anni 1785. ita durans.

Verſatus aliquo modo tantum in arte phyſica, atque magni influxus aëris, una cum ſuis mutationibus in corpus humanum, innumerabiliumque morborum, inde ortorum, homi-

a) Ex hoc praeternaturali ſtatu bilis determinari poteſt, quare quis plane hoc ictero, et non ſimplici febri bilioſa, laboraverit; nempe quia bilis in hoc magis fluida, et fortaſſe non admodum acris fuit, igitur neque obſtructione, neque ſpasmis, meatus bilis occludi potuit.

hominem a nativitate ad ſenectutem usque comitantium, gnarus, facile perſpiciet, talem conſtitutionem aëris, qualem in praecedentibus deſcripſi, in bilem praeſertim agere, eamque confundere, et ad geneſin talium morborum proximam occaſionem dare debere, quales etiam in hac conſtitutione epidemica graſſabantur. Quam ob cauſſam, durante hac epidemia, icteri, crebro etiam alii, cum hoc ictero cognati, morbi, animadvertebantur, e. g. verae febres bilioſae acutae, febres intermittentes, haemitritaeae Galeni, febres bilioſae catarrhales, et aliae diverſae inflammatoriae, immo exanthematicae, ut ſcarlatina. In aeſtate anni 1784. oriebantur aphthae ſingulatim, et etiam in conjunctione cum aliis morbis, ut ſcarlatina, crebro a). In inſequente autumno febres quartanae, et in Decembri, et Januario ſequentis anni, ſymptomata hyſterica vulgaria oriebantur, in conjunctione cum febribus bilioſis, quae vero ſolventibus, et purgantibus medicamentis, brevi tempore tollebantur.

Ex his dictis omnibus ſuſpicari facile licet, qualia remedia in hocce ictero epidemico utiliſſima fuerint, et qualia cum utilitate aegrotis a me viſitatis adcommodaverim. Omnia illa praecepta et medicamenta, quae in febribus bilioſis acutis in univerſum adhiberi ſolent, etiam hic remedia utiliſſima erant. Omnes aegrotantes, me conſulentes, ſani evaſerunt una, duabus, ad ſummum tribus hebdomadibus, ope remediorum a me commendatorum, excepto viro, annum ſeptuageſimum quartum agente, alias podagra laborante, poſt octo demum hebdomadas ſalvo reddito, in quo vero icterus febrilis tranſiit in chronicum, fortaſſis, quia corpus ejus fuit pituitoſum. Et haec medicamenta erant: refri-

a) Ejusdem ſententiae mecum in hac re etiam eſt Britannus MEAD (vide ejus monita et praecepta medica), imputans aphthas, in aeſtate crebro apparentes, vehementi frigori praecedentis hiemis.

refrigerantia, ſalia, emetica, purgantia, ſerum lactis, decocta e radicibus ſolventibus, oxymel et ſuccus citri, pro re nata. Apud pauciſſimos neceſſarium eſſe putavi, ut adplicarentur clyſmata aut unguenta emollientia, reſolventia. Vena nunquam ſecta eſt.

Corona Erlangam miſſ.
d. 6. Jan. 1790.

OBSERVATIO XXXV.

Dn. D. PHILIPPI JACOBI PIDERIT.

De

Ulcerum artificialium in Pleumonia uſu, ſi non plane proſcribendo, tamen valde limitando.

§. 1.

Non miramini *Lectores*, ſi in morbo tam frequenti, tam exitiali, et uſque adeo generi humano, in ipſa florentiſſima aetate, funeſtiſſimo, *ſcientiae noſtrae ſalutaris Antiſtites*, de excogitandis remediis indefeſſi fuerint. Sat amplam ſeriem remediorum hinc *Therapia* ſuppeditat, quae *Pleumoniae*, ſeu *Phthiſi pulmonariae*, ſanandae inſervire creduntur, et non ultimum locum inter haec hactenus tenent, quae ex *fonte chirurgico* deſumuntur, *Fonticuli* et *Setacea* nimirum, quae ſub nomine *ulcerum artificialium* comprehendimus.

Terminos, *Phthiſis*, *Tabes*, *Hectica*, aut a quibusdam ſcriptoribus promiſcue ſumi, aut multo magis eos inter ſe non convenire, ut ſingulis certam ſuam ſignificationem adſcribant, vulgaris ſcriptorum uſus docebit; ut igitur omnis ambiguitas evitetur, diſtinctam proponere notionem, quid ſub unoquoque horum vocabulorum intelligendum ſit, neceſſe nobis

nobis videtur. Si ad Etymologiam, ſeu horum vocabulorum ſignificatum grammaticum, reſpiciamus, ſingula *lentam noſtri corporis conſumtionem* ſignificanti; nimirum φθίσις a φθέω *corrumpo*, *Tabes* a τάκω ſeu τήκω, *liquo*, *liquefacio*, et *Hectica* ab ἕξις, habitus, ſcilicet febrilis corporis noſtri, quo ſenſim emaciatur. Interea pervetuſtum fuit diſcrimen inter *hecticos morbos*, et *phthiſicos*, ita quidem, ut in utrisque febrem adeſſe, cum corporis conſumtione, obſervetur, ſed in prioribus ſine ulcere corpus contabeſcat, in caeteris vero ulcus quoddam in aliquo viſcere ſimul adſit, unde febris vires depaſcens alitur et nutritur. Varia pectoris et abdominis viſcera ulceribus laborare poſſe, experientia, et praeſertim cadaverum ſectiones, docuerunt, et ſecundum hanc diverſitatem, diverſae oriuntur *Phthiſeos* ſpecies, quae modo *pulmonaria*, modo *hepatica*, modo *meſenterica* *) etc. audit, quanquam, praeſertim communis loquendi modus, priori utplurimum *Phthiſeos* nomen tribuit; et aliae vero hujus morbi ſpecies, in quibus ſaepe vel difficile, vel etiam nullo modo, ulceris praeſentiam dignoſcere poſſumus, ſub *Tabeſcentiae*, ſeu *Tabis*, quin, ſed minus recte, *Hecticae* nomine, comprehenduntur. Alii vero et quidem plurimi, non incongrue, illis morbis, in quibus, ab obſtructionibus viſcerum quorundam, corpus lente conſumitur, *Tabis* nomen attribuunt, et huc e. g. *Atrophiam infantum*, imo ipſum *Maraſmum ſenilem*, referunt.

Utcunque vero hoc ſit, nobis jam non de omnibus *Phthiſeos* ſpeciebus ſermo eſt, ſed de ea tantum ſpecie loquimur, in qua ulcus pulmonem devaſtat, quae etiam quodammodo κατ ἐξοχην *Phthiſis*, aut diſtinctius a πλευμάω, ſeu

 πνευ-

*) Circa principium praeteriti anni in ſectione militis, qui, citra omnem tuſſim, febre lenta ſenſim ſenſimque emarcuit, per omnem morbi decurſum ſemper de dolore in infimo ventre, nullo modo remittente, queſtus, apparuerunt omnes et ſingulae Meſenterii glandulae, non ſolum induratae, ſed etiam ipſo pure impletae.

πνευμάω, *ex pulmonum morbo tabeſco*, in quo ſenſu divus noſter HIPPOCRATES jam verbum hoc ſumſit, *Pleumonia* vocatur, eique etiam, quae proferimus, et hucusque obſervavimus, dicata ſunt, et jam *Lectorum benevolorum* judicio aequo ſubmittimus.

§. 2.

Satis amplum eſſe catalogum remediorum, quae huic morbo opponuntur, ſupra (§. praec.) jam notavimus. Sed proh dolor! ut aperte et ingenue veritatem confiteamur, omnia, ſit *Cortex peruvianus*, *Lichen islandicus*, *Polygala amara*, *Salab*, *Aſphaltum*, *ſuccus Cucumerum*, *decoctum Limacum*, *Myrrha*; ſint porro *Vomitoria*, ſaepius repetita, a Clar. REID tam impenſe laudata, et, ut brevi rem comprehendamus, ab innocenti *Aqua Selterana* usque ad periculoſa *Saturnina*, *Antihecticum Poterii* et *Tincturam antiphthiſicam Grammani*, quae B. VOGELIUS loco omnium aliorum poſuit, omnia et ſingula incaſſum a nobis adhibita fuerunt, ita ut nullum verum *phthiſicum*, qui *Pleumonia* laboraverunt, ſciamus, quem ſanavimus. Aliquomodo tolerabiliores reddere horum afflictorum triſtiſſimas dies, omne illud fuit, quod a remediis applicatis, et noſtra cura, obtinere potuimus.

§. 3.

Therapiam noſtram, in tali frequenti et elegantiſſimis corporis formis aetateque florentibus ferali morbo, tam calamitoſam conſpicientes, ingenue fatemur, fieri non alio modo potuiſſe, quam ut ambabus apprehendamus manibus, id remediorum genus, a quo, ſi aut ad eorum agendi modum, aut ad auctoritatem virorum illorum reflectamus, qui illud celebrant, maxima nobis exſpectanda fuerunt, et noſtra inprimis fiducia digna. Loco omnium aliorum ea hic transcribamus, quae B. BRENDELIUS, vir ſupra omnem noſtram

lau-

laudem elatus, in elegantiſſima Diſſertatione, de *Phthiſeos Hecticaeque diſcrimine, et Setaceorum utrobique uſu*, de *Setaceorum* efficacia profert. „Supereſt, ait nimirum, ut "veteres imitati, revulſionibus utamur, per ulcera artificia-"lia, diuturnis, quin repetitis, quorſum ſeſe natura ſuas in "vindicias exoneret, tum nondum collecto abſceſſu, tum "formato jam, faciliusque ſanando ſubtractis nutrimentis ex "perpetuo puris proventu. Utiliſſima hic erunt *ſetacea* ad "cervicem; extatque inprimis, de ſanata ſic *Tabe*, elegan-"tiſſima hiſtoria, auctore Leporino, apud Hildanum. — — "Primum beneficium eſt, ſtatim, ac ſuppuratio procedere "coepit, levari minuique et ceſſare tandem ſudores colliqua-"tivos, memorabili phaenomeno, deinde tuſſim, ſed paula-"tim et lento gradu, perque periodos tantiſper et intervalla, "conquieſcere, febrem denique poſtremum. Plerumque "adhibitio tempeſtiva, mirum in modum caeteris ſubveniens "remediis, ſomnum mature reddit, et faciei meliorem aſpe-"ctum, et corpori fructum alimenti, magis jam expetiti. "Serius remedium tardiore effectu eſt, et vel inclinatis jam "rebus, ſaltem fide diutius trahit. Subinde minuitur ceſſat-"ve, ſine cauſa manifeſta, ſuppuratio, ſputumve puris, ſi "jam illuc ventum eſt: tumque mira metamorphoſi, ſpaſmo-"dica, ex hypochondriis potiſſimum, ſymptomata, pervi-"gilia ejus generis, animi atrabilariae mutationes, deliria ipſa, "ſed ludicra fere, tantiſper adſunt, niſi ptyaliſmus quidam ſin-"gularis, vel metaſtaſis ad cutem, aut defluxiones aliae, "aut oedema pedum, novum auctiusve ſucceſſerint, dum "ſuppurationis redeat ſtadium, quod manifeſte ſuis periodis "diſtinguetur." Si his addimus encomia, quibus talia *ulcera artificialia* in noſtro morbo magnopere extollunt *illuſtr.* Fritze *in den mediciniſchen Annalen B.* 1. *pag.* 214. *clar.* Reid *in Eſſay on the nature and cure of the Phthiſis pulmonalis pag.* 158. I. Fothergill *in med. obſerv. and inquir. Vol.* 5. *pag.* 365. et S. Foart simmons *practical Obſerv. on the Treatement of*

 Con-

Conſumption p. 44. Aut etiam ad tales obſervationes reſpiciemus, quae caſu quodammodo fortuito factae ſunt: e. g. *illuſtr.* Brambillae, qui *Phthiſin*, amputatione membri cujusdam peracta, ſanatam videbat, vid. *Ejus tract. de Phlegmone* *); *illuſtr.* Richteri, qui, uti *in Chirurg. Bibliotheck* 4. *B. p.* 264. narrat, *Phthiſin* ſanatam obſervavit ex Mamma cancroſa amputata. Aut ſi tandem talia ulcera ſic conſideremus, quod humores ab ulcere in pulmone derivent, hincque devaſtationi, quae ab ulcere in hoc nobili viſcere oritur, obſiſtant, nihil ſupereſt, niſi quilibet Medicus exoptatiſſimum ab his remediis effectum in *Pleumonia* exſpectet. Vnde etiam evenit,

*) Ante circiter tres menſes mulieri hic loci brachium ab *expertiſſimo* hujus urbis *Chirurgo praetorio*, Ahlhausen, amputatum fuit, quae ultra anni ſpatium, circa articulationem in cubito *ſpina ventoſa* laboraverit, et cujus tali modo res eo adducta fuit, ut corpus plane emaciatum, viresque debiliſſimae fuerint. Adfuit febris lenta, ſudores nocturni colliquativi adfuerunt, jamque hi et per aliquot menſes aegram cruciaverant; aderat etiam diarrhoea colliquativa, aphthae, in omni oris ambitu et lingua, conſpicuae fuerunt; appetitus ciborum dejectus, ſomnus nullus, niſi opiatis factus; et in genere mors omni die exſpectanda fuit, ita ut etiam nonniſi plurium hujus civitatis Medicorum maturo conſilio, Collegarum nimirum conjunctiſſimorum, *illuſtrium Conſiliariorum aulicorum* Stein, et Grandidier, ego, qui primus vocatus, et praedictus *laudatus Chirurgus* miſerae aegrae deſiderio, quae avide amputationem exſpectavit, obſequi voluerimus. Facta felici amputatione, et, ut itaque materiae reſorptio non amplius locum habere potuerit, non octo dies tranſibant, ut ſudores, diarrhoeae ſiſtebantur, aphthae diſparuerunt, ſomnus redierat tranquillus, cum ciborum appetitu, febris ceſſaret, et ſenſim ſenſimque res ſe adeo in melius mutaverunt, ut jam, dum haec ſcribo, aegra haec viribus tantis dotata ſit, ut perfectiſſimam corporis ſanitatem ei promittere poſſimus. Quaeritur merito, numne caſus ille, quem *illuſtr.* Brambilla in mediam profert, noſtri ſimilis ſit, ita ut etiam ibi, uti in noſtro, aegra *nullo modo pulmonis vitio laboraverit*?

nit, ut minime hoc remediorum genus neglexerimus, ſed multo magis in variis aegrotis eorum periculum fecerimus; at id ipſum, uti ſequentes obſervationes docent, *nullo cum effectu*, et *de ſpe noſtra decidentes.*

§. 4.

Observatio I. *Lanio* hujus urbis, annorum circiter L. aetatis, qui ſemper in juventute fauſta fruebatur ſanitate, niſi, quod jam retro viginti annis, inordinatis *Haemorrhoidum* motibus laboraverit, ex abuſu ſpirituoſorum, ab aliquot annis *Tuſſi*, cum exſcreatione, correptus fuit, quae progreſſu temporis ingraveſcebat, et ei alia ſymptomata una ciebat, e. g. *Diſpnoeam*, *virium languorem* et *febriles inordinatos motus*, cum largis *ſudoribus*. Variis antea Medicis, et etiam, ut deplorandum fatum ſic voluit, Medicaſtris conſultis, menſe Maio anni MDCCLXXXII. ad eum accedebam. *Vires* jam fuerunt nondum plane fractae, *Tuſſis* vero eum, per omne diei ſpatium, et praeſertim noctu, poſtquam per aliquot horas ſomno aliquomodo refectus eſſet, cruciavit, una cum *ſputo* jam *purulento*, et *dolore in dextro pectoris latere*; adfuerunt etiam *ſudores colliquativi*, et omni die, circa veſperam, *febrilis acceſſus* eum vexabat, qui modo longiori, modo breviori, circuitu finiebatur. *Appetitus ciborum* plane proſtratus fuit. Circa veſperam leve *pedum Oedema* apparuit, quod vero altero die iterum evanuit. Rebus tali modo longe in malum procedentibus, ſtatim primis, quibus meae curae ſe tradidit diebus, ei *ſetaceum* ad pectus ipſum adplicare conſului. Quoniam autem hoc ei nimis crudele videbatur, et nullo modo in hujus applicationem conſentire voluit; applicati ei fuerunt *duo magni Fonticuli*, unus ad brachium, et alter in pede. Ad appetitum ciborum, qui plane dejectus erat, reſtituendum, praeſcripſi ei *Extractum Quaſſiae*, poſtea etiam *Myrrhae aquoſum*, cum *Lactis ſaccharo*, quae etiam aliquomodo, et ita, uti in tali aegro exſpectare

ctare poteramus, illum reſuſcitabant: ſed, quanquam progreſſu temporis *Lichenem islandicum* larga manu dedimus, ei etiam, quoniam tandem aeger medicamen hoc faſtidiebat, *Decoctum corticis peruviani*, cum *radice Salab*, praeſcripſimus, *Fonticuli* etiam, ſat magni, bene et copioſe ſuppurabant, nihilominus ne hilum quidem ad meliorem aegri fortunam contribuebant, omnia multo magis ſenſim ſenſimque in deterius abierunt, tandemque, poſtquam per aliquot menſes *ſuppuratio* duravit, haec etiam, viribus aegroti plane exhauſtis, finiebatur, et in Februario ſubſequentis anni diem obiit ſupremum.

§. 5.

Observatio II. Ad *uxorem civis hujus urbis*, *qui ex Aurichalco opera fabricabat*, morbo noſtro funeſto laborantem, ſat mature vocabar, ubi res adhuc in principio erat, et itaque multa exſpectanda fuiſſent, niſi, uti mihi jam antea, et poſtea, proh dolor! ampla experientia docuit, morbum noſtrum nullis ſub circumſtantiis, modo ipſe pulmo ulcere laborat, ullis remediis cedere. Accedebam ad aegram hanc, quae jam per duos annos ſaepe *ſputo cruento* vexata fuerat, in fine menſis Martii Anni MDCCLXXXV; aetatis erat circiter XXX. annorum. *Tuſſi* quidem et *Dyſpnoea* maxime vexabatur, et *ſputum* erat *purulentum*, tamen omnia haec non continue duraverunt, ſed ſaepe ſeptimanae, imo menſes fuerunt, ubi ſatis tolerabilem vitam aegra agebat, praeſertim tempeſtate ſerena; inſuper vires adhuc fuerant laudabiles, appetitus ciborum bonus, ſomnus, ſaepe per ſeptimanas, tranquillus et non interruptus. *Sudores nocturni* adhuc ſatis erant moderati, et ſaepe per plures noctes nulli. *Negotium menſium* adhuc erat integrum, quanquam jam inordinatum, ut ſaepe per unum et alterum menſem *catamenia* emanerent. In hoc morbi principio, ubi omnia adhuc fauſtum effectum ominabantur, ſtatim aegram, quoniam *ſetaceum* ei nimis durum

rum videbatur, ad *Fonticuli* applicationem perſuadebam, qui ſatis magnus ad brachium ponebatur. Brevi tempore bene ſuppurabat, et per annum integrum ſuſtentabatur: praeterea ei *Lichen islandicus, Extractum Graminis, Decoctum radicis ſalab*, et plura alia, tractu temporis, paulatim praeſcribebantur, ſed tamen nihilo ſecius morbus ſenſim ſenſimque ingraveſcebat, ita, ut circa menſem Maji futuri anni MDCCLXXXVI. morbus deteriorem monſtraverit faciem: *Tuſſis* evadebat intolerabilior, *ſputum purulentum* copioſius, *Dyſpnoea* major, *Febris lenta* augebatur, *ſudores nocturni* auctiores ita, ut vires maxime deficerent: *menſtrua* praeterea plane ceſſabant, et quoniam nullum juvamen videbat, in menſe Junio anni MDCCLXXXVI. me derelinquebat, et alium, et poſtea etiam tertium, Medicum conſulebat, ſed illi quoque non feliciores fuerunt, quam ego, et aegra circa finem anni vitam finiebat.

§. 6.

Observatio III. *Uxor dealbatoris* hujus urbis, annorum XL. per vitam inordinatam, praeſertim ex abuſu ſpirituoſorum, ſibi *Pleumoniam* contraxit. In menſe Decembri Anni MDCCLXXXV. cum ad eam primo venirem, jam quidem morbus ſat fuerat adultus, tamen vires adhuc fuerunt mediocres. *Febris* quidem *lenta*, et *Tuſſis*, continuo vexabant, *expectoratio* vero *purulenta* non erat inſignis, *ſudores nocturni* adhuc tolerabiles. Praemiſſo *vomitorio* ex *Ipecacuanha*, quia ſaburra biliosa ſcatebat, poſt aliquot dies ſtatim ei *Fonticulus* ad brachium applicabatur, *) ſed ab hoc, uti

*) Miratus ſum conſilium non incelebris Medici, qui *Phthiſico* applicationem *Fonticuli ad pectus* ſuadebat, quod vero, ob continuam *Tuſſim*, et totius pectoris vehementem concuſſionem, nullo modo applicari poterat.

uti etiam ab altero, qui ei poſt circiter octo ſeptimanas etiam ad alterum brachium ponebatur, nullo modo ſuppurationem obtinere potui, ita, ut, poſt aliquot menſium ſpatium, plane eos auferremus. Omnibus adhibitis, quae morbi proprietas requirebat, medicamentis, is ſenſim ingraveſcebat, ita, ut circa vernum tempus futuri anni MDCCLXXXVI. moreretur.

§. 7.

Observaio IV. *Juvenis* XXII. annorum, qui *venatoris* provinciam apud *Nobilem* hujus urbis adminiſtrabat, conſtitutione ad *Pleumoniam* pronus, jam per anni tempus *Tuſſi* vexabatur, cum *Dyſpnoea*, et interdum *ſputo cruento*, quae vero flocci pendebat, quoniam nullum virium defectum ſentiebat, et caeterum bona videbatur frui ſanitate. Sed in principio anni MDCCLXXXVI. poſt grave perpeſſum frigus, *Febre* corripiebatur, quae *Febris catarrhalis bilioſae* faciem habuit, et eum lecto affigebat. *Chirurgus* hujus urbis ei medela adſtabat, et quidem ſat laudabiliter, quum vero morbus magis ingraveſceret, vires in dies magis minuebantur, primo menſis Martii advocatus ſum. Non difficile cognitu erat, *pulmonis ulcere* aegrum laborare, quod vehementiſſimus *Febris* gradus comitabatur; *ſputum purulentum* adfuit copioſum et *ſudores* ſat largi. Primum, quod ei, ſtatim in prima mea viſitatione, ſuadebam, fuit *ſetacei* applicatio ad ipſum pectus, et quanquam parentes ejus ab initio aegre illud permittebant, tandem tamen, in ſpe aegrotum eo vitam ſuam conſervaturum, mihi annuebant. Sed quoque in hoc caſu in ſpe noſtra decepti fuimus; nam quamquam ex *ſetaceo* bona ſuppuratio ſequi videretur, tamen nullum ſolamen inde ſequebatur, nullam mutationem in *ſputo*, nullam in *ſudoribus*, et nullam in *Febre*, obſervabamus, multo magis, adhibitis ſimul congruis medicamentis, omnia tractu temporis in deteriora ruebant, vires tandem plane ſufflami-

naban-

nabantur, et aeger, in menſe Septembri ejusdem anni, vitae ſuae dies finiebat, poſtquam circiter ſeptimanas quatuor ante mortem ſuppuratio *ſetacei* ceſſaverit.

§. 8.

Observatio V. Eodem anno MDCCLXXXVI. in menſe Septembri, *uxori* cujusdam *viri*, qui apud *Collegium noſtrum ſupremum, quod circa Principis reditus verſatur*, provinciam adminiſtrabat, medela adſtabam, quae annorum erat XXVIII. et *Pleumonia* laborare incipiebat. Omnia adhuc in principio fuerant, *ſputum* nondum valde purulentum, *vires* adhuc laudabiles, *ſudores* modici, et *Febris* quoque non inſignis. *Catamenia* vero jam ſuppreſſa fuerant per aliquot menſes. Praeſcribebam ei *Myrrham* in *aquoſa decoctione*, et ſtatim ab aegrota, quae omnia placide et patienter ferebat, acquirebam permiſſionem, ut ei applicetur *Setaceum ad pectus.* Tolerabat hoc per anni fere ſpatium, ſed nunquam in tanta quantitate ſuppuratio procedebat, ut exoptabamus, et datis congruis remediis, praeſertim praeter *Myrrhae Decoctum*, quod per aliquot menſes continuavit, *Decoctum Lichenis islandici*, poſtea etiam *Chinae*, cum *Salab*, et quae fuerunt alia; tardis gradibus nihilo ſecius morbus ingraveſcebat omnibus ſuis ſaevitiis, ut tandem in menſe Martio Anni MDCCLXXXVIII. aegra ſuccumberet.

§. 9.

Observatio VI. *Eques Cohortis praetorianae*, qui annos habuit XXII. circa Martium anni MDCCLXXXVII. poſtquam jam per aliquot annos *Tuſſi*, et interdum *ſputo cruento* vexatus fuerat, venit ad Noſocomium. Statim, viribus adhuc non plane labefactatis, ut *Tuſſi, exſcreationi purulentae, ſudoribus, Febrique lentae* occurramus, *ſetaceum* ei applicatum fuit ad *pectus*, quod bene ſuppurabat. Datis ſimul *Decocto Lichenis islandici*, cum *Vitrioli acido* parum commixto,

Extracto Graminis, Decocto corticis peruviani, et quae fuerunt alia, tamen omnia ſemper deteriora fiebant, et viribus tali modo exhauſtis, in menſe Auguſto ſupremum obiit diem.

§. 10.

Observatio VII. *Miles legionis praetorianae pedeſtris* in menſe Novembri MDCCLXXXVII. in Noſocomium recipiebatur. Tum temporis *ſputum* habuit *cruentum*, cum *dolore pectus gravante*, *Febreque lenta*, cui jam *ſudores nocturni* ſe aſſociabant. *Venaeſectionibus* parvis repetitis, et praeſcriptis *temperantibus*, cum *demulcentibus* junctis, quibuscum etiam frequens conjungebatur uſus *Clyſmatum reſolventium*, *ſputum cruentum* quidem mitigebatur, ſed *Tuſſis* manebat, *dolor pectoris*, *ſudores* (quos etiam, uti tamen in aliis aegrotis obſervavimus, *decoctum ſaturatum ſalviae* non infringere poterat) et *Febris*, ſuperadveniente etiam *ſputo purulento*, accedebat. Quoniam *appetitus dejectus*, et *lingua ſordida* fuerat, et itaque *Vomitoria* ſatis clare indicabantur, ad exemplum *clar.* Reid, per ſeptimanam, unum et alterum *emeticum* ei praeſcripſimus, ita, ut, in ſeptimanarum quatuor ſpatio, eorum quinque acciperet. Multam pituitam evomebat, et ſemper aliquod levamen obſervabat, ratione *Tuſſis* et *Dyſpnoeae*, alterum et tertium quandoque diem poſt aſſumptum *vomitorium*, caetera vero eadem manebant. Sed quarto et quinto dato *Vomitorio* hoc levamen etiam ceſſabat, ut aeger ea plane amplius omni ſtudio reſpueret. Quoniam jam ſaepe fruſtra cum *Setaceis* et *Fonticulis* periculum feceram, huic aegroto non applicare animus meus fuiſſet, niſi *Gonorrhoea* et *Bubones venerei*, quos ante aliquot annos habuit, ſuſpicionem in me excitaviſſent, numne de materia *venerea* aliquid ad pulmonem dejectum fuiſſet; ob quam cauſam ei etiam, per aliquod tempus, praeter *Decoctum ſalab*, cum *Extracto graminis*, omni die unum Granum *Mercurii dulcis* praeſcribebam, poſt quem uſum etiam *Scabies* apparebat,

ſed nullo fauſto effectu, ratione *pectoris morbi.* Ne vero aerumnoſae vitae aegri novos adderem dolores, loco *ſetacei*, quod nunc tertia vice fruſtra in aegrotis meis adhibui, *Fonticulus* ei applicabatur. Sed omnia erant fruſtranea, et menſe Octobri futuri anni morbi ſaevitiae ſuccumbebat.

§. 11.

Observatio VIII. *Ephippiarius* hujus urbis, vir XLV. annorum, qui luxurioſa vita, praeſertim vini abuſu, ſibi *Pleumoniam* contrahebat, me in autumno anni MDCCLXXXVIII. conſulebat. Jam per plures annos ſaepe *ſputo cruento* vexatus, et ſemper fere *Tuſſi ſicca* moleſtatus fuerat, unde quidem macilentum habebat corpus, ſemper vero adhuc laudabilibus gaudebat viribus. Jam vero in medio anni MDCCLXXXVIII. *Tuſſis* ingraveſcebat, *ſputum* exſcreabat *purulentum*, *pectus* valde dolebat, *ſudores nocturni* ſe aſſociabant, et in genere maximam virium dejectionem obſervabat. Quoniam retro a multis annis *ulcere phagadaenico* in uno pede laborabat, quod, vel ſua ſponte, vel, uti aeger ſuſpicabatur, a *Chirurgo* quodam, ante dimidium circiter annum, ſiccatum fuerat, mihi maxima erat ſpes, quando *Fonticuli* ope, effluxum hunc, quem natura jam per plures annos ſibi paravit, reſtituerem, fauſtiſſimos fore effectus. Sed quanquam bene *Fonticulus* ſuppurabat, tamen nullam inde obſervavi mutationem ſalutarem in aegroti ſymptomatibus, multo magis, omnia, *Tuſſis*, *ſputum*, *ſudores*, *Febris lenta*, eadem manebant, *vires* ſenſim ſenſimque magis conſumebantur, et aeger, omnibus aliis remediis congruis ſumma diligentia hauſtis, in vere anni ſequentis MDCCLXXXIX. animam exſpirabat.

§. 12.

Sufficiant haec; ſed addere mihi adhuc liceat, nullum fere eſſe remedium, quod in morbo noſtro alias laudatum eſt,

 ſal-

ſaltim, ſi non plane principiis rationalis Medici repugnaret, quod non adhibuimus, nullum autem *verum Phthiſicum,* qui *ulcere pulmonis* laboravit, ſanavimus, et credimus etiam, quod ob perpetuam pulmonis motum, circulationem ſanguinis per hoc viſcus, quibus omni minutiſſimo momento ulcus irritatur, et mollem hujus viſceris compagem, nullam in naturae Gazophylacio exſtare remedium contra hunc morbum, et nunquam etiam tale repertum iri.

Caſſellis Erlangam miſſ. d. 11. *Jan.* 1790.

OBSERVATIO XXXVI.

Dn. D. CHRISTOPHORI WILHELMI HUFELAND.

De

Arſenico deglutito, et Sale alcalino vegetabili, egregio ejus Antidoto.

Obſervatio I.

Puella toroſa, annorum 24. polentam illam farinoſam, quam *Mehlkloeſe* vulgo vocant, ſibi parans, inſcia adjecit portionem farinae, Arſenico mixtae, quam, pro muribus necandis, olim compoſitam, mater imprudens diligenter reponere omiſerat. Vix comederat fatalem cibum, cum nauſeam, oppreſſionem pectoris, dolorem ventriculi, ſentiret. Mox praecordia inflantur, dolores augentur, vomitus accedit. Illa ſibi perſuadens, nil niſi effectus eſſe nimiae repletionis, ſponte brevi ceſſaturos, nihil metuit, nec opem medici implorat. Sex horis vero miſerrime praeterlapſis, omnia ſymptomata ita augentur, ut, praeſertim detecta eodem tempore graviſſima mali cauſa, me appellent. Invenio aegram diriſſimis doloribus abdominis, pectoriſque, cruciatam, anxietatem ſummam, crebris animi deliquiis mixtam, labia oris

et

et linguam tumidam, continuos vomendi alvumque dejiciendi conatus, ſed irritos, et nil niſi aquoſi aliquid eliminantes. Copia Arſenici aſſumti, quamquam accuratius haud definienda, tamen facile ſcrupulum unum aequare potuit. Nimis ſero me eſſe vocatum, ut emeſi adhuc venenum ejicere tentarem, facile perſpiciens, in hoc inteſtinorum ſtatu ſumme irritato, jamque ad inflammationem vergente, venenique particulis jam nimis per inteſtina diffuſis, altiusque impactis, unicam, ſi quae ulla, ſalutem ab involuentibus, et chemice decomponentibus, acre illud fermentum, junctis ſopientibus, exſpectandam eſſe, intellexi. Protinus igitur lac vaccinum larga copia bibendum, et olei olivarum hauſtus, ſaepe interponendos, curavi; Olei Tartari per deliqu. guttas 60., aqua dilutas, propinavi, eamque doſin quaque hora dimidia repetere ſuaſi; abdomen cataplaſmatibus emollientibus tegi, juncto Linimento ex Oleo Chamomill. coct. Hyoſcyam. et Laudano liquido āā; Clyſmata quoque, ſed incaſſum, ſuaſi. His adminiſtratis, ſecunda jam Olei Tartari doſi, magna ſymptomatum remiſſio obſervari potuit; vomitus et diarrhoea primo ſiluerunt, dolores atrociſſimi mitigari coeperunt, et altero mane (veſpera initium curationis factum erat) tormina ventris penitus ſedata, anxietatem fere nullam, et aegram quietam, ſudoreque critico madidam, inveni. Simul in lingua et faucibus veſiculae aphthoſae apparuere, multum prurientes et urentes, quasque etiam in oeſophago adeſſe, ardoris ſenſus, ibi moleſtus, ſignificabat. Meridie veſiculae quoque, partim miliares, partim bulloſae, in nucha, dorſo, et praecordiis obſervabantur. Regio tamen epigaſtrica adhuc tumuit atque doluit, ſenſumque ponderis habuit. Oleum Tartari omni bihorio, una cum reliquis remediis heſternis, continuabatur. Quum vero altero mane inflatio et ardor ventriculi haud multum ceſſarent, alvusque clauſa, et clyſmatum applicatio nullo modo obtinenda eiſet, eam laxare, ſalina tamen irritamenta evitare, neceſſe

ceſſe habens, pulverem e Magneſia ſalis comm. ſcrupulo uno, Rad. Jalapp. granis quinque compoſui, cui guttulas duas Olei Aniſi, tam celebris Arſenici Antidoti, adjeci. Talem pulverem, quoque bihorio, in Emulſione oleoſa deglutivit, unde aliquot dejectiones fluidae, pituitoſae, et diminutio moleſtiarum ventriculi, obtinebantur. Ita per aliquot dies, rariori tamen doſi, continuatum, et ſanitas penitus reſtituta videbatur, excepta inflatione ventriculi et languore artuum, quae cum ſoli atoniae effectus viderentur, Infuſo Quaſſiae, Elaeoſacharo Aniſi nupto, oppugnavi, et ſpatio hebdomadis feliciter profligavi. Nec, quod metui, chronica mala ſequebantur, ſed per duos annos exin elapſos perfecta ſanitate gaviſa eſt.

Propinqua ejus, quae etiam hujus cibi, ſed exiguam, portionem deglutiverat, dolores quidem ventriculi, vomitum, et diarrhoeam, teneſmo moleſtam, experta eſt, ſed duo vel tres hauſtus *alcalini*, ſupra memorati, penitus haec mala ſuſtulerunt. Laſſitudo et Oedema pedum aliquot dies durabant.

Obſervatio II.

Mulier 30. annorum, habitus tenerioris, ſexto menſe gravida, veſpera ſubito tam gravibus adfectibus corripitur, ut me protinus accerſerent. Invenio eam ſummis anxietatibus, interdum ſtrangulatoriis, vomituritione, animi deliquiis, tremore artuum, dolore ventriculi diriſſimo, teneſmoque cruciatam, et me praeſente labia oris, lingua, paullatim etiam manus intumeſcebant; vox et deglutitio inde difficilis. Haec omnia mulieri penitus ſanae, ſtatim a comeſo fruſtulo farciminis, acciderant, et horae circiter quadrantem duraverant. Venenum mihi ſuſpicanti, et de farcimine illo diligentius inquirenti, narratur, illud pridie a marito coëmtum, et maxima ex parte devoratum fuiſſe, ſine ulla ſubſe-

ſubſequente noxa, fruſtulum vero, hodie ab uxore deglutitum, per 24. horas in ſcrinio latuiſſe, quod, ut nunc primum recordabantur, ſex fere ante menſes, reſervandae *lapidis muſcarii* (ſ. *Arſenici nativi friabilis*) portioni inſerviiſſet. Cujus etſi nullae amplius reliquiae reperiebantur, certum tamen erat, particulas quasdam cibo illi adhaeſiſſe, et in hoc veneno, unicam mali cauſam quaerendam eſſe. Protinus ergo pulveris radic. Ipecacuanhae grana quindecim propino, ob habitum plethoricum, graviditatemque Venaeſectionem in brachio inſtituo, abdomini Cataplaſmata lactea impono, et Infuſum Flor. Chamomill. cum lacte et oleo, pro vomitu facilitando, crebrius haurire jubeo. Contigit quoque, ut paullo poſt emeſi particulae quaedam cibi venenati, jam ſatis ſolutae, ejicerentur. Aliquid exinde levaminis percepit, ſed dolores, anxietates, et vomituritiones, nondum ceſſarunt. Reliquias igitur veneni tollendi ſcopo, Oleum Tartari per deliqu. omni hora doſi guttarum quinquaginta, aqua mixtarum, adhibui, juncto potu olei, et lactis, Clyſmatibusque utrumque continentibus. Id quod tam felici ſucceſſu factum, ut mox intumeſcentia oris manuumque ſubſideret, dolores et vomitus ſtrangulatorii remitterent, et altero mane fere nullum amplius incommodum ſupereſſet. Tunc Infuſum Mannae cum Foliis Sennae, ad eliminandum fomitem malignum, ſumſit, et, conſervata duplici vita, feliciter evaſit, juſtoque tempore filium ſanum et vegetum peperit.

Epicriſis.

I. Prius exemplum docet, quantum farinoſa, ad involuenda ac obtundenda venena acerrima, valeant. Certe quantitas Arſenici adſumti ea fuit, quae, pure hauſta, protinus horrendiſſimas ac vix ſedandas turbas excitare debuiſſet. Hic vero venenum farina, butyro et lacte mixtum, multo lentius mitiusque agebat, ſymptomataque inde commota tunc

primum, quum, poſt aliquot horas, benignum illud involucrum digeſtione ſepararetur, tantum vehementiae gradum adſecuta ſunt, ut ad medicum confugere neceſſe videretur. — Utiliſſima ſane medico obſervatio, uſum ejusmodi vehiculorum etiam in adhibendis magis tuto remediis corroſivis e. g. Mercurio ſublimato, ſuadens.

II. Eximia *vis Salis alcalini vegetabilis*, ad corrigendum et extinguendum Arſenici venenum, his obſervationibus extra dubium ponitur. Statim a primis doſibus vomitus inanis, diarrhoea, teneſmus, ceſſabant, ut facile intelligeretur, ſummam aciem veneno ereptam eſſe; et brevi tota malorum ſeries imminuta ac ſublata apparuit. Idem *Cel. Houlſton*, cujus potiſſimum ſuaſu hoc remedium adhibui, obſervavit, et inter alia vis ejus antidotae documenta hiſtoriam hominis, hauſta Mercurii ſublimati corroſivi *Uncia dimidia*, Orco fere traditi, et tamen ſale Tartari feliciter ſanati, tradidit, (Vid. Ej. *Tr. on Poiſons*), unde ſat perſpicuum, quanta ſit ejus vis in omnia venena acido-corroſiva. In priori caſu haec quoque virtutem remedii noſtri praecipue illuſtrant, quod in venenum, haud dudum ingeſtum, ſed jam ſex horarum ſpatio in primis viis haerens, earumque ergo tunicis jam fortius impactum, tam potenter egerit, dein quod, aegrota applicationem aliorum auxiliorum, Vſectionis, Clyſmatum, balneorum, etc. pertinaciter recuſanti, id fere unicum fuerit, quo venenum enervabatur.

III. E Chemicis conſtat, Alcali fixum vegetabile, Arſenico ſolvendo maxime idoneum eſſe, et hoc ſemimetallum (ex Acido ſui generis, Phlogiſtoque, conſtans) ita alterare poſſe, ut Acidum Arſenici abſorbeatur, et, expulſo phlogiſtico ejus principio, corpus neutrum, et nullum fere Arſenici veſtigium praebens, remaneat. (Memorabile hujus rei exemplum Vid. in Cel. Möhsen, *Bildniſſe berühmter Aerzte*, ubi Chemicus experientiſſimus praeſentiam Arſenici in tali compoſitione demonſtrare vix potuiſſet, niſi tandem, adjecto

jecto Oleo, phlogiſticatum, et ſublimatum fuiſſet.) Deſtructio igitur, et Metamorphoſis, veneni, ſummus curationis antidotae ſcopus, et divina Medicinae ac Chemiae hodiernae praerogativa, hoc remedio optime obtinetur, et facile intelligendum eſt, id, quod extra corpus animale fieri poteſt, multo melius, Arſenico, jam ſucco ſalivali, gaſtricoque, ſoluto, et calore animali adjuvante, expectari poſſe. Equidem haud ignoro, plura alia Arſenici Antidota, a viris arte peritiſſimis, commendari, et inprimis hodierno tempore, Saponem Cl. Hahnemannii, ſulphur *Navieri* et Oleum Aniſi *Majaulti*, laudibus, famam accepiſſe. Sed, ni fallor, his omnibus palmam eripit ſal noſtrum alcalinum, uti brevis eorum diſquiſitio docebit.

Saponis nempe virtutes ſequenti modo a Cl. Hahnemannio demonſtrantur: Alcalino remedio quidem opus eſt, ſed ſummum curationis momentum in eo conſiſtit, ut haec ſolutio, conjunctioque Alcalini ſalis cum Acido Arſenici, quam facillime, ac citiſſime, fiat. Notum vero eſt, Acida, quo magis Phlogiſto impraegnata ſunt, eo difficilius copulam Alcalinorum, Alcalina vero, quo magis Acido aëreo turgent, eo aegrius connubium Acidorum inire. Utrumque hoc impedimentum in decompoſitione Arſenici, ope Alcali fixi vegetabilis, occurrit; prius enim phlogiſticis particulis, poſterius Aëre fixo repleta ſunt. Nullo modo igitur ſolutio melius promoveri poſſet, quam priori Phlogiſton, alteri Aërem fixum, auferendo.

Illud in corpore vivo ſecure fieri nequit, hoc ergo agendum ſupereſt, idque adſequitur, ſi, loco Alcali vegetabilis, Alcali cauſticum, Aëre fixo privatum, eligimus. Cujus vero qualitas corroſiva cum ventriculo jam irritato minime conveniret, praeſtat id Oleo ſeu pinguedine nuptum, ergo ſaponis forma, adhibere. Ita ſolutio et decompoſitio veneni quam celerrime perficitur, ſimulque qualitas oleoſa lubrica parietes ventriculi optime defendit.

 His

His vero ſequentia objicere liceat:

1. Alcali cauſticum, ſi quoque, quod multi negant, abſentiam Aëris fixi, cauſticitati propriam, accipiam, tamen, ſolutione in aqua ſimplici, certiſſime, ac citiſſime hunc aërem in ſe recipiet, et majorem verſus Arſenicum affinitatem, quam Auctor praedicat, eo perdet.

2. Oleum vero, ſeu pinguedo, alcalinis particulis adhaerens, ipſo ſolutionis tempore, loco Phlogiſton Arſenico detrahendi, quod ex Cl. Auctoris ſententia neceſſe eſſet, illud potius addit, eoque Arſenicum minus ſolubile reddit.

3. Denique, quod potiſſimum eſt, ſapo ſemper pro corpore neutro habendus, et Alcali, oleoſis partibus involutum, nullo modo tam potenter vim reagendi, et infringendi, in acida exſeret, quam purum. Cl. Auctor quidem exemplum adducit, quo Arſenicum aqua ſaponacea brevi ſolvebatur; ſed non ſufficit, ſolutum eſſe, niſi etiam neutraliſatum fuerit. Aqua, Mucilago, et plura quoque corpora, optime ſolvunt, ſed haud mutata eorum natura. Hac vero vi, *acida neutraliſandi*, eaque *innoxia reddendi*, de qua hic potiſſimum agitur, ſal alcali vegetabile ſaponem longe ſuperat.

Optime ergo agimus, ſi Alcali, et Oleum, ſeparatim ingerimus. Ita vis prioris antidota, inalterata conſervatur, ſimulque ſcopus lubricandi ac obliniendi, caeteraque ſaponis commoda, obtinentur.

Sulphuris Hepar. Ejus vires, Arſenicum ſolventes, et decomponentes, *Sali alcalino poſtponendas* eſſe, experimentis chemicis conſtat, praetereaque, per ſe, tam calidum, et vehemens eſt remedium, ut facile ventriculo, jam phlogoſi proximo, novas turbas ciere, et inflammationem accelerare, poſſet.

Quando vero primum, ſ. inflammatorium, ſtadium veneficii praeteriit, ſubtilioresque nunc veneni particulae expellendae ac corrigendae ſunt, tunc utiliter hoc volatile

et

et phlogiſticum remedium adhiberi poteſt; quo conſilio vero Aqua ſulphurata Cl. HAHNEMANNI omnibus aliis praeparatis anteponenda eſt.

Oleum Aniſi. Miri ſunt effectus, quos Cl. MAJAULT de eo praedicat. Guttae quindecim ſufficiebant, ad diriſſimas veneni effectus mitigandos. Certe haec experimenta, et qualitas hujus olei penetrantiſſima, ac pellens, attentionem merentur, idque in ſtadio ſecundo, aliis tamen non omiſſis, ad reliquias veneni, primis, et ſecundis, viis, impactas, propellendas, nec non ad atoniam tubi inteſtinalis, quae poſt tantam ſtragem ſumma eſſe ſolet, corrigendam, haud vilipendendum eſt.

Vinaria Erlangam miſſae
d. 20. Mai. 1790.

OBSERVATIO XXXVII.

Dn. D. GEORGII HENRICI BOEHR.

De

Dentitione perdifficili, cum convulſionibus, in adulta.

Virgo XIX. annorum, jam a tribus retro annis, variis vexabatur motibus convulſivis, ſaepe in epilepticos transeuntibus, absque manifeſta, quam attenti parentes detegere poſſent, cauſſa. Habitus corporis mollis eſt et macilentus, et, ex vitio matris, aeque ac corpora reliquorum infantum, gibbere deformis. Annum aetatis XVI., etſi vita ſedentaria uteretur, absque moleſtiis, quas nunc patitur, attigit. Morbos infantiles e. g. variolas, morbillos, etc. facile ſuperavit, at anno XVI. menſtrua, magna cum difficultate, et quidem adeo parce profluere coeperunt, et ab eo tempore motus ſpaſtici ingruere. De vita dilectae filiae ſolliciti parentes, varios in conſilium vocarunt Medicos, quorum ta-

men nullus peſſimi morbi convulſivi cauſſam detegere potuit. Factum inde, ut, licet plura medicamina antiſpasmodica, confortantia, veſicantia, balnea, primum calida, dein etiam frigida, tandem remedia ſopientia, per annum adhiberentur, inſultus tamen eadem vehementia redirent, ſicque inanis omnis medela eſſet. Poſt elapſum annum ſenſit aegra, in utroque latere, alveolos ab erumpente utrinque dente molari perforari, conquieſcentibus penitus, ab eo tempore, per integrum annum, paroxysmis epilepticis, quem ergo, proſpera fruens valetudine, transegit, rite fluentibus menſtruis, et appetitu vigente. Perfecte ergo reſtitutam eſſe aegram, laeti judicavere Medici, nec tamen, quae fuerit cauſſa et origo triſtiſſimi morbi, parentibus indicarunt. Verum cum ingruente anno aetatis XVIII. inſultus convulſivi, maxima cum vehementia, redirent, anxii parentes et meum petiere conſilium, meque, ut in cauſſam diri morbi inquirerem, rogarunt, quam tamen detegere valde difficile erat. Suſpicabar quidem in principio, ſubeſſe vermes, et fortaſſe taeniam, hinc uſum remediorum anthelminthicorum, ipſiusque remedii *Nufferiani*, et largae copiae olei Ricini, ſuaſi; at nil quidquam vermium excretum eſt. Poſt aliquod tempus aegra de *acerrimo dentium dolore* queri coepit, cumque os inſpiceretur, in alveolis ſuperioribus detegere licuit tuberculum et ex ejus contactu concludere, prodire in utroque latere dentes, quos dentes ſapientiae vocant. Perrexere, ultra quatuor menſes, redire paroxysmi epileptici, ſub quibus ſemper os apertum detinebatur; at nunquam cognoſci potuit, per quam cauſam externam, hi paroxysmi, aut pluries in eodem die, aut poſt aliquot dierum intermiſſionem, recurrentes, revocarentur. Inciſionem gingivarum, et aegra, et parentes anxii, recuſarunt, remque potius tempori committere maluerunt, ſymptomatum unice mitigationem a me petentes. Dedi hoc fine ſemel in paroxysmo Laudani liquidi Sydenhami guttas decem, cum triginta guttis Liquoris anodyni

dyni mineralis Hoffmanni, et clyſterem emollientem injici juſſi, hisque ſemper levamen aliquod effeci. Ceſſante ſingulo paroxysmo, aegra ſemper per diem de doloribus acerrimis dentium queſta eſt. Elapſis denique ultra ſex menſibus, ſenſim ſenſimque findebantur gingivae, et dentes ſapientiae in utroque latere prodiere. Siluerunt ab eo tempore penitus cuncta ſymptomata convulſiva, et epileptica, et aegra, redeuntibus in dies viribus, cum ſanitate in gratiam rediit, qua et nunc per annum optima, et ab omni inſultu ſpaſtico immunis, utitur.

OBSERVATIO XXXVIII.

Dn. D. GEORGII HENRICI BOEHR.

De

Vomitu cruento.

Virgo XXII. annos nata, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, menſtruis rite fluentibus gaudens, variis animi affectibus, praecipue iracundiae, inter familiares obnoxia, menſe Octobri, elapſi anni, vomitu cruento corripitur, cumque ego advocarer, magnam jam copiam ſanguinis atri, ſpiſſi, coagulati, bile et pituita permixti, excretam eſſe deprehendi. Aderat ſimul tuſſis vehemens, ſub qua, ſi vomitus ceſſaret, aegra ſanguinem rubrum rejecit, non tamen ea quantitate, ut inde de haemoptyſi metuendum eſſe crederem. Notandum tamen, utrosque aegrae parentes, jam ante decennium, phthiſi pulmonali, et febre lenta extinctos eſſe, filia interim, quae et morbos infantiles feliciter ſuperavit, ad terminum ſupra indicatum usque, illibata utente valetudine.

Ipſo autem praeſente vomitu cruento, maxima aderat praecordiorum anxietas, nauſea, cardialgia, et dolor ſpaſticus

ſticus preſſorius in hypochondrio ſiniſtro, praecipue circa ſedem lienis, qui et ipſe locus tumidus erat. Alvus erat adſtricta, viresque valde proſtratae, forte ab inanitione, dum aegra, jam ab aliquot diebus, quotidie ultra ſex uncias ſanguinis rejiceret.

Nulla mihi alia, praeter iracundiam, atrocis morbi, cauſſa detecta erat. Ex tumore ergo hypochondrii ſiniſtri, latitans ulcus aut lienis, aut fundi ventriculi, aut pancreatis, forte jam a longo tempore natum, ſuſpicabar.

Ob pulſus duritiem et plenitudinem, venaeſectionem inſtituere, et tumori hypochondrii ſiniſtri linimentum volatile inungere juſſi, ſimul autem, omni hora, aegrotam vaſculum potionis, e duabus Unciis Pulpae Tamarindorum, cum drachmis duabus Nitri depurati, in Unciis decem aquae deſtillatae ſolutis, ſumere, cui, ad ſiſtendos vomendi conatus, Laudani liquidi Sydenhami guttas quadraginta addidi. Ob alvi adſtrictionem quovis trihorio clyſter emolliens injectus, ſimulque potus ordinarius mucilaginoſus, in quo cremor tartari ſolutus erat, propinatus eſt. Poſtero die conquievit vomitus cruentus, ſed in toto corpore concuſſiones convulſivae apparuere; lingua praeterea mucoſa, bile tecta, ſapor bilioſus, pulſusque durus et frequens erat, cum cardialgia, et conatu vomendi. Datus eſt ideo ſcrupulus unus Radicis Ipecacuanhae, qui tres vomitus bilioſos et mucoſos effecit, nullo intermixto ſanguine, ceſſantibus dein convulſionibus. Rediit veſperi vomitus cruentus, parcior quidem ac antea, et ob hanc cauſſam potionem ſupra indicatam ſumere ſuaſi. Ceſſavit ſequenti mane vomitus cruentus, ſed rediere convulſiones, licet mitiores, quam pridie erant. Veſicatoria ergo ſuris applicata ſunt, ceſſantibus poſtridie convulſionibus, ſed materia cruenta, virideſcens, pravi odoris, et ſaporis, magna copia vomitu rejecta eſt. Tumori ergo lateris ſiniſtri, cum dolore obtuſo ſenſim evaneſcenti applicatae ſunt fomentationes frigidae, ex pane et aceto vini,

et clyſteres frigidi, ex parte aequali aquae et aceti vini, injecti, qui largiter alvum ſollicitarunt, et cum per quatuor dies quotidie hujusmodi clyſter injiceretur, id effectum eſt, ut vomitus cruentus ſiſteretur. Per octiduum aegra nil quidquam ſanguinis, nec vomitu, nec tuſſi rejecit, et obſervata ſtricta diaeta, redeuntibus viribus, melius in dies ſe habuit, ut jam perfecte convaluiſſe videretur. Verum, elapſis octo diebus, rurſus ira excandeſcens, vehementi vomitu cruento corripitur ita, ut in nycthemero menſuram ſanguinis atri et coagulati, bile et pituita remixti, maximo cum conatu rejiceret. Iterum ergo Venaeſectio, Clyſmata frigida, ex aqua et aceto, Cremor tartari in potu ordinario, et quovis trihorio guttae ſex Laudani liquidi Sydenhami adhibita ſunt. Per ſubſequens biduum magna adhuc ſanguinis quantitas ejecta eſt, tum vero ceſſavit haematemeſis, poſt uſum Elixirii, ex chinaechinae extracto frigido parati, et dein ipſius Corticis in pulvere cum Caſcarilla et acidis mixti, et linteorum, aqua et aceto madidorum, quae frigida abdomini applicabantur. Sed reſtitit tuſſicula cum exſcreatione parca quidem ſanguinis, ita ut per viginti dies quotidie dimidia uncia tuſſiendo excerneretur, cui emulſio amygdalina, pro potu ordinario ſumta, profuit, et cum adſtantes uſum Electuarii, ex Rob Sambuci et mellis crudi, aequali quantitate mixti, et quovis trihorio ad cochlear minus devorati, commendarent, facile me conſentientem invenerunt. Continuato hujus Electuarii uſu, per ſpatium bimeſtre, evanuit et tuſſis et ſcreatus cruentus, et aegrota, increſcentibus in dies viribus, et fluxu menſtruo rite ſuccedente, adeo bene ſe habuit, ut jam laboribus ſuis domeſticis ſolita alacritate vacare poſſit.

Berolino Erlangam miſſ.
d. 22. *Jul.* 1790.

OBSERVATIO XXXIX.

Dn. D. JACOBI FRIDERICI ISENFLAMM.

De

Acervulo cerebri.

Etſi quidem, pro ſapientia Creatoris, cuique parti corporis humani ea ſit ſubſtantia et ſtructura, quae functioni, cui praeeſſe debet, maxime conveniat, quaeve ideo pro ſolita et naturali habenda eſt, nil tamen iis, qui laboribus anatomicis manus admovent, frequentius accidit, quam ut et partes quasdam longe aliter ſe habere, ac quidem exſpectaſſent, ac ut olim ſaepe invenerant, nunc deprehendant. Poteſt utique hujusmodi, a ſolita ſtructura recedens, fabrica, quae parum ſaepe, vel nihil, functioni obeſt, pro varietate connata, aut, minus commode, pro luſu naturae haberi, qualis e. g. in ſyſtematis renalis vaſis ſanguiferis quam frequentiſſima eſt; verum, ſi hujusmodi partes nobis occurrant, quae aut tota ex ſubſtantia, plane inſolita, conflatae ſunt, aut quibus hujusmodi ſubſtantia aliena intertexta vel intermixta eſt, eo profecto magis attentio noſtra excitatur, dum ſcilicet ancipites haeremus, an id pro connata quadam varietate, an pro degeneratione, ſucceſſu temporis facta, morborumque cauſſa vel effectu habendum ſit. Quadrare idem in *cerebrum*, experiuntur eo ſaepius inciſores, quo exactius in nobile hoc viſcus inquirunt, ſive jam ſubſtantia ejus ſpectetur, ſive variarum ejus partium a fabrica ſolita aberrationes. At, ni ego vehementer erro, nulla forte pars eſt cerebri, in qua frequentiores obveniant degenerationes, aut ſaltem, ubi ſaepius notabilia occurrant,quam *conarium*, ſeu, minus recte, *glandula pinealis*, dicta, particula exigua, non quidem veteribus incognita, ſed maximam dein celebritatem adepta, ab eo tempore, quo Cartesii ingenium in ea ſedem immortalis animae, collocavit. Obtinuit eo magis veri ſpeciem opinio,

dum,

dum, ſi mente captorum capita inciderentur, et in hac glandula aliquid, quod ſingulare videretur, adeſſet, in id perturbatae mentis cauſſam conjici debere crederetur. Eminent, frequentia ſua, inter hujusmodi notabilia, *concretiones ſabuloſae et lapilli*, prope, vel intra, glandulam pinealem hucusque repertae, et innumerae proſtant Anatomicorum obſervationes, ubi hujusmodi *conaria lapidoſa* deſcribuntur; at id ipſum, quod ea annotaverint ſcriptores, indicio eſt, eos hoſce lapillos pro notabili quadam re, et ſingulari degeneratione, habuiſſe. Jam vero Illuſtris Soemmering, Anatomicus ſummus, a pluribus annis, et in exactiſſima cerebri diſſectione, et ſubtiliſſima in hanc particulam inquiſitione verſatus, tandem in praeſtantiſſimo ſcripto: de lapillis vel prope vel intra glandulam pinealem ſitis, ſive de *acervulo cerebri*, quod A. *M*DCCLXXXV. prodiit, his verbis, quae ipſe obſervaverit, quaeve de hac re jam ſentiat, pag. 5. exponit: *At*, *quantum equidem diſſecando didici*, *ſemper adeſſe acervulum*, ita enim collectionem lapillorum dicere amo, *ſaltem in cerebris mente et corpore ſaniſſimorum hominum*, *in juvenibus*, *adultis et ſenibus*, *in viris et feminis*, *in Europaeis non modo*, *ſed etiam Afris*, *inveniri perpetuo ejusdem indolis*, *quoad colorem et ſubſtantiam eſſe*, *et*, ni me omnia fallunt, *ad naturalem cerebri in hoc loco ſtructuram*, *hunc acervulum pertinere*, *parum vel omnino non conſtare videtur*, etc. Fieri non potuit, quin hac dictione inciſorum animi ad attentionem excitarentur, et ſine dubio longe nunc ſaepius et exactius in conaria inquirerent, ſuisque obſervationibus ſic effatum Ill. Soemmeringii confirmarent, ut jam expreſſe recentiſſimi Phyſiologi doceant, adeſſe in conariis omnium hominum, ultra quindecim annos natorum, hujusmodi acervulos. Cum praecipue in Theatris Anatomicis publicis frequentiſſima ſit opportunitas, ſubtiliſſimas corporis humani partes penitius perluſtrandi, et, quid in obſervationibus univerſalibus juſti ſit, conſtituendi, quae et nos, *in Theatro Erlangenſi*, circa

hanc rem obſervaverimus, pauciſſimis hic exponere, nec ſuperfluum judico, nec intempeſtivum. Factum utique a pluribus retro annis, ut et alibi fieri ſolet, ita et apud nos, ut, prout ordo Lectionum Anatomicarum requireret, ita et ſingulae partes, et privatim, et publice, exactius perluſtrarentur; hinc et accidit, ut interdum, ob putredinem, tempus non ſufficeret ad diſſecandum cerebrum, aut inſpiciendum conarium. Mitto ergo, quae non vidi. At ſi ordinis et inſtituti ratio juberet demonſtrationem cerebri, congeriem arenularum ad conarium, et in eo, me perſaepe invenire memini, mihique adnotavi, quam rem, pro recepta tum opinione, eo minus miratus ſum, dum pleraque eſſent corpora maniacorum e ſophroniſterio vicino transmiſſorum. Verum ab eo, quo nobis Celeberrimi Soemmeringii ſcriptum innotuit, anno et tempore, ſtrenue conſtituimus omnium adultorum, qui Theatro inferuntur, cerebra diſſecare, inque conaria exactiſſime inquirere. Cur nil de infantibus dicam, quorum quoque ſaepe non exiguus numerus in Theatro noſtro praeſto eſt, artis periti facile intelligent. Omnium ergo adultorum conaria, materia ſabuloſa plus vel minus ſtipata, deprehendimus, ſi unum exceperis, in capite ſtupidi viri, cujus vero cerebrum in hemisphaerio ſiniſtro materiam, neſcio an ſpiſſam purulentam, an pultaceam, dicam, continuit, caeterum, una cum plexu choroideo et ventriculis, abundantiſſima aquâ inundatum erat, ut facile particulam, tum aegre diſtinguendam, incaute avulſam, quam acervulum cerebri in ſolo hoc ſubjecto defeciſſe, jam credere mallem. Caeterum obſervata noſtra, circa ſitum hujus acervuli, ejus figuram, cohaeſionem, ſubſtantiam, et quasdam varietates, adeo cum Ill. Viri deſcriptione conveniunt, ut ea hic indicaturus, ipſa ejus verba mea facere me oporteret. Lectores ergo ad concinnae illius et diſtinctae deſcriptionis perlectionem ablego; mihi ipſi, rem maxime notabilem ſic confirmari, dixiſſe ſufficiat. Difficile ſane eſt, ſi quid, in diſ-

diſſectione corporum, memorabile nobis obveniat, abſtinere, quo minus curioſius e nobis quaeramus, quae ſit forte partis inventae functio et utilitas, quae forte origo, cauſſa, et noxa? Idem nunc jam de acervulo cerebri eſt, ubi ſcilicet dubium adhuc videtur, num Phyſiologia ſibi hanc particulam, num Pathologia vindicet, illa quidem, quod vix in adultis abeſſe nunc obſervatum ſit, haec, quod non, ſine ingenii tortura, de utilitate conarii lapidoſi cogitari poſſit, aliisque in locis corporis concrementa calculoſa paſſim non adeo infrequentia ſint. Ego vero candide fateor, me hucusque opinionem plurimorum magnorum virorum, et praecipue Ill. Morgagni, ſecutum eſſe, qui materiam duriusculam in glandula pineali, compreſſione in asperulas arenulas abeuntem, *pro morbo ſe habere*, Epiſt. Anat. V. art. 12. expreſſe declarat. Eſſet ergo ſingularis quaedam lapideſcentia, ſicque praeternaturalis ſubſtantiae degeneratio. Non obſtat conſtans et perpetua acervuli in adultis praeſentia. Videor enim mihi, me, quoad frequentiam, magnam cum alia quadam degeneratione invenire ſimilitudinem. De pulmonibus dico ad pleuram adnatis, adeo frequenter occurrentibus, ut et fuerint Anatomici, qui de ligamentis naturalibus pulmonum locuti ſint. In Theatro noſtro, a pluribus jam luſtris, nullum corpus adulti diſſectum eſt, quin pulmones pleurae, vel mediaſtino, magis, vel minus, laxe vel arcte, ſaltem aliquantulum, adhaererent; contra ea, in tanto infantum diſſectorum numero, pulmones ſemper undiquaque liberrimi deprehenſi ſunt, unico tantum octimeſtri excepto, in quo paſſim leviſſimae adhaeſionis incipientis apparuere veſtigia. Vix tamen hodie, de naſcentibus ſucceſſu temporis ligamentis naturalibus, cogitatur, ut potius haec concreſcentia tranſſudanti et inſpiſſatae lymphae recte tribuatur, ſicque tamen pro degeneratione, licet plerumque fere innoxia habeatur. Sed ad acervulos cerebri redeo. Jam ipſa eorum ſubſtantia talis eſt, ut obſervatores eam, variis nominibus, deſcribant, et cal-

culoſam, ſabuloſam, lapideam, arenoſam, quid quod et oſſeam, immo cartilagineam, vocaverint. Competere haec nomina, et tactus docet, et analyſis chemica, quam Ill. Molitor inſtituit, quamve Ill. Soemmering in ſcript. cit. pag. 32. adfert. Nos quidem ſemper hos lapillos, ſub cuſpide ſcalpelli, aut inter ungues, tritos, valde friabiles, et in pollinem abeuntes, deprehendimus. Eſſent ergo, juxta Ill. Morgagni, calculi, qui paulatim ex terreis materiae (pro opinione Viri Ill. interdum ſanioſae) concreverint, concrementa ergo ſemper vitioſa. Poſſet hic aliquis ad concretiones calculoſas, in omnibus fere corporis partibus interdum jam repertas, ipſaque lithopaedia, poſſet ad oſſa ſeſamoidea inſolita, vel et ad lamellas duras, tunicis arteriarum interſtratas, recurrere, aliquam forte analogiam inventurus. At obſtabit ſemper, ut confirmant nunc inciſores, in adultis nunquam hanc particulam abeſſe. Id quidem magnam mihi mereri videtur attentionem, quod praecipue *in annos pubertatis horum acervulorum incidat origo*, quo tempore (in viris quidem, quod fatendum) et progerminans lanugo, et cartilaginum laryngis increſcens firmitas, plures partes terreas evolvi aut componi probat, ſed et, ut in nobis facile obſervamus, quod eorum, quae his annis nobis obveniunt, memoria ſit tenaciſſima. Nimium tamen forte eſſet, ingenio et imaginationi indulgere, ſi quis, ad acervuli pollinem concretum, ea applicare vellet, quae Ill. Hallerus docet, dum Prim. Lin. Phyſiolog. §. DXXXXVI. dicit: *Species rerum non in mente, ſed in ipſo corpore, et medulla quidem cerebri, ineffabili modo, incredibiliter minutis notis, et copia infinita, inſcriptae ſunt.* etc. Id quidem parum obſtaret, quod Vir Ill. de medulla cerebri dicat, cum conarium corticeae naturae ſit, ni in genere tota res denſa caligine involuta eſſet. Multum ſaltem ſic conario ſuae nobilitatis reſtitueretur, veraque magis eſſent, quae de *lapidea memoria* poetae dicere ſolent. Optandum ſane eſt, ut viri, et in-

quirendi dexteritate, et ingenio, et eruditione excellentes, ultra notabilis hujus particulae originem ſcrutentur, ſicque aut Phyſiologiam, aut Pathologiam, inſigniter locupletent. Nos quidem, ut et aliquantulam partem conferamus, et in poſterum omnia capita et cerebra adultorum in Theatro noſtro diſſecta, diligenter et attente perluſtrabimus, attenti praecipue, quae ſit, increſcente aetate, acervuli conditio, obſervata noſtra, ſuo tempore cum Erudito Orbe communicaturi.

Erlangae exhib.
d.7. Oct. 1790.

OBSERVATIO XL.

Dn. D. JOANNIS THEOPHILI EHRHARD.

De
Praeternaturali et rara obſtructionis alvi cauſa, ſectione cadaveris detecta.

Mulier, paulo ultra 60 annos nata, abhinc aliquot annis obſtructione alvi habituali laborans, eadem jam inde ex tribus ſeptimanis continenter iterum tenebatur, et, ob paupertatem, nullum hactenus medici auxilium quaeſiverat, usque dum, morbi ac dolorum atrocitas, vicinorum commiſerationem excitaverat, qui, beneficium pauperum petentes, medicum et medicamenta gratis impetrabant. Aegra itaque, tunc explorata, ſic inveniebatur: Totum abdomen durum, et verſus omnes regiones horrifice expanſum erat, regio iliaca dextra inſigniter dolebat, adſumta, tam liquida, quam ſolida, vomitu rejiciebantur, nullaque adhuc alvi excretio ſecuta erat. Venter, manu percuſſus, tanquam tympanum ſonabat, aëris itaque intus exiſtentis indicium, ſiquidem, conſueta ejusmodi diſquiſitionis methodo adhibita, nulla fluctuatio

tio, aquae colluviem in abdominis cavo ſignificans, animadverti poterat. Faecum tamen copiam in inteſtinis quoque adeſſe, inde concludendum erat, quoniam aegrota paulo ante ſemper adhuc alimenta oblata aſſumſerat, quae in canalem inteſtinalem tranſibant, antequam vomitus acceſſit. Quum itaque hic obſtructio alvi tam diu durata, manifeſte urgentiſſimum eſſet ſymptoma, indicatio quoque primaria verſus illam dirigebatur. Propterea aegrotae porrigebantur remedia laxantia, injici curabantur enemata, et abdomen inungi jubebatur linimento volatili, etc. ſed omnia incaſſum adhibita erant, quum et clyſmata, ſine effectu, ſtatim iterum rejicerentur, et ultimo tentata medicamenta vomitu redderentur. Non igitur mirum, quod tumor et dolor abdominis in dies augerentur, hisque adhuc varices ani inflammatae accederent. Nono curationis die color abdominis lividus, maculoſus, fieri incipiebat, et decimo mors benefica morbi diri finem fecit. Cauſae mali tam pertinacis detegendae cupiditate ductus, ſequenti die inſtituebam cadaveris ſectionem, quae ſequentia exhibebat: 1) quod attinet ad habitum externum, tumor abdominis erat maxime intenſus, adeo ut cuticula hinc inde finderetur, durus, elaſticus, aequalis, nitens; color ad umbilicum ſublividus; liquoris ſubcruenti e vulva profluvium, in conſpectum veniebat. 2) Abdominis velaminibus, et muſculis diſſectis, apparebat latex circa umbilicum interius. 3) Aperto infimo ventre, aêr, horrendi foetoris, cum ſibilo explodebatur, cum inſequente aqua. 4) Quum, in cavi abdominis diſquiſitione pergens, partes ejus continentes cruciatim diſſectas ſepararem, ſtatim animadvertebam, nullas plane omenti reliquias amplius ſupereſſe. 5) Inteſtina tenuia, et craſſa, inflammata erant, et livida; colon, a coeco usque ad flexuram dextram ſub hepate, peritonaeo anterius adnatum erat, ita, ut colon a peritonaeo, ſine unius aut alterius laeſione, ſeparari non poterat; inteſtina craſſa omnia horrende dilatata, turgida, ut diameter eorum

fere

fere ubique digitos 5 — 6. aequaret. 6) In fine colon, ubi in rectum tranſit, coarctatum erat in collum calloſum, vix digitum admittens, interne plica quaſi carnea, protuberans, aditum praecludebat, et cavum inteſtini penitus opplebat; inde inteſtinum rectum, uti colon, praeter naturam turgidum. 7) Haec inteſtina aêre, et faecibus pultaceis, farcta erant, adeo, ut ex inciſura parva, ad colon dextrum, aêr cum faecibus horrendo cum foetore exploderetur, et per tres pedes in arcum proiiceretur. 8) Hepar palleſcens, cyſtis fellea alba extus, intus liquor mucoſus, piger, limpidus, hyalinus, cum lapillis XVI. fuſcis, in globum fere configuratis.

Haec ſectionis narratio monſtrat, cauſam mali tam pertinacem, imo inſuperabilem, haeſiſſe in fine coli, non ſolum coarctati, ſed inſuper etiam plica protuberante interne occluſi, quae praeternaturalis hujus inteſtini conditio impediebat, ut neque remedia injecta ſurſum penetrare, neque excrementa deorſum pervenire, poſſent. Facile nunc quoque reliqua obſervata phaenomena, et praeternaturales mutationes, inde explicari poſſunt, quae manifeſte erant effectus retentionis ſcybalorum excernendorum, quapropter his immorari nolo.

OBSERVATIO XLI.

Dn. D. JOANNIS THEOPHILI EHRHARD.

De

Mictu involuntario, peculiarem ob cauſam notabili.

Mulier innupta, 65 annorum, duos circiter ante mortem annos, lapſum violentum, dorſo nimirum onerato, paſſa, inde haemorrhagiam e pudendis, cum praegreſſo involuntario urinae profluvio, experta erat, ſimul aderat dolor ardens in infimo ventre, alvus dura tardaque, et ex eo tempore

continuo involuntario lotii ſtillicidio laborabat. Pluribus remediis, ad hoc malum debellandum, fruſtra tentatis, aegra omnem medicamentorum uſum omittebat, ſymptoma hoc moleſtum ſpurcumque, quamdiu adhuc vivebat, ſuſtinens. Fortuito autem accidit, ut cadaver, publicae demonſtrationis cauſa, theatro noſtro anatomico exhiberetur, in quo tandem mali cauſam, difficulter ſuſpicandam et nunquam tollendam, ex inſperato, per diſſectionem inveni, quemadmodum impraeſentiarum enarrabo: 1) Habitus corporis externus erat macilentus. 2) Aperto abdomine et conſiderato meſenterio, plures ejus glandulae tumidae apparebant, quin earum nonnullae in calculos, diverſae magnitudinis, mutatae erant. 3) Veſicula fellis, ſatis ampla ac turgida, marginem hepatis anteriorem ſuperabat, et 24 calculos, lapidea duritie, et ſuperficiebus politis inſtructos, continebat. 4) Ren ſiniſter dextro minor erat, pelvis vero renalis ſiniſtra dextram amplitudine ſuperabat, uti et ureter ſiniſtri lateris valde dilatatus erat. 5) Veſica urinaria, nec viſu, nec adhibito flatu, detegenda erat. Loco enim veſicae nil apparebat, niſi maſſa membranacea denſa, et quaſi calloſa, cum peritonaeo, ſuper veſicam ad uterum eunte, prorſus coalita; flatus, ope tubuli per urethram inſpiratus, ſtatim ureteres penetrabat, nec veſicam attollebat. Inciſio, licet ſatis profunde in maſſam memoratam deorſum penetraret, lotii tamen receptaculum non attingebat. Maſſa calloſa inſertiones quoque ureterum circumdabat, ita ut illos, ſalvis partibus, amplius proſequi non potuerim. Ut itaque ad cavum, lotio tranſitum concedens, pervenirem, ureteres prope inſertionis locum incidebam, et hanc inciſionem ope conductoris, et ſcalpelli, utrinque continuans, cavum hoc modo aperiebam, quod loco veſicae aderat, et quod nihil aliud erat, quam cavi ureterum continuatio. Veſica haec ita coarctata, unacum urethra, cujus orificium ſuperius uti inferius patebat, conſiderata, optime conferri poterat cum latina littera T.

Prae-

Praeternaturalis itaque veſicae urinariae ſtatus cauſa erat incontinentiae urinae; veſica enim, ob calloſitatem membranarum, ad quamvis diſtenſionem inepta erat, et fibrae, quibus oſtium veſicae comprimitur, ad retinendum lotium impotentes erant. Quaeritur autem, unde relata veſicae deformitas orta ſit? Si cauſam mali cum ſymptomatibus, ſub initio morbi occurrentibus, attente comparamus, certe concludendum erit ad rupturam ſeu dilacerationem veſicae praegreſſam. Cauſa enim erat lapſus violentus, cum onere dorſo impoſito, ſymptomata autem, haemorrhagia e vaſis veſicae dilaceratis, lotii contenti effluxus involuntarius, et dolor ardens in infimo ventre. Statim poſt rupturam inteſtina vicina veſicam compreſſerunt, ita, ut margines dilacerati ſe mutuo, quamvis imperfecte, attingerent, ideoque lotio et ſanguini, in abdominis cavum diffuſis, via per urethram pateret. Quemadmodum vero pars vulnerata pro ratione irritabilitatis et ſenſibilitatis ſuae, ſemper experitur vel leviorem, vel vehementiorem inflammationem, ita etiam veſicae, taliter affectae, inflammatio ſuperveniebat, quae non ſolum cavi veſicae, ſed etiam partis peritonaei, ſuper veſicam ad uterum euntis, coalitionem, coarctationem, et denſitatem membranarum effecit, ita tamen, ut exiguum cavum, a continuo lotii per ureteres affluxu, apertum teneretur. Et quum veſicae ſic dictus ſphincter, ob fibrarum muſcularium rupturam, fulcrum ſuum ideoque facultatem ſeſe contrahendi, amiſiſſet, inde evenit, ut lotium, uti ſecretum erat, continue guttatim per urethram emitteretur. Obſervatio haec probat, rupturam veſicae urinariae non ſemper cito eſſe lethalem, ſed tale vulnus ſine artis adjumento iterum concreſcere poſſe, quamvis, ob talem coalitum, functio, debito modo, procedere non queat.

Erfurto Erlangam miſſ.
d. 22. *Oct.* 1790.

OBSERVATIO XLII.

Dn. D. MICHAELIS VOGT.

De

Origine, ſeu cauſa, qua margaritae in myis producuntur.

Conſideranti mihi, quae de margaritis, iis praecipue, quae in Myis et mytilis, margaritiferis nuncupatis, generari ſolent, earumque origine quidam Recentiores ſenſerint, viſum eſt ea, quae in quibusdam myarum valvis, libero etiam oculo, deprehendi, in medium proferre, et quae de hujusmodi origine ego ſentio, judicio eruditorum ſubjicere.

In libro cel. Pluche: *Spectacle de la nature*, Pariſiis 1752. in 8. edito, *tomo I. pag.* 250. *et ſeq.* margaritarum origo adſcribitur calculo, ſeu morbo oſtreae, citanturque ibi *Memor. Acad. ſcient.* 1717. *Acta eruditor. Lipſ.* 1686. *Liſter* et *Bonanni*, qui tamen, quid ipſe ſentiat, non ſtatuit, ſed aliorum tantum ſententias refert, verbis: *utinam tam facilis eſſet negotii oſtendere, num Unio ſit legitima proles conchae, a natura ſemper intenta, an vero concepta fortuito, ex prava aliqua affectione in animali quaſi aegrotante, non ſecus, ac in multorum viſceribus, ex defectu non abſimili, lapides generantur.*

De re conchyliologica meritiſſimus vir, et plurium Academiarum ſcient. ſodalis, Joan. Hieronymus Chemnitius, Paſtor in Daniae Metropoli, in recentiſſimo ſuo opere, Tomo VI. pag. 18. ait, in ſua de margaritarum origine theoria ſe demonſtraſſe, eam laeſioni valvarum vel concharum, per pholades ac vermes factae, adſcribendam eſſe. Eamdem et ipſius Linnei fuiſſe ſententiam. Admiſſa hac ſententia, facile eſſe originem et diverſitatem coloris in duabus illis margaritis, quas Tolonii in quadam Pinna reper-

repertas fuiſſe in ſupra citato libro Plucimi mentio ſit, declarare.

Aſt pace tanti viri, ejusdem opinioni ſubſcribere non poſſum ex rationibus ſequentibus:

1mo. Notiſſimum quidem eſt, quam frequentibus, et diverſis, vermium, conchas perforare conantium, perſecutionibus expoſita ſint animalia, conchas inhabitantia; perſpicuum non minus eſt, animalia haec, ex inſtinctu, quem Auctor naturae iisdem indidit, contra hujusmodi ictus et perforationes ſe defendere, ſingulisque perforationibus, vel majoribus, vel minoribus, totidem proportionatos obices vel tubercula, quaſi aggeres formando, opponere, etſi ſubinde fortioris vermis, forando penetrantis, mortali ictui ſuccumbant; aſt ejuſmodi tubercula vere margaritas eſſe, perſuadere mihi nullatenus poſſum. Eſt mihi ad manus mytilus anatinus, qui in medio valvae, praeter plurima minutiſſima tubercula, tuberculum unum majus, ſeu parvum globum, ex conjunctis tuberculis efformatum, et elevatum, ictibus quamplurimis vermium viſibilibus productum, exhibet, qui colore margaritam refert, re vera tamen margarita non eſt.

2do. Reperiuntur cum ejusmodi vermium perforationibus extrinſecus, intrinſecus vero cum oppoſitis tuberculis, ſeu elevatis globulis, variae conchae, uti Oſtrea, Pinna, Arcapiloſa, imo quaedam cochleae, quae tamen regulariter nullas margaritas producunt.

3tio. Reperiuntur margaritae in Myis, ejusmodi vermium inſultus non exhibentibus, ſaltem iis in partibus, ubi margaritae ſe oſtendere ſolent, et vice verſa ſe exhibentibus, ubi margaritae nunquam ſe produnt. Hae rationes me movent, ut margaritarum originem, vermium laeſionibus, et oppoſitis ab animalibus tuberculis, haud adſcribendam eſſe exiſtimem.

 Qualis

Qualis ergo demum erit origo margaritae, ſeu cauſſa illam producens?

Sequor hic monitum Galeni, dicentis: *quicunque vult operum naturae eſſe contemplator, eum oportet credere propriis oculis.*

Judicium proinde meum, oculari experimento nixum, profero, iſtud figuris adpoſitis declaro, illudque eruditorum judicio ſubmitto.

In myis margaritiferis, quarum plurimas vidi, margaritae alibi non conſpiciuntur, niſi in extremitate conchae, ubi eſt apertura. Tab. VII. Fig. A. B. lit. a. Non procul ab ora extima conchae, quae quaſi ex rugoſa cute, ut ita dicam, ſeu ex multiplici tenuium lamellarum ſuperimpoſita et cohaerente junctura conſtat, inter ipſas lamellas materia ſeu ſubſtantia quaedam cornea, quaſi exiguus quidam callus, ſeminis loco, ſub figura grani extat; creſcit iſte callus protuberando verſus internam conchae partem. Fig. A. lit. b. Si callus hic extrahitur, exhibet ſe cavitas in ora extima ſeu cute conchae, in ſuperficie autem intimae partis valvae protuberantia adparet.

Callus hic fig. C. albo tenui filamine, in modum circuli circumducto, veſtitus eſt.

Interim dum callus iſte creſcit, quoad medietatem ſui, a nitore, qui in ſuperficie interioris partis conchae videtur, includitur, et, ut ita loquar, quaſi deargentatur. Poſtquam callus iſte in illa valva, in qua crevit, ſuam perfectionem margaritaceam, donec ſui medietatem, vel ultra, obtinuerit, ingerit ſe in valvam alteram ſuperpoſitam, fig. B. lit. c. quae, ut mollis eſt, (molliores enim ſunt conchae omnes et cochleae intra, quam extra aquam) cedit callo ſe ingerenti et penetranti, aut cutem intimam margaritaceam quaſi perforanti, ita ut ad reſiduum margaritae perficiendum, idem praeſtet circumdando vel deargentando, quod altera valva, fig. A. jam praeſtitit, in b. ſicque demum perficitur, et

mar-

margarita adparet, raro figura perfecte rotunda, ſaepiſſime vero et regulariter figura oblongiore, et quaſi irregulari.

Quodſi ante finitum praedictum hunc proceſſum, et ante tempus maturitatis, ut ita dicam, concham, aqua extractam, vi aperias, deprehendes in fig. A. lit. b. callum ultra medietatem, vel ad medietatem, margaritae ſimilem, in ſuperiore vero ſui parte, lit. d. nondum perfectum, vel deargentatum, aut margaritae ſimilem eſſe.

Exhibet valva A, in concha vi aperta, in loco lit. b. callum inhaerentem, valva vero B. oppoſita in lit. c. foramen excavatum, et cauſatum per violentam aperturam. Conſiſtit haec excavatio in cute intima margaritacea valvae, ex qua per vim callus perfectior jam in altera, ſeu prima valva, in qua creſcere coepit, extractus fuit, utpote quae cutis, utpote debilior et necdum callum indurans, vim facienti manui cedere debuit; nihilominus tamen ſatis declarat, ad quid, callo ulterius permanenti, nec vi avulſo, inſerviiſſet, nempe ut abſolutam et perfectam margaritam produxiſſet.

Haec quae expoſui, variae myarum valvae, etiam duplices ſeu concordes, quae mihi ad manus ſunt, et quas cuicunque, eas inſpicere volenti, exhibiturus ſum, aperte oſtendunt, e quo meum, de productione margaritarum judicium hoc, depromtum eſt.

Amberga Erlangam miſſ.
d. 5. Oct. 1790.

OBSER-

OBSERVATIO XLIII.

Dn. D. JOSEPHI BENVENVTI.

De

Capite humano, mole, monſtroſo.

Quam nuper inter chartulas meas forte reperii obſervationem, eam communicare ratus ſum, quamquam eam non ſatis completam eſſe, neque a me aetiologiam pathologicam nunc addi poſſe, animadvertam.

Paulus Benedetto, in Lucenſi *Benavii* oppido, honeſtis parentibus natus, usque ad ſeptimum aetatis annum optima fruebatur valetudine, acrique ingenio praeditus erat: exinde vero diarrhoea laborare cepit, ad nonum menſem perdurante, nec pharmacis cedente. Medela poſtea naturae commiſſa, alvi laxitas minor, at inferiores artus paralyſi langueſcere incipiunt, praepedito in illis motu, ſuperſtite quidem ſenſu. Caput interim, (quod puerili aetati usque adhuc reſpondebat) jugiter augebatur, facies itidem tota, aures, oculi, naſus, os, labia, lingua, dentes, minime vero reliquum corpus, ſtaturam eandem ſemper retinens puerilem. Animales functiones rite ſuccedebant, cibum enim avide appetebat, ſomnum capiebat, alvum tantum, et veſicam, bis, terve de die invitus, absque praeveniente ſtimulo, exonerabat. Vigeſimum ſeptimum jam agebat annum, cum de rebus, eodem ſemper modo ſe habentibus, rumor ad me perveniret, ad eum inviſendum me contuli, mihique ſocia ſe adjunxit, eadem curioſitate mota, *Excellentiſſima Princeps* Lambertini, Benedicti XIV. Romani pontificis nepos, cujus valetudini tum proſpiciebam, cum ad *Lucenſes Thermas* acceſſerit. Quanta autem in nobis admiratio, qualis horror! Hominem vidimus puero ſimilem, ſuper geſtatorium ſcamnum ſedentem, ſtridula, ac puerili voce loquentem, qui *caput* (magnum admodum ac monſtroſum) dextrorſum inclinatum,

natum, pulvinari admovebat; ſi vero movere voluit, manibus ſuſtentabat, quod tenuis colli baſi fulciebatur.

Calvariae ambitus, triginta ſeptem pariſinos pollices, octoque lineas; faciei altitudo duodecim ac tres, aequavit. Quod magis mirum, brachia, tametſi exilia, tali robore valebant, ut difficile ab ejus manibus extricari famulis quibusdam licuerit, quos, fortius ſtringendo, apprehenderat. Subtili, ut dixi, intellectu praeditus, eloquentia, ac memoria; rerum, quas audiverat, aut legendo, uti ſolebat, didicerat, nunquam oblitus eſt. Annum agens trigeſimum, apoplecticus obiit.

Lucca Erlangam miſſ.
d. 3. *Nov.* 1790.

XLIV.

Dn. D. KURT SPRENGELI
OBSERVATIONES
Circa
Conſtitutionem epidemicam Halenſem, autumnalem et hyemalem, anni 1790.

Ver et aeſtas hujus anni ventis fere caruerunt, niſi quandoque euro-nothus afflaret. Ceterum ver pluvioſum, humidum, aeſtas contra calidiſſima.

A Martio ad Majum uſque barometrum altitudinem 28″ vix ſuperavit; ſaepiſſime ſub 27″ deſcendit mercurius. A Majo vero ad Julium fere ſemper ſupra 28″ aſcendit: d. 12 Jun. ad 28″ 8‴ viſus eſt mercurius. Ab Auguſto inde ad Octobris medium ſtatum retinuit, a 27″ 8‴ ad 28″ 3‴.

Calor aeſtatis adeo exceſſit, ut ſimilem memoria vix retineat. D. 30 Jun. thermometrum Fahr. ad 94° aſcendit, qui gradus cum calore animali congruit. Venti defectus multum contulit, ut hic aeſtus tolerari fere nequiverit.

Vere catarrhalis et rheumatica conſtitutio ſimplex praedominabatur. Tuſſis ferina, pneumoniae nothae, occultae,

 adeo

adeo frequentes fuerunt, ut ii quoque medici, qui occultam naturam variarum inflammationum, a catarrhali conſtitutione maxime pendentium, neſcirent, hac demum epidemia attenti fierent.

Simul ac calor *aeſtatis* ſaevire coepiſſet, febres intermittentes, tertianae benignae, eruperunt. Urbs noſtra immunis fere fuit a febribus intermittentibus per ſeptem annos, et quod excurrit. Neceſſe itaque eſt, ſingularis acceſſerit cauſſa, quae ortui intermittentium hujus anni anſam praebuerit. Hanc quidem invenio in paludibus ſtagnantibus, pagum *Dieſkau* cingentibus, quorum effluvia nullo alio vento diſperſa, unico euronotho noſtrae urbi advehebantur. Fr. Hoffmannus *) ex eodem fonte derivat febres pertinaciſſimas, Charlottenburgi et Dieſkaviae graſſantes. Stutgardia a priſtinis inde temporibus febribus intermittentibus pertinacibus eſt ſubjecta. A ſtagnante aqua has ortum ducere, Roſ. Lentilius teſtatur apud Lancisium (de noxiis palud. effluv. lib. I. p. I. c. 3. p. 10. ed. 1718. Colon. 4.) Non aliter, et recte quidem, de febrium intermittentium Ludwigsburgi graſſantium ortu judicat von Hoven (Verſuch über das Wechſelfieber, Th. I. §. 20, p. 72.) Noxia itaque effluvia paludum verſus orientem praecipue ſitarum, ventis alias haud adeo frequenter afflata, nobis hoc demum anno attulerant epidemiam inſolitam, ſed adeo benignam, ut ſi diſceſſeris a ſymptomatibus communibus, nil fere praeter ordinem ſit animadverſum.

Experientia me docuit, evacuantia, reſolventia nullius fere momenti eſſe contra benignas, atque ejusmodi febres intermittentes, quales hoc anno obſervare licuit. Statim poſt primum aut ſecundum paroxyſmum adgreſſus ſum morbum roborantibus, *cortice peruviano*, *cortice ſalicis*, *floribus chamomillae*, quibus aequales fere vires, contra febres intermittentes, adſcribere vellem: uncia una horum remediorum

*) Med. nation. ſyſtem. T. II. P. II. c. IV, §. 8. p. 223. (ed. 1720. Hal. 4.)

rum ilico fugauit morbum, neque reſtitit ullum veſtigium, neque obſtructio, neque placenta febrilis. Cum Majo menſe in noſtras officinas perveniſſet *cortex peruvianus regius*, ſive *china royal*, praeſtantiſſimum hocce remedium tentavi, et quidem eximio eventu. Superat corticem vulgarem vi ſtomachica, qua obſtructiones impediuntur: propius accedere videtur ad quaſſiae facultates: non opus habui, niſi drachmarum trium vel quatuor, ut averruncaretur tertiana vulgaris. Saepius reſolventia et evacuantia non ſolum fruſtra, ſed noxiis quoque eventibus propinata, obſervavi: quod aperte mihi teſtari videtur, febres intermittentes originem haud quaquam deducere a ſaburra gaſtrica aut inteſtinali. Laeta ceterum admiratione ſtupui, dum eos qui delicatiores eſſent, qui lautiori victu, neque poſt febris fugam cortice uterentur, a febre iterum ſalutari *hebdomadis ſecundae* aliquo die corripi viderem. Confirmatam itaque animadverti fidam obſervationem Sydenhamii, Strackii, Werlhofii et Hovenii, de certo ſtatoque recurſu febrium intermittentium. Ii nunquam aegri experiebantur ejusmodi recurſum, qui verſus ſeptimum diem eandem corticis portionem deglutirent, qua opus fuerat ad fugandam febrem primariam.

Per totam aeſtatem, ad Auguſtum usque, perſtitit epidemica haec conſtitutio, niſi quod demum inflammatorio-gaſtrica accederet. Hujus quidem originem ex aeris conſtitutione repetere licet.

Initium autumni mirum quantum ſiccum, et calidum, fuit. Septembri barometrum fere ſemper ſupra 28″ perſtitit: thermometrum ſemel ad 75° Fahr. aſcendit. October varius fuit, ventoſus, primo quidem ſiccus, deinde vero humidus: per dimidiam partem Septembris eurus aut euronothus afflavit, deinde nothus, zephyrus et caecias acceſſerunt. Novembris, ſicut ſolet, humidus, ventoſus fuit. Frigus valde modicum: toto menſe fere nunquam ſub 30° Fahr. thermometrum deſcendit. Decembris eodem modo perrexit:

xit: ſemel tantum frigus gradum 28 Fahrenh. exaequavit, alias ad 35 — 40° ſe continuit. Nix pauca, ilico liqueſcens. Venti ex meridie et occidente fere ſemper afflarunt. Barometrum ſemel aut bis, tunc vero euro flante, ſupra 28″ aſcendit.

Cuivis patet, neceſſe eſſe, ut conſtitutio epidemica Septembris et initii Octobris faverit inflammationibus varii generis. Morbi catarrhales, paucae dyſenteriae, plus minusve ad inflammatoriam indolem vergebant; phthiſici novos inflammationis inſultus experiebantur: febris intermittens ſemel quoque phlebotomia fugari debuit.

Juvenis viginti annorum, ſanitatis ſat tutae ſpeciem prae ſe ferens, quem alioquin bis in ſeptimana videre contigit, corripitur, verſus finem Septembris, otalgia, quae fere habitualis evaſerat. Nauſeoſa ſudorem proliciunt: allevamenti non parum afferunt. Gaſtrica ſymptomata fere nulla: ſed die tertio aſthenia univerſalis, explicatu difficilis, cum diaphoreſi larga, et ipſa aquoſa diarrhoea accedit. Pulſus parvus, depreſſus, (qui altus antea eſſet) debilis: ſomnus nullus; inſomnia terrifica. Exhibui tonica, roborantia, ſerpentariam cum cortice, quaſſiam etc. Vires ulterius proſtratae, delirium mite, poſtulant veſicatoria. Promovent haec ſudores, qui vero mox modum excedunt. Verſus decimum diem aeger extenuatus dolorem nullum ſentire, ακοπως dormire; nil, praeter debilitatem inſignem, conqueritur. Interea diarrhoea et ſudores profuſi perſeverant: vocatus alius medicus in iis perſiſtit, quae exhibueram. At fruſtra! Aeger e vivis ſeceſſit, d. 12. Oct. Secto cadavere, in abdomine, praeter hepar parum inflammatum, et lienem ſatis mollem, nihil praeter naturam deprehendimus. Aperto thorace, unciae fere ſex aquae in conſpectum venerunt: pericardium ſeſquiunciam circiter ejusdem aquae continebat. Pulmones vero variis locis, et praeſertim lobo dextro, valde inflammati, ſummaque congeſtione affecti obſervabantur: lobus

bus inferior ſiniſter vomicarum plenus, quae totam ſubſtantiam conſumſerant.

Patet itaque, quem *febre nervoſa* mortuum eſſe credideram, *phthiſi* jamdiu laboraſſe, quod vero nullis fere ſymptomatibus manifeſtabatur. Conſtitutio epidemica produxit pneumoniam ſymptomaticam, occultam, quae iterum nullo modo ſub ſenſus caderet. Summi ſane momenti eſt doctrina de inflammationibus occultis, ad quam illuſtrandam omnes induſtriae nervos intendo. Utinam *problema* ſocietatis medicae *Pariſinae* circa hoc objectum digne ſolvatur!

Audivi phthiſicorum complurium mortes: hydrothoraces quoque inflammationibus tentabantur. Variae febres his menſibus, Septembri et Octobri, mihi occurrerunt, quas putavi lentas, putridas aut gaſtricas, neque tamen negari potuit, inflammationem veram praedomicani, cum varia ſtimulantia nocivos effectus producerent.

Novembri vero mutata eſt conſtitutio in catarrhalem, rheumaticam, quae deinde in *gaſtricam* tranſiit, et adhuc variis rationibus perſiſtit. Primo quidem artuum rheumata, colicae rheumaticae, cephalaeae pertiranes, obſervabantur. Hyſtericae mulieres, hypochondriaci, arthritici, per totam fere hyemem graviter paſſi ſunt: ii quoque, quorum cutis irritabilior facilius repellendae materiei transſpirabili faveret. Initio Novembris venae ſectio adhuc profuit, cum rheumatica eſſet conſtitutio: deinde vero epidemiae catarrhales ſingularem poſtularunt methodum.

Morbilli a medio inde Novembri a me obſervabantur. Alii medici multo prius eosdem vidiſſe dicuntur. Quales obſervavi, tales deſcribo. Infantes a binis ad ſeptem annos, primo quidem querebantur catarrhum, cum pyrexia leni, inquietudine, vigiliis, plerumque obſtructione. Raro acceſſit deglutiendi difficultas, lippitudo: haec quidem maxime apud ſcrofuloſos, qui praeterea gravius ceteris affici ſolebant. Die ſecundo, tertio, quarto eruperunt exanthemata,

 primo

primo in facie, deinde per totum corpus. In facie praeſertim confluebant, et maculas referebant, aut vibices rubros, non elevatos. Simulac eruptio obtingeret, ſtatim ceſſarunt, aut inſigniter imminuebantur, ſymptomata antecedentia: velut tuſſis ſicca, ſternutatio, vigiliae, dyſpnoea, temulentia, et capitis gravitas. Febris ipſa decreſcere ſolebat. Sputa libere contingebant: euacuabatur muci inſignis copia: Appetitus autem, per totum fere morbi decurſum, defecit. Die quarto ad octauum pyrexia fere ceſſavit, exanthema evanuit. Inter 20. aegros, 11. deſquamationem, 9. fere nil ejusmodi experiebantur. Poſtea nullum plerumque ſymptoma remanſit, niſi in initio epidemiae aliquoties abſceſſus aut parotides viderim, criticas forſan, ſed deinde moleſtiae haud parum gignentes. Nullam ſenſibilem criſin vidi, nunquam epiſtaxin, eruptionem ſolam credidi optimam eſſe criſin. Adultos, morbillis laborantes, nullos curavi.

Parotides remanentes aut abſceſſus ita tractavi, ut et ſuppurationem promovere benignam, et lentam diaphoreſin excitare, ſategerim. Neque mihi periculoſae hae reliquiae viſae ſunt, neque perniciem ullam vidi morbillos comitantem.

Indicatio generalis curativa fuit, ut imminuatur aut tollatur febris catarrhalis, gaſtrica, quae hic quidem ſummam attentionem merebatur. Formalis cauſſa morbi requirebat diapnoica, eaque remedia, quae materiam morbificam a pulmonibus avertere valerent. Primo quidem ſtadio emetica emolumenti mirum quantum praeſtiterunt. Evacuatio certe minimum fuit commodum emeticorum, ſed reſolutio humorum, excitatio vis nerveae, transſpiratio promota, et libera humorum migratio per minimos canaliculos. Nil exhibui niſi ipecacuanham, cum tartarus emeticus, praeſertim in delicatioribus ſubjectis, infantibus, feminis, diarrhoeae favere videretur. Saepius vidi, votis me non damnari, dum ſolutionem tartari emetici, ut vomitus excitetur, propinarem.

Hoc

Hoc praeſertim hyeme contigit, ubi, transſpiratione facillime ſuppreſſa, humores verſus infeſtina deducuntur. Deinde ſuaſi regimen diaphoreticum, quod quidem in variolis, et aliis exanthematibus, vel ſumma cautione commendare, vel evitare plane, ſoleo; exhibui ſpiritum Mindereri, roob Sambuci cum Otymelle calorem modicum et aequalem hypocauſtorum, conſervare juſſi. Pulvis *Doveri* in iis ſubjectis, qui tolerare poterant, egregium effectum praeſtitit, ad derivandos humores ab interioribus partibus, praeſertim thoracis viſceribus, ad ſuperficiem corporis. Minima quantitate miſcui *opium* cum *ipecacuanha*, adjuncta magneſia ſalis cathartici, aut tartaro vitriolato, absque ullo alio additamento. Bis terve veſicatorio opus habui, ad ſtimulum a viſceribus verſus ſuperficiem derivandum. Potum ordinarium juſſi fieri ex hordeo, avena, fructibus horaeis coctis, addito oxymelle aut melicrato. Per epicraſin laxantia, per totum morbi decurſum, cum reſolventibus lenioribus junxi, eo eventu, ut, primis viis purgatis, tranſpiratio libera fieret, aegerque valde inſignem euphoriam experiretur. Pulpam *tamarindorum* cum *tartaro boraxato* ebullire, quotiesque fieri poſſet, propinare ſuaſi. Clyſmata interpoſui antiphlogiſtica, emollientia, diapnoica. Verſus finem morbi alia remedia fere nulla ſuaſi, niſi ſtomachica : calorem ſimul hypocauſti conſervare, et diaphoreſin promovere, juſſi.

Si Metzgeri, Vogelii, aliorumque obſervationes, de *morbillis ſpuriis*, ad noſtram epidemiam applicare volumus, nil obeſt, quominus, et hic eosdem praedominatos fuiſſe, contendere poſſimus. Vidi infantes ſanos, robuſtos, qui nec lecto, nec hypocauſto affixi, quatuor diebus liberi fierent ab omni morbi moleſtia; nulla hic deſquamatio obtigit. Remediis fere non opus fuit. An recurſui morbillorum genuinorum haec ſubjecta obnoxia ſint, obſervare non licuit.

Febrem morbilloſam absque morbillis, ſi tandem nomen hoc retinere placet, non ſemel bisve, ſed multoties vidi hac epi-

epidemia, et forſan ipſe paſſus ſum. Nunquam enim expertus ſum morbum alium, ne exanthemata quidem, apud infantes frequentia. Hac hyeme demum correptus ſum, praeſente epidemica hac conſtitutione, pyrexia vehementi, cum ſymptomatibus catarrhalibus, coryza, lippitudine, deglutiendi difficultate, tuſſi ſicca, refractaria, quae per tres ſeptimanas, et quod excurrit, perſtitit. Fuit autem hic morbus adeo communis, ut plerique fere homines eo afficerentur.

Haec febris catarrhalis κυναγχαώδης, quae praeſertim primis novi anni menſibus magnopere praedominabatur, multo magis ſtipata eſt ſymptomatibus gaſtricis, quam ſolet. Plerumque aegri, qui vel leviſſimum diaetae vitium commiſerant, noctu deglutiendi difficultate ſubito corripiuntur. Febris intenſa accedit et ſymptomata gaſtrica, quae ſaepe per plures ſeptimanas perdurant. Hinc emetica initio, deinde per epicraſin laxantia, cum diaphoreticis, ſufficiunt ad febrem tollendam. Praeterea veſicatoria indicantur, ut humores verſus ſuperficiem deriventur, ſtimulusque deducatur ab affectis partibus. Raucitas et dolor faucium moleſtus, ſaepe ſuperſtes jam fugato morbo, tollitur optime vaporibus aquae fervidae, bullientis, in oris cavitatem penetrantibus.

Saepe miratus ſum, qui fieri poſſit, ut medici tam auſtere ejusmodi febres ex jam praeſentibus ſordibus gaſtricis ortum ducere, contendant. A veritate alienum videtur argumentum cauſſae morbificae ex effectu morbi. Centies audivi ejusmodi concluſiones; lingua, hypochondria, ſapor oris etc. monſtrant ſaburram, ergo ſaburra eſt cauſſa morbi. Nonne ſatius foret, ita argumentari: Syſtema cutaneum arcte nectitur cum ſyſtemate gaſtrico: affecto illo, hoc quoque patitur: ideoque in febribus catarrhalibus ſymptomata gaſtrica praedominantur?

Gargariſmata adſtringentia in angina hac catarrhali nunquam profuerunt. Emolumenti plus attulerunt emollientia, lubricantia.

Sobrie-

Sobrietas ſumma, et transſpiratio, fugato etiam morbo, promota, cavere tantum potuerunt a recurſu morbi ſaepe graviori.

Febres putridae hac hyeme fere nullae, cum aër tepidus permitteret obambulationem. Certa enim eſt obſervatio, frigidiſſima tempeſtate frequentiores eſſe febres putridas, cum homines, magis domibus ſe continentes, aërem corruptum inhalare coguntur. Dum haec conſcribo (Februarii primis diebus) conſtitutio aëris mutatur, certo quoque mutabitur epidemica conſtitutio. Barometrum ſupra 28″ jam per plures dies aſcendit: thermometrum fere ſemper ſub 30° demiſſum obſervatur. Ventus eurus, aut boreas.

Hala Erlangam miſſ.
d. 12. *Febr.* 1791.

XLV.

Dn. D. JOANNIS NICOLAI NICOLAI.

DUAE OBSERVATIONES CLINICAE,

ex quibus apparet,
Vermes plurimorum morborum,
praecipue
Arthritidis, eſſe cauſam.

De *Vermibus* acturus, maxima jam voluptate recordor, quam ſolerter docteque hac in re jam verſati ſint viri, doctrina, uſuque, praeſtantes. Quae cum ita ſint, non animus mihi eſt, viris eruditis, et medicinae peritis, rem pervulgatam, ab omnibusque agnitam, multos ſcilicet morbos, et ſaepe intricatos, originem a vermibus trahentes, hic enarrare, praeſertim, cum in pluribus compendiis, ſcriptisque medicis, atque obſervationibus practicis, hujus rei argumenta argumentis ſic addita legantur, ut, qui de hac cauſſa dubi-

 tare

tare audeat, haud reperiatur quisquam. Experientia incommodorum, quae vermes gignere exiſtimandi ſunt, multitudinem, ſatis luculenter oſtendit. Sed ſymptomata, quae vermes aut comitantur, aut ab iis progignuntur, non ſemper ſunt adeo manifeſta, ut ea quivis, primum intuens, ſtatim agnoſcere, et, vermes morbi eſſe cauſam, affirmare poſſit. Licet autem ſymptomata, propter quae vermibus cauſa morbi aſſignetur, abſtruſa et complicata ſaepe ſint, prudens tamen attentusque Medicus, experientia edoctus, perſpicere poterit, haec inſecta, ſeu animalia viva, aut cauſam primam, aut concauſam certe morbi cujusdam, conſtituere.

Diverſa quoque vermium genera, et, quae *in primis praeſertim viis* deprehenduntur, maxime *Taenia*, (lumbricus planus, latus) corporis hoſpites, per ſe jam moleſtiſſimi ſunt, quod naturae curioſi Medici probe norunt. Neque id Medicis eſt incognitum, horum inſectorum praeſentiam, quemvis alium morbum, ubi complicatio naſcitur, magis pertinacem facere, et perniicioſum. Exemplo ſint tantum *variolae*, quibus infeſtantur infantes, quae malignae redduntur, ſi vermes ſimul in canali inteſtinorum hoſpitantur. Hoc atque alia plura exempla, quae jam ſilentio tego, abunde declarant, morbos quosvis, vermium admiſtione, fieri periculoſiores. Sic infantes cachectici, et ubi lentor ſpecificus adeſt, vermibus maxime inquietantur. Haud dubie hic ſtatus corporis debilis maxime eſt proclivis, ut, ubique ſparſae, ſeminum particulae, et ovula, per cibum et potum in corpus deferri, explicarique queant. Robur autem vitale, et quaelibet ſingularis corporis vis plena, efficit, ut dicti generis humani inimici, aut nunquam, aut perraro, corpus inhabitent. Dantur autem quoque morbi *epidemici*, in quibus vermes praeſto ſunt, et tamen haec cauſſa ſaepe praetervidetur, aut, ſi demum obſervatur, perperam conſueta anthelmintica exhibentur. Sed nec nimium medici ſpecificis confidant ſuis, cogitentque, remedia ad habitum, et totam conſtitutionem,

cor-

corporis, eſſe aptanda. Neutiquem ſufficit, forte medicamentum, quod vocant draſticum, dare, et tunc ingentem vermium populum e corpore expelli, fugarique, videre. Conditio maxime corporis ſpectetur, oportet, ne nova vermium proles oriatur, chronicoque alio malo obviam eatur, ne draſticum exhibitum vaſis gaſtricis, et ſyſtemati concoctionis fiat perniciosam, cum praeterea vitioſam diaetam, conſtitutionem haereditariam, cibosque lentos, nimis copioſe ſumtos, et nimium humidam, calidamque, atmosphaeram, ad generandos vermes multum valere, ſit notiſſimum. Utrum vero animalia jam nominata, in homine ipſo generentur, cum eoque naſcantur, an per ſemina, ſeminumque particulas, extrinſecus in nos veniant, in nobisque evolvantur, de eo ingens adhuc inter medicos eſt certamen. Veruntamen opinioni poſteriori, quae vero proxima eſſe videtur, plerique accedunt. Quae autem animalia, licet in tenerioris aetatis hominibus ſint frequentiora, nullam tamen aetatem eis prorſus eſſe liberam, certum eſt, exploratumque. Nihilo tamen minus *de Meza* in compendio practico-medico, „Senes, „inquit, raro vermibus vexantur, et infantes fere nunquam, „niſi poſt ablactationem, cum cibis ſolidioribus uti incipiunt.“ Sunt tamen, qui, exemplis inducti, affirment, infantes recens natos, et qui nihildum guſtaverint ciborum, in meconio, ita dicto, non minus, quam in ceteris inteſtinis habuiſſe vermes. Hac in ſententia ipſe eſt *Hippocrates*, pluresque alii tale quidquam ſe vidiſſe, ajunt. Quidquid hujus eſt, ejusmodi caſum, quem in dubium vocare non ſuſtineo, mihi quidem obſervandi nondum datam eſſe copiam, ingenue fateor.

Non ſum neſcius, quae de vermibus hactenus diſſerui, ea a Medicis, uſu adjutis, non ignorari.

At enim vero, in vermibus cauſam primariam *arthritidis* poni, atque iteratis obſervationibus ſtabiliri, id minus obſervatum, atque non ſatis cognitum videtur, ut tamen Adolphi *Act. Phyſic. med. pag.* 242. dicat, *vermes ſaepe*

cum ARTHRITIDE, *Lue venerea, et Stomacace* (ſcorbuto) ſociatos eſſe.

Sententiam igitur hanc meam, duobus memorabilibus exemplis, quae mihi occurrerunt, illuſtrandi et confirmandi, conſilium cepi.

Obſervatio I.

Foemina quaedam innupta, anno 1782. Rudolphipolin venit peregrina, ſervaeque officia accepit curanda. Bona, quantum ex habitu corporis externo poterat judicari, valetudine utebatur. Cognitum quoque poſtea eſt, eam a juventure ſic ſatis valuiſſe, morboſos autem ei fuiſſe parentes, e quibus *pater* inprimis *Arthritide* vaga magnopere vexatus, tandemque hoc morbo extinctus ſit. Haec foemina tum viginti circiter erat annorum. Valetudinis proſperitate gaudebat, et, per annos quatuor continuos, ſervae miniſteriis, apud unum, eundemque herum functa, illius ſibi amorem, morum comitate, conciliaverat. At ſubito fit valetudinaria, incipit artuum doloribus cruciari, pectoriſque queritur preſſionem, neque eodem, quo antea, modo miniſteriis praeeſſe poteſt ſuis. Quae ſymptomata, licet non continuo eam tenerent, non tamen plane ceſſabant unquam, ſic potius augebantur, ut, primum Rheumatiſmo aſſimilata, pro *Arthritico* tandem morbo, communi omnium judicio, ſint exiſtimata. Saepe numero integrum anni quadrantem ſic egit aegra, ut neque ulla a doloribus fieret remiſſio, neque ea ad agendum quippiam eſſet idonea. Quibus rebus tam miſera eſt facta, ut tabeſcere prorſus videretur. Ad ultimum *chiragra* etiam eſt correpta. Hucusque foeminae, cujus jam ſaepe mentio eſt facta, medicus non eram, et fando tantum acceperam, eam aegrotare, ſed tamen, ſingulari benignitate heri, in ſervae officio, cui ſemper cum laude praefuerat, manere. Homines enim generoſi, apud quos ſervam agebat, nobile adeo propoſitum ceperant, pro illius

vale-

valetudine reſtituenda et confirmanda, curas, impenſasque adhibendi. Quantopere eſt optandum, ut plures ejusmodi exemplum laudabile et glorioſum ſequantur! Anno 1787. in urbe noſtra vulgabatur Epidemia, illi ſimillima, quam doctiſſimus collega meus D. Eckner deſcripſit, et quae in vico Kumbach, 1789. ſaeviit. Febris erat gaſtrica, pituitoſa, bilioſa putrida, quae in quibusdam tantum Febris nervoſae acutae ſumſit formam et indolem.

Cum in domo, in qua foemina, quam nominavi, famulabatur, quatuor homines vulgato morbo corriperentur, atque eo tres morti ſuccumberent, haec etiam ſerva eſt infecta. Ab hoc ego tempore illius medicus ſum factus. Ad aegram vocatus, eam in notabili laſſitudine, linguamque ejus totam pituita opertam, inveniebam, ſed praecipuum amarum ſaporem non habebat, plus nauſeam, pectorisque preſſionem, in ſcrobiculo cordis praecipue, ſentiebat. Capitis etiam dolor, magis in fronte animadverſus, qui reliquis quoque, hac febri laborantibus, quos ſupra nominavi, erat communis, obſervabatur. Febris jam die antegreſſa ceperat initium.

Accipiebat aegra a me ♀. emetic. cum radice Ipecacuanhae, in parvis et reiteratis doſibus, quarum quaelibet gr. j. ♀. emetici et ℈ß Ipecac. explebat. Poſt ſumtam ſextam doſin admodum modica vomitio ſeu emeſis, ſed cum exigua relevatione, animadvertebatur. Duabus adhuc doſibus adhibitis, pituitam gaſtricam, et materiam putridam, infra turgeſcere videbatur. Quapropter aegrae pulvis dabatur, qui ex ſale catarctico, ſic dicto Schwarzburgico, Cremore ♀. et Rheo, conſtabat. Hinc foetidae quidem citae exinanitiones alvi ſequebantur, ſed ſemper citra relevationem. Nunc cum pulvere hoc, quem cum ⊖ polychreſto acueram, potionem laxativam e foliis Sennae, Cremor. ♀. et Tamarind. vice verſa conjungebam. Quo facto quasdam alvi depoſitiones, cum levamine, habebat. Cum laſſitudo haud mediocriter

 augeſce-

augeſceret, atque facies eſſet deformata, ad corticem peruvianum confugiebam, cum radice ſerpentariae in forma infuſi, et pediluvia, cum camphora, ordinabam. Hinc aegra paululum quidem fiebat alacris, cutemque habebat humidam: Capitis vero dolores, preſſioque pectoris, adhuc aderant, ſed multo leviores. Ad hoc usque tempus aegra nihil ſumſerat cibi. Jam autem nonnihil famis ſentiebatur, ſed illico etiam evaneſcebat. Sitis nunquam erat notabilis, pulſus autem ſemper debilis. Toto febris tempore aegra, ex morbo ſuo priori, in brachiis, manibusque habebat dolores. Cum autem pituitoſa conditio non videretur ceſſatura, chinae infuſo, pituitam ſolventem pulverem addere, adhuc ſemper cogebar. Diebus quatuordecim elapſis, ſtatus pituitoſus nondum ceſſabat. Quare utile mihi eſſe videbatur, aegrae non nihil calomel dare. Sex doſibus, quarum unaquaeque gr. V. explebat, datis, cum quavis alvi exinanitione levis teneſmus notabatur, et, capitis dolores non amplius ſentiri, ſpiritumque meare liberius, cum voluptate animadvertebam.

Accipiebat aegra a me pulverem ex ⊖ Sedlizenſis part. duab. atque una pulveris corticis peruviani, conſtantem, cujus aqua temperati, plenum cochlear duabus horis ſumeret. Poſt quatuor aut quinque horas haud mediocris ſtrepitus in ventris inferiore parte oriebatur, aegraque teneſmum rurſus habebat, ſub alvi depoſitione. In pulvere uſurpando perſeverabatur, et ecce — tantus *aſcaridum lumbricoidum* numerus, per frequentes limoſas alvi evacuationes, dejiciebatur, ut vas, in quod alvi exinanitio peracta erat, et quod fluidi tantum, quantum quadrans amphorae, continere poterat, propemodum impleretur. Complura millia nominatorum animalium hic cernere licebat. Manifeſto relevata aegra, lectum repetebat, et accepto, quem concupierat, cibo, placidum primum ſomnum capiebat. Per cardiaca, et lenia nutrientia, ex eo tempore, in dies meliorem valetudinis conditionem nacta, poſt duodecim, a vermium dejectione,

dies,

dies, relinquere lectum poterat, atque ſic quoque omnia *arthritidis*, et *chiragrae* ſymptomata *evanuere.* Manus quidem adhuc chiragrae, qua erat excruciata, veſtigia oſtendunt.

Obſervatio II.

Vir quidam, quinquaginta, et quod excurrit, annorum, temperamenti cholerici, *Lanarius*, in laboribus ſuis induſtrius, felixque pater familias, praeter conſuetos morbos, quibus infantes infeſtantur, nullo gravi morbo affectus, ab ineunte aetate bene valuit. Nihil praeterea vitii quidquam in totius corporis compage habens, neque vitae inordinatae ſerviens, parentibus etiam validis ortus, in annum usque quadrageſimum optima valetudinis proſperitate uſus eſt. Ex hoc autem tempore morbo articulari, frigida maxime, et humida tempeſtate, quam lanarius quidem effugere nequit, et artuum doloribus, frequenter corripitur. Saepenumero veſicatoriis levationis ſibi quippiam paravit, quorum vero bonus effectus, in ſequenti tempore, haud apparuit manifeſtus. Concoctionis quoque organa affici, magnamque pituitae vim in viis primis gigni, atque ſtatum viſcidum formari, dilucide apparebat. Ita affectus aeger mea ope uti coepit. Ab initio leniter aperientia et digeſtiva dabam, quae aliquamdiu effectu non carebant, praeſertim ſi, iis ſumtis, ſtomachica adderentur. Hoc modo, annis nonnullis elapſis, rheumate, et aſthmate, ſeſe excipientibus laboravit, rheumatico praecipue dolore non plane ceſſante. Aegro diluentem ptiſanam dedi bibendam, et cum remediis aperientibus *Gummi quajacum* copulavi. Quae vero remedia, licet exiguam levationem efficerent, haud ea tamen diu durabat. Aliquoties aſthmatica inprimis ſymptomata admodum erant gravia, et ſuffocationem minari videbantur. Sulphur ♁ii auratum datum, ut lenis emeſis cieretur, et Spirit. C. C, ſuccinat. cum laudano liquido, haud ſemel manifeſtae erant efficaciae, et, propter pul-

pulſum plenum, nonnunquam ſanguinis quoque miſſio in brachio fuit ſuſcepta. Hucusque dolor rheumaticus maxime in ſcapularum regione inſederat. Jam autem per totum corpus diffuſus, plenam *arthritidis vagae* formam aſſumebat. Aliquando poſt aeger in inferiore ventris parte peculiare, inſolitumque quidquam, quod undarum quaſi ritu moveretur, ſentiri, vertiginemque ſimul ſaepius ſibi eſſe, famemque enormem, querebatur. Aliquamdiu hanc rem mihi patefacere oblitus erat, cum interea communes artuum dolores genu magis occuparent, veramque Gonagram, cum malo iſchiadico, fingerent. Cum aeger mihi, quod tanquam peculiare, inſolitumque in inferiore ventris parte ſenſerat, indicaret, illico *vermes*, et maxime *taeniam* adeſſe, augurabar. Pulveri igitur, ex gummi quajac. aliquantum Calomel addebam, atque excrementa diligenter, accurateque ſpectari, jubebam. Diebus quatuordecim praeterlapſis, una vice *decem ulnae Taeniae*, cum ſatis multo limo, ſed cum dolorum etiam articularium levatione, ſunt ejectae. Aſthma, aegri pectori, valde fuerat moleſtum. Qua de cauſa ei draſtica, vomitoria praeſertim, hyperemeſes cientia, dare verebar. Notis tantummodo anthelminticis contentus, aegro multum Allii dari edendum, jubebam, et cum Gummi Guajac. Aſſam foetidam conjungebam. Quo facto plures etiam ulnae *taeniae* ſubinde expellebantur, ſic autem ſemper, ut, totum vermem nondum plane eſſe exterminatum, intelligi poſſet. Aeger in familiaritatem quaſi morbi venerat ſui, rebus autem agendis ſic ſatis dare operam poterat. Dixeram ei nonnunquam, forte, heroicumque remedium, ut totus hoſtis expelleretur, aliquando eſſe adhibendum. In animo fuit ſape mihi, ei dare Gummi Guttae, ſed ſemper reluctatus eſt, atque ſic, a morbi primordio, novem anni ſunt transacti. Per quandam diaetae negligentiam, aliasque cauſas fortuitas, evenit, ut hac hieme denuo arthritide, et aſthmate, inquietaretur. Optimum factu mihi eſſe videbatur, curandi

modum

modum rurſus vermibus accommodare, et, aliquot doſibus ex Gumm. quajac. Calomel, et aſſa foetida, datis, ingens iterum taeniae numerus abigebatur.

Aſthma evaneſcit quidem, gonagra autem, et malum iſchiadicum manent, cum quibus jam molimina quaedam haemorrhoidalia conſociantur. Quodam tempore interjecto, aeger mihi occurrit, rogitans obnixe, ut eum a Taenia, quantum in me ſit ſitum, liberem. Nullam jam curationis viam, et methodum, ſe intermiſſurum eſſe ſpondebat, dum animadverteret, totum corpus paulatim enervari, et fieri facile poſſe, ut malum, in ipſo ſaeviens, vitam finiat ſuam. Statuebam itaque hanc curandi rationem ſequi. Farinaceis cibis eum uti, jam dudum prohibebam, ideoque eos jam maxime pro impermiſſis judicabam. Omnia illius alimenta concoctu facilia, et digeſtibilia eſſe debebant. Ei primum diebus quatuor continuis *Vitriolum martis* cum Saccharo dabam, id quod non niſi lenia tormina efficiebat.

Tum adhibui electuarium, ex ſemine Santonic. Tanaceti, asſ. foetid. Calomel. rad. jalapp. cum Syr. Roſar. ſolut. ſecundum *de Meza*. Hoc medicamentum octo dies uſurpabatur. At vero ſupra dictus motus in inferiori ventris parte ſentiebatur. Nunc Gumm. Gutt. dare decernebam. Primis cujusdam diei tenebris aegrum unciam unam olei olivarum, et inſequentis diei prima aurora, Gumm. Guttae, ſumere jubebam. Hanc dicti medicamenti compoſitionem a me accepit:

℞. Gummi Guttae, ʒß
ʒ rad. Jalapp. ℈ij.
M. F. ʒ divide in III part. aequal.

Mane ad horam ſextam prima doſis, in tepido Theae infuſo dabatur. Una interjecta hora, emeſis fortis, cum una alvi exinanitione connexa, oriebatur. Cum intra quatuor horas nihil amplius animadverteretur, ſecunda doſis eodem modo, hora X. dabatur, unde, intra dimidium horae, quatuor

tuor vomitus ſequebantur, et quinque alvi evacuationes, inſraque et ſupra, magna vis limi eſt ejecta. Nullo autem prorſus verme viſo, tertiam quoque doſin dare placuit, quam aeger poſt meridiem, hora tertia, ſumſit. Hinc rurſus quatuor vomitus, et frequentes hypercatharſes, ſequebantur, quae ſcena ad X. noctis horam durabat, ita, ut *novem vomitus*, et *octoginta alvi exinanitiones*, efficerentur. Haec horribilis multitudo excrementorum conſtabat ex muco pituitoſo, et ſex poſteriores alvi excretiones ſpeciem ſpermatis ranarum prae ſe ferebant, in quibus ipſis quoque nigra punctula minuta erant conſpicua, vermium vero nihil plane conſpiciebatur.

Aeger hac permagna ejectione neutiquam erat debilitatus, in oſſe potius femoris, et verſus genu, ubi continenter dolor arthriticus maxime ſaevierat, plenam ſentiebat remiſſionem, levationemque. Atque ſic neque vermes, neque arthritis, neque aſthma, moleſtiam ipſi ullam amplius fecere.

Rudolſtadio Erlangam miſſ.
d. 3. Mart. 1791.

OBSERVATIO XLVI.

Dn. EVGEN. JOANN. CHRISTOPH. ESPER.

Oryctographiae Erlangenſis ſpecimina quaedam, imprimis ſpongiarum petrificatarum.

Regionis tractus, quem inhabitamus, licet ſpecierum regni mineralis copia, prae vicinis, multo inferior eſſe videatur; tanta tamen ei inſunt praeclara ejusmodi naturae documenta, quae et in explorandis ortus, ac viciſſitudinum, cauſſis, et in definiendis eorum characteribus, uberrimum ſup-

ſuppeditarent campum, indefeſſumque ſcrutationis requirerent laborem. Solum hujus regionis, altiſſimo quidem ſabulo contectum, ſtratis tamen terrae Daedaleae paſſim eſt ſuperſtructum, et imprimis cultu eo aptius redditum, ad proferenda quaevis multo mitioris coeli producta. Undiquaque vigent arbores, prata optimis ſunt obſita herbis, agri cujusvis frumenti fertiles, in hortis plantae, calidiori climati alias aſſuetae, laete proveniunt, et ſylvae conjunctis ſociis Pini tum ſylveſtris, tum Abietis, ac Piceae, uti Quercus Roboris, Betulae, Fagi, Carpini, Salicis, Populi aliarumque arborum, in denſa lataque vergunt agmina. Ita ex ſterili ſabulo, et imprimis ochra ferri immixto, tum tanto temporis ſpatio, tum indefeſſa cultorum induſtria, infoecundum antea ſolum, in optimum eſt transmutatum. *)

Sed cum praeſertim non ſit propoſiti, omnium generum et ſpecierum hujus regionis recenſere producta; inſigniora quaedam praeprimis commemorare ſaltem haud inutile duxi, et cui non primum ipſa ſabuli moles, profunditate hactenus inexplorata, obveniat aeque admiranda. Pauca vero memoratu digna breviter his indicare ſufficiat. Quod ex effoſſis puteis conſtat, fines hujus arenae ad quadraginta orgyarum profunditatem, minime adhuc habemus expertos, etſi intervenientibus quibusdam ſtratis argillae, aut petrae, ex eodem ſabulo obduratae, congeſtis. Strata quaedam ſuperficiem verſus, ſolidiorem exhibent ochram ferri, granuloſam et intime conjunctam (*Raſenerz*), trium fere pedum altitudine denſam, optimae quidem indolis, at nulli hactenus accommodatam uſui. Arenae noſtrae ſtrata et colore, et particularum magnitudine, valde ſunt diverſa. Quaedam et trium pedum profunda, ſpeciei eidem ſunt ſimillima, quam Ill.

 a Lin-

*) Conf. *perill.* Delii Diſſ. de *aëre*, *aquis*, *locis*, *et ſalubritate Erlangae.* Reſpond. *Jo. Georg. Fleiſchmann.* Erlang. 1766.

a Linné, Arenam mobilem vocat, ex minimis enim et conſimilibus conſtant particulis quarzoſis. Sed ſunt alia, nimirum ſuperficiem verſus, quae, granis groſſis invicem accumulata, ingentem replent altitudinem, quibus varii inhaerent ſatis amplae magnitudinis lapides. Horum vero intuitu multoties meam excitabant admirationem ſtrata, tum horizontalia parallela, tum in declive declinantia, quae praecipue in abruptis collibus cernebantur. Variae ſunt alternatim anguſtioris, aeque ac latioris altitudinis, uti et ipſa arenae maſſa valde diverſa, quo profundiora vero, eo latiorem extendunt materiem. Inundationibus igitur quam plurimis, omnem quidem hominum memoriam ſuperantibus, et totidem ſedimenta accidiſſe, ubique iſta ſatis demonſtrant. Univerſa haec ſabuli moles, aqua interſtillante ubicunque ſatis eſt repleta; idcirco nulla fere noſtrae urbis extat domus, quae puteo careat, immo cultores agrorum, flagrante aeſtatis ſole, ad irrigandas flaccidas, imprimis Nicotianae Tabaci, plantas, celeri conſilio ipſis eam comparare didicerunt. Fodina enim quovis loco facta, vix quatuor aut ſex pedibus profunda ac totidem lata, uno aut altero horarum intervallo, jam ſatis repleta, largam ſuppeditat illis aquarum copiam.

Tractus iſte ſabuloſus, profunditate adhuc inexpertus, quaqua verſum variis anfractibus et finibus, nondum definitis, in latiſſimum ultra excedit campum. Orientem verſus, proxime quidem, et ab urbe noſtra vix mille paſſuum intervallo, eſt circumſcriptus; cum colles ibidem ex ſaxis arenoſis, ſeu *Cote Quadro*, exſurgunt, mox rupibus, ex petris calcareis multo altioribus, conjunctis, montium Fichtelbergenſium coadunantur catenae. Ad meridiem et ſeptentrionem vero, eo ulterius iſte progreditur ſabuli tractus; altera nempe Moenum, altera Danubium usque, in parem protendit plagam. Ex occidente, Rednitium fluvium, arenae ſuos attingere videntur fines, at varie et ultra milliaris ſpatio iterum late vergunt, quousque tandem

dem Franconiae citerioris uliginoſi et argillacei eas excipiunt campi.

Immenſam hujus ſabuli molem, ex inundationibus antiquiſſimis, et ſaltem ex ultima telluris noſtrae cataſtrophe, quam nemo ſana mente ibit inficias, traxiſſe originem; ubique ſatis perſpicua confirmant documenta. Strata enim horizontalia vallium vicinarum, congeriem exhibent *teſtaceorum*, uti et in fundo marium reperiuntur, et quidem largiſſimam. Extant ſinus montium, littora marium ſimillime, uti et portus aemulantes, quibus, praeſertim in fundo, adhaerent Oſtrearum teſtae variae ſpeciei, denſe et quaſi ſitu naturali invicem agglomeratae. Circumquaque porro ibidem ſilicum variae maſſae, aut ſaxorum globuli, occurrunt, in rotundatas, oblongas aut ſphaericas detritarum formas, uti et nunc ad vera marium littora, formata inveniri ſolent. Ipſa ſabuli praealta moles, plurimis eſt immixta marinorum ruderibus, *teſtaceorum* nempe et *Phytozoorum* varii generis, in variam lapidum transverſa materiam. Paſſim ſimul in ſuperficie, ac crebrius in effoſſis ſtratis, occurrunt *lithoxylorum* fragmenta, et colore et ſubſtantia, in quam tranſierunt, invicem maxime diverſa, *achatina* nempe, *jaſpidea*, *quarzoſa* et *calcarea*.

Seorſim vero omnes hujus regionis enumerare productorum ſpecies, ipſa hujus tractatiunculae, cum non concedat ratio, quamquam alio tempore eas indicare conſtituiſſem; ſuffieiat adhuc, paucis nobiliorum quorundam noſtrae regionis meminiſſe lapidum. Sunt imprimis *Silices Carneoli*, quae in agris, verſus pagos *Büchenbach*, et *Deſendorf*, proxime abhinc paſſim reperiuntur, colore ſanguineo, et hyalino, uti varia ſe exhibent ſpecimina, iis ex oriente, duritiei qualitate, minime cedentes. Et Silicis *Chalcedonii*, tum colore, tum immixtis corporibus, variantis, exſtat ibidem copia uberrima. Quidam iſtorum lapidum *dendriticas* continent figuras, quidam vero teſtaceorum includunt corpora.

 Inter

Inter rariſſima et fere unicum, uti opinor, quod extat exemplar, contigit mihi fruſtum iſtius chalcedonii, hyalini pariter ac lacteſcentis coloris, ramulos *Gorgoniae Palmae Pallaſii*, intime includens. Et color ruberrimus corticis, et pori, huic Zoophytorum ſpeciei proprii, aeque ac lignum corneum, aeque ac in natura ſe habent, diſtincte cernuntur, ipſa vero maſſa in paulo duriorem eſt transmutata materiam, uti ex ramis ſuperficiem tranſeuntibus, cognovi. Eorum igitur opinio, qui originem ejusmodi lapidum, ope ignis eveniſſe, contendunt, omnino probabilitatis caret argumento; cum, ex combuſtione, in cineres illam redactam fuiſſe Gorgoniam, neque colorem retinere potuiſſe, id ſatis demonſtret documentum. Nobilioribus lapidibus eſt adhuc annumerandum *Quarzum ſelectum*, quod paſſim ad ripas *Rednitii* fluvii reperitur, tum duritie, tum puritate maſſae inſigne. Praeprimis vero ſunt commemoranda elegântiſſima *viridis coloris lithoxyla*, ſeu potius vera *Chryſolithi* ſpecimina, quae imprimis, licet nunc nimis rariora, verſus pagum *Adelsdorf* et *Maehrendorf*, reperiuntur. Sed de his alia occaſione plura ſunt commemoranda.

Ad indagandam internam terrae noſtrae, ſeu ſtratorum ejusdem, naturam, cum nulla hactenus unquam ex propoſito adhibita fuerit indagatio, caſu nuperrime id accidit, quod magni pretii forſan non contigiſſet impenſis, ſimulatque uberiorem praebuit indaginis occaſionem. Ad ſtruendas enim vias publicas, *Chauſſées*, vulgo dictas, apti et ſufficientes cum deficerent lapides, variae inſtituebantur inveſtigationes, et tandem prope pagum *Büchenbach*, territorii Bambergenſis, larga, et ex voto optimae indolis, horum reperiebatur multitudo. Inito igitur cum incolis pacto, quibus res erat communis, in effodiendo et comparando omnis adhibebatur labor. Eſt collis lente proclivis, ſuperſtructa terra cultu foecundior reddita, circiter duorum pedum profunda, qua tandem remota, ſtrata obveniebant lapidum, denſe invicem accumu-

cumulatorum, ſed variis alternantibus iſtorum aggregatis. His igitur effoſſis congeſtisque, ad exſtruendas vias Norimbergam verſus, iſtuc locorum advehebantur, et jam per triennium, abundantem ſuppeditaverunt materiem, ad plures etiam annos ſufficere videntur. Varia quidem, ac quam maxime diverſa, lapidum genera et ſpecies ſingulares, in iſtis ibidem accumulatis catervis, naturae ſcrutatori veniunt obviam, ſed, quod dolendum, impetu rotarum, mox in imum detruduntur, aut deſtruuntur, et noviter denuo advectis, iterumque accumulatis, inſigniora quaevis tandem conteruntur. Ita omnino, uti *perilluſtris* commemoravit Dominvs Praeses, viae publicae et detectores, ſimulatque deſtructores, rariſſimorum naturae productorum cenſentur. *)

Exactiorem cum reddere horum productorum enumerationem, ſimulque de eorum ortu quae conjici poſſint, proferre conſtituiſſem; pro temporis tamen ratione pauca ſaltem

*) D. Henrici Friderici Delii *Adverſaria argumenti* phyſico-medici Erlangae 1780. Faſc. II. Sect. VII. pag. 10. nr. 20. „*Viarum publicarum reparatio, et praebuit occaſionem quaerendi et detegendi, quae in terrae viſceribus latent.*" His etiam addenda, quae ex ſaluberrimo ſanitatis conſervandae conſilio, de his optime monuit, Faſc. II. Sect. XXI. p. 18. no. 48. „*Viarum publicarum ſtructurae*, modernae, ſaepe et ſanitati adverſae eſſe queunt, quamvis publicae commoditati, et veredariorum ipſorum curſui citatiori, ſuis modis inſerviant; ſiquidem, dum inaequalia lapidum ſtrata, eaque aequali tegmine orbata, praeter ſalutarem quandam viſcerum abdominalium quidem commotionem, nimia quoque *concuſſione*, et *encephali* commotionem, *carebariam*, et varias *cephalalgiae* ſpecies, producere poſſunt. Intereſt itaque *ſanitati peregrinantium*, ut ſtrata viarum publicarum, quae *Chauſſees* vocantur, ſemper, et ope perpetuae reparationis, ita ſint comparata, ne ea, inaequalitate ſua duriore, encephali commotioni, et concuſſioni, faveant, praeſertim, cum ipſi peregrinantes ſua vectigalia ſolvere teneantur."

ſaltem, ex praecipuis indicare, et unicae inſigniori horum ſpeciei inhaerere ſufficiat. Sed de ſitu eorum in eo, quem jam indicavi loco, primo quaedam ſunt commemoranda.

Remota ibi locorum terra vulgari, duorum pedum profunda, primo obvenit ſtratum, quod praecipue ex lapidibus conſtat arenoſis, ſeu fruſtis Cotis Quadri groſſioribus, argilla rufeſcente et ſabuloſa intermixta, quod vero totidem pedum altitudinem non excedit. Inde ſequitur ſtratum, ex limo tenaci rufo, ſed vix palmae continens latitudinem. Hoc perfoſſo, iſti, de quibus mentionem feci, occurrunt lapides, denſe invicem accumulati, et variis alternantibus ſtratis eadem argilla ſuperſtructis, quorum ſex, diverſae altitudinis, enumeravi, et quidem ſatis diſtincte in planitiem vergentes horizontalem. His tandem ablatis, ex duodecim aut ſexdecim circiter a ſuperficie terrae diſtantia, unum idemque ac ubique occurrit ſabuli maſſa; inde vero ad ulteriorem indaginem, uti et emolumenti prohibebat ratio, poſiti ſunt fines; operarii enim ſtrata proxima proſequentes, novis factis fodinis, faciliori labore ipſis comparant, ex pacto, materiem. Has vero lapidum catervas fluctuum vi aquarum ibidem eſſe congeſtas, et ipſa ſtrata ſimulatque detrita et in globulos redacta forma, primo jam adſpectu, ſatis confirmant. At quod mirandum, collis iſte, qui vix horae ſpatio ab urbe noſtra diſtat, altioris tamen eſt, et, ut conjeci, majoris, ac quadraginta pedum, altitudinis a terrae noſtrae ſuperficie, et nullibi tamen paria huc occurrunt lapidum ſtrata; alio igitur irruente impetu aquarum, diruta ac abrepta fuiſſe veriſimile videtur, et recentiorum inundationum ſaltem docuerunt veſtigia.

Ipſi lapides, qui in his occurrunt, congeſti, ſtratis, tam materie, quam forma, maxime ſunt diverſi, inprimis vero *petrefactorum* varia continent documenta. Plurima ex parte conſtant *Jaſpide*, ſingularis duritiei, facillime, ope chalybis, ſcintillantes, ochracei, fulvi, brunnei, albidi et nigri coloris.

loris. Cruſta ſaepius ſunt incluſi, aut reſoluta, aut ſuperinducta, argillaceae quidem ſed obduratae materiei, linguae ſe agglutinantis, et aqua immerſi, modo, ac lapis mutabilis, mutantes colorem, transparentesque evadunt. Rarius occurrunt *Jaſpidis Polyzonias* fruſta, pugni magnitudine, cinereo - caeruleſcentibus, flavisque alternantibus faſciis. *Achatis* quam plurima ibidem proferuntur ſpecimina variae magnitudinis et diverſi imprimis fulveſcentis, rarius vero rubicundi, ſeu *Carneoli*, coloris. Lapidum porro ex duriori calcis maſſa, pariter ac ex *Quarzi pellucidi*, et *hyalini*, materia, uberrima ibi obvenit multitudo. Singularem adhuc non praetereundam duxi, ſaxi arenoſi ſpeciem, rubrum laterum coctorum colorem, adeo aemulantem, ut quisque primo adſpectu his artefactis annumeraret, imprimis cum ob planam eorum ſuperficiem aequamque fere craſſitiem, pares exhibeant formas; ochra tamen conſtant ferri, immixtis granis arenae et micae minimis particulis, teſtaceorum etiam petrificata ſaepius includunt. In omnibus vero iſtorum lapidum catervis, nulla omnino primaevorum, ut vulgo arbitrantur, *Granitis* nempe, *Baſalti* et *Porphyrii*, immo praeter ferri mineram, ne minima quidem metallorum reperiebantur veſtigia. Eo uberiora vero *petrefactorum*, imprimis *marinorum*, et praecipue teſtaceorum, *lithophytorum*, ac maxima ex parte *Lithoxylorum*, in jaſpideam, aut achatinam, transmutata maſſam, varii generis et ſpeciei, ibidem extant ſpecimina. Sed alia occaſione cum ea recenſere mihi conſtituiſſem, *globuli lapidei*, qui magna huc reperiuntur copia, curioſam potius deſiderant indagationem.

Varia ſunt magnitudine, a diametro ſemiſſis pollicis, quatuor aut ſex, ejusdem menſurae, exſuperant latitudinem. Quidam exacte *ſphaericam*, quidam *ovalem*, aut integram aut altero latere explanatam, et quaſi dimidiatam, quidam vero conicam et ſaepe intus excavatam repraeſentant formam. Materia iſtorum pariter ex jaſpide, coloris flavi,

 ſeu

ſeu brunnei, ut et gryſei, eſt compacta, ſaepiusque cruſta circumducta albidiori aut flaveſcenti, vix duarum linearum ſpiſſitudine. Superficies in quibusdam eſt detrita aut fere laevigata, in plurimis vero rugoſa, retiformis, aut punctis innumeris pertuſa, varias etiam continet teſtaceorum, imprimis *Cornuum Ammonis*, *pectunculorum*, *Echini mammillaris* teſtarum, aut ejusdem *aculeorum*, impreſſiones concinnas. Ad internam horum cognoſcendam ſtructuram ſecare quosdam, ſectaque latera laevigare curavi, et, quod jam conjeci, Spongiarum in his obſervavi texturam, eamque adeo quoad minimas fibrillas exactam, ut omnem meam excederet exſpectationem. Cum Spongiarum petrificata *) vel hactenus incerta, vel ſaltem, ob formam externam, difficile ſint dijudicanda; iſta eo luculentiora ſpecimina, in *adjuncta hac Tabula VIII.* iconibus exprimere et paulo uberius illuſtrare, nec rerum naturalium ſcrutatoribus injucundum fore, duxi.

Fig. 1ma, externam cujusdam horum lapidum ſpeciminis, ſphaerico-conicam, ſuperne modico excavatam, pari, ac naturali, magnitudine, exhibet formam. Duriſſima eſt Jaſpidis materia, ponderoſa, colore pallido-fuſco ſeu ochraceo. Superficies parum eſt rugoſa, foveolisque referta, *pectunculorum*, et *mytulorum*, minimorum paſſim continens impreſſiones ſatis diſtinctas. Eandem formam ſervant Spongiae naturales, imprimis *officinalis Linn.* et *agariciformis Pallaſii*, etſi nimis ſint polymorphae. Pariter de his conſtat, et teſtaceorum foetus excipere, ſaepiusque includere, eſſe conſuetas.

Fig. 2da, facta ſectione longitudinali, laevigati lateris internam monſtrat faciem. Ex variis videbatur compactam

eſſe

*) *Petrificatum ſpongiae*, ſynonymico quidem nomine *Spongites* eſſet appellandum, ſed facile cum *Lapide Spongiae*, ſeu *Spongite*, celleporae ſpecie, commutandum foret, cujus deſcriptionem et iconem dedi in Libro *Die Planzenthiere* pag. 242. et Tab. Cellep. III.

eſſe maſſam teſtaceorum valvulis, ſed ex una eademque ſolida conſtabat jaſpidis, in quem tranſiit, materia. Maxima pars plagae, punctis minutiſſimis albidis erat referta, eamque armato cum inſpexiſſem oculo, exactiſſimam *retis ſpongiarum* exhibebat formam.

Fig. 3^tia^, areolam repraeſentat hujus retis, lente vitrea, radii trium linearum, conſpectam. Fibrae albidi coloris in eandem lapidis transmutatae materiam, cancellos ſiſtunt e filis decuſſantibus et anaſtomoſantibus, denſe invicem conſutos, immo quae profundiores latent, ob transparentem quarundum partium maſſam, diſtincte cernebantur, iisdemque quadrabant accurate, quae in *Spongia agariciformi* obſervantur, unde nullum plane extat dubium naturalis quondam hujus *Zoophytorum* corporis, quamquam ipſae mutationis cauſſae, non ſint hactenus explicandae; nulla enim hodienum oriuntur amplius iſtiusmodi petrificata, et ea quae extant, omnium rerum humanarum exſuperant memoriam. Sed dum iſtae mihi ſunt praetereundae contemplationes, deſcriptioni Figurae 2^dae^, adhuc ſubjungam, lapidem iſtum cruſta fere lineari flavi coloris fuiſſe incluſum. *Rete* vero *ſpongioſum*, cum eandem cruſtam, ut rudera demonſtrant, penetraviſſet, ſatis inde colligitur, minime ab externis ortam eſſe aggregatis, ſed reſolutam potius iterumque obduratam in hanc tranſiiſſe formam. Reliqua cruſtae ſuperficies, particulas obſcuriores et pellucidiores continebat, diſtinctaque teſtaceorum praebebat corpora, quibus imprimis ſuperna cavitas erat repleta. Huic addidi ſub

Fig. 4ta, inter innumera fere ſpongiarum petrificatarum ſpecimina, ex duobus quoddam connatum, ſeu baſi conjunctum, quorum et in natura ſaepius occurrunt ſimilia. Utraeque iſtae ſpongiae in ſuperna parte ſunt excavatae, et in inferna in conicam productae figuram. Ejusdem ſunt materiei ſolidiſſimae. Superficies detrita quidem videtur, ope vero lentis, veſtigia filorum retis, ſatis diſtincta, et in laevi-

 gata

gata quadam parte eo conſpicuora declarat. Dantur ejusmodi exemplaria multo majora, et ex ambitu pedis ſemiſſis, eo profundiores exhibent cavitates. Inter varias horum corporum formas, duo adhuc ſelegi ſpecimina, quorum icones his adjunxi.

Fig. 5ta, patulam ſiſtit, ſeu infundibuliformem, *ſpongiam petrificatam. Madreporae Fungitis* Linn. fere repraeſentat formam, textura vero eſt fibrilloſa, quae armato oculo pari modo ac in illis cernitur, iſtam eo evidentiorem exhibet ſpeciem. Ex praedura quadam haec conſtat *calcis maſſa*, ſed *ex jaſpidea* quoque paria, et ſimillima occurrunt exemplaria, ſemiſſem ſaepe, et integrum pedem, quoad menſuram diametri ſuperantia magnitudinem.

Fig. 6ta, conicam exhibet ejusmodi corporum formam, in parem *calcis*, transmutatorum, *ſubſtantiam*. Ingens horum in montibus prope *Muggendorf*, et *Biberbach*, reperitur multitudo, pari ibidem ex *calcarea* et *jaſpidea* conflata ſunt maſſa, et infinitas fere formant figuras, *) Diſtinguenda tamen ſunt ab his *Alcyoniorum petrefacta*, quae ſaepe eorundem formae quidem accedunt, ſed interna textura valde digrediuntur. Sufficiat vero haec tantum indicaſſe, cum, alia occaſione, eo celebriora proponere, et in ulteriori horum productorum proponenda disquiſitione, deſiderio amatorum, ut pro viribus ſatisfaciam, intenſiorem impendere laborem conſtitui.

Erlangae exhib.
d. 18. *Mart.* 1791.

OBSER-

*) In Tractatu Domini Picot de la Peirouse, *Deſcription de pluſieurs nouvelles eſpeces d'Orthocerates, et d'Oſtracites, cet.* quaedam deſcripta, et iconibus expreſſa, deſignantur petrificata, in *montibus Pyrenaeorum* reperta, accurate et exacte noſtratibus conformia; quae vero omnia Dn. Autor *Orthoceratum* generi immiſcuit, minime interna et quam maxime diverſa eorum explorata ſtructura. Sunt imprimis Tab. VII, fig. 1. 2, Tab. VIII. fig. 3. 4. 5. Tab. XII, fig. 1. 2. 4. 5.

OBSERVATIO XLVII.

Dn. D. JOANNIS DAVIDIS SCHOEPFF.

Circa

Electricitatis ſpontaneae in corpore humano indicia.

Omnes in corpore humano vivo obſervabiles mutationes, ad hiſtoriam ejus naturalem facientes, notatione dignae ſunt, eo magis autem, ſi rariores ſint, et ſingulares quasdam ejusdem conditiones explicantes.

Phaenomena igitur peculiaria quaedam, in me ipſo, et repetitis quidem vicibus, obſervata, candide et aperte narrabo. Simile quid nusquam alibi relatum invenio.

Ita res ſe habet. Eſt mihi quandoque *ſtatus ſomni* imperfectus, quo nec plene dormio, nec vigilantis muneribus fungor. Dormitanti mihi praecedunt, corporis languor, ſenſuum externorum hebetudo, internorum confuſio, imaginatio ſemiviva et vaga, et univerſalis quaedam inquietudo. Tunc, eo ipſo, uti videtur, momento, quo, ſomnus arctior generalem praeparat quietem, derepente evidentiſſime, et manifeſte ſentio *fragorem* quemdam ſubitaneum, et argutum, *ex intimo* quaſi *encephalo prodeuntem*, cum nulla alia re magis, quam cum *crepitu electrico*, comparabilem. In eodem autem temporis puncto, copiam, *ſcintillarum ignearum*, fulgidarumque, *ex oculis quaſi proſilientem* aperte percipio, quae ſubitanea et placida univerſi corporis *concuſſione*, e veſtigio excipitur. Somnus tali modo ſtatim ſolvitur, et ſubito, omni ſopore diſcuſſo, plenarie vigilantem me invenio, bene ſentientem, et omnium corporis animique facultatum compotem, eo ſolo incommodo, ut experta tali ſuccuſſione, aliquod tempus inſomne ducere oporteat, licet ante ſomnolentia maxima urſerit.

Haec uſitatiora, et conſtantiora, ſunt phaenomena, quae nunc magis, nunc minus, cum levi circumſtantiarum

variatione, expertus ſum, et in ſpatio decem vel duodecim annorum quidem plus quam vicies. Videbatur aliquoties, ſcintillas, vel fila ignea, ex ſummo vertice prodiiſſe tremula, et cum titillatione quadam ſupra frontem mediam, interque oculos ad naſi apicem usque, progreſſa, ibi diſparuiſſe. Quae ſcintillae porro, vel lucidae apparitiones, ejusdem ſemper pallide caeruleſcentis coloris ſemper viſae ſunt, qui electrici ignis peculiaris; penicillorum etiam formam, imitaſſe, et radiis divergentibus, capiti averſis diſſolutas, fuiſſe, bene memini. Ita videbatur, dicere tantum poſſum et debeo; apertis enim et vigilantibus oculis igneas iſtas apparitiones non vidi, quum a *perceptione* illarum ſemiſomni mihi et modo ignoto, facta tantum evigilor, praeviae ejus perceptionis nihilominus conſcius et memor. Illas autem, ſenſu quodam interno qualicunque, viſas et obſervatas, concuſſio ſupradicta, certa et inevitabilis, ſequuta eſt ſemper, licet aliquoties ſuccuſſionem ſolam, absque praevia apparitione ignea ſenſerim. Hanc concuſſionis ſenſationem verbis exprimere impoſſibile eſt; nec ingrata eſt, nec doloroſa; muſculi totius corporis ſimul et ſemel quatiuntur; ita ut contigerit, dum lecti conſortem forte haberem, ob ſubitaneum talem, corpus convellentem, motum, magnum ex inſomnio terrorem me cepiſſe crediderint. Eam ſenſationem autem *ictui electrico* placidiori comparare, omni jure et ſecundum propriam experientiam, minime haeſito. *) Nec praeter admirationem, ex ſubitanea totius corporis adfectione, neceſſarie ortam, et ſtatum vigiliorem, quo excipitur, ullum aliud usquam incommodum inſecutum eſt, nec laſſitudinis, debilitatisve leviſſimae ſigna inde reſtabant.

Affi-

*) *Conf.* Cl. HEMMER, in Hiſt. et commentat. acad. Elect. ſcient. et eleg. liter. Theodor. Palat. Vol. VI. Phyſic. *Manhem.* 1790. N. VI. de *electricitate animali ſpontanea.*

Affinis videtur, modo memoratis, alia quaedam, ante plures annos in me ipſo obſervata oculorum, vel viſus, affectio. In *cubiculo obſcuro*, (feneſtrarum etiam clauſtris opertis,) dormienti contigit, ut ſponte, et repente, ſomno expergiſcenti, et *apertis omnino oculis vigilanti*, in camera ceterum obſcura, parietes albi, et ibi affixae tabulae pictae, aliaque circumpoſita objecta, ut ſedilia, menſae, *cet.* tanquam tot ſpatia nigra, diſtincta, et disjuncta, ſecundum uniuscujusque formam, ſeſe repraeſentarent. Id quod autem, ad breve exiguumque tempus, tantum durabat, dum hujus illuminationis ſenſu ſubito et ſemel iterum evaneſcente, omnibus rebus craſſa obſcuritas offunderetur. Etiam tum optime me habui, et phaenomeni hujus ſingularis cauſſam, in *retinae opticae* quadam majori, et tranſitoria, *ſenſilitate* et aliis cauſis internis excitata, quaeſivi, qua praeterita luminis in cubiculo obſcuro minima quantitas, ad diſcernenda objecta non amplius ſufficeret.

Ad aliqualem autem elucidationem ſymptomatum, ſupra relatorum, mentionem facere debeo conditionum *quae* utplurimum *anſam illis dedere.* Eminet inter has *potus Theae*, praecipue viridis, et *Coffeae*, utriusque vero ſaturatior, illorumque *ſub horis veſpertinis, coenaque intermiſſa, uſus.* In *America* commoranti, ubi uſitatiſſimus hic eſt mos, primo acciderunt, et antea non obſervata, ſymptomata. Importat *Theae*, potiſſimum melioris notae, *potus*, *hilaritatem*, *agilitatem*, et *tenſionem quandam ſyſtematis nervoſi*, absque tamen ſanguinis calore aucto, qualis poſt alia reſtaurantia ſentitur; ſed ſomnus inde abigitur, ita ut, eo potui indulgens, multarum noctium ſaepe maximam partem inſomnem transegerim, absque tamen ullo alio incommodo, quam vividioris nervorum actionis ſenſu quodam, et, quae ex morante ſomno neceſſario oriebatur, impatientia. Ea vitae corporisque ratione comparata, primum miras illas apparitiones igneas, ſuccuſſionesque inſequentes, tempore et modo ſupra expo-

expoſitis, percepi. Cauſſa occaſionalis mihi incognita, et Theae huc facientis, initio fuit ſuſpicio nulla; experientia autem et ejusdem phaenomeni repetitae obſervationes certiorem me poſtea hac de re reddidere. Amans autem Theae potum illiusque vſui renunciare nolens, remedia quaeſivi, quibus contra illius effectus me munirem, et inveni. Quoties etenim poſt Theae vſum nox inſomnis timenda erat, ope *hauſtus Spiritus Sacchari,* multa *Aqua diluti,* vel *hauſta Cerevi-ſiae fortioris anglicae*, agrypniae non ſolum, ſed et tumultuoſis illis nervorum affectionibus cavere didici, iſti enim liquores paregorica ſua qualitate, orgasmum et ſenſilitatem nervorum, Thea incitatam, ſedando, oſcillationem nimiam quodammodo ſuffocando, ſomnum placidum, quietum, nulloque enarratorum ſymptomatum interruptum, ſubito accerſere. Haec prima ſingularis ejus affectus origo; poſtea autem aliae, et aliae, natura ſua tamen parum diſcrepantes, cauſae, eosdem ſed minus graves, producebant, uti, ſi, ob aegrotorum curam, labores, itinera, aliave commercia ſomnus, praeter conſuetudinem impeditus, ſyſtema nerveum inſimul incitatum fuerit. Ex omnibus denique, vario tempore, loco, variisque ſub conditionibus, collectis ejus generis obſervatis, ſequentia liquent. Affectus commemorati, ſtatum ſyſtematis nervoſi tenſiorem, ſenſiliorem, agitatioremque, ut conditionem, ſine qua non, unice ſequuntur. Ea in ſituatione, quae apparitioni igneae et concuſſioni inſtantaneae, proxime antecedit, duplex et oppoſita quaſi ſenſatio locum habet. Dum nempe corporis laſſitudo, ſomnique deſiderium, et neceſſitas, ſentitur, ſimul major in Nervorum ſyſtemate percipitur turbulenta oſcillatio, ſenſuumque internorum vivacitas inſueta; id quod *ſtatum Cerebri excitationis*, ſomnoque oppoſitum, appellant quidam.

Nunquam, nunquam dico, phaenomena illa, alio ſub Tempore obſervata ſunt, quam in illo ipſiſſimo momento, quando praegreſſis ante commemoratis conditionibus, ſomnus tandem arctior

arctior irrepere tendit; quam rem exploratam omnino habeo. Porro, praeterita, et, facta tali ſuccuſſione, inſequente demum et denuo ſomno, licet per ſat longum tempus ſubinde moraverit, nunquam alia talis ſuccuſſio, nocte eadem, repetit, quae et nullo tempore, quam ſub earundem cauſarum occaſionalium confluxu, ſentita fuit.

Dum primos talium ſymptomatum acceſſus obſervaſſem, fateor me valde perterritum fuiſſe, convulſivi enim vel epileptici quid ſubeſſe, ſuſpicabar; poſtea autem pluries iisdem repetentibus, absque noxa, ullove incommodo, ſemper transeuntibus, omnem timorem depoſui.

Impedire tamen non potui, dum variis meditationibus ſingularis hujus rei cauſſas inveſtigare tentarem, quia perpenſis omnibus et ſingulis, idea ſemper ſeſe obtruderet, cum *Electricitate* quamdam alere affinitatem enarrata, et in me ipſo obſervata, phaenomena. Fragor enim, quem in intimo quaſi encephalo percepi, et ſcintillarum indubitata imago, cum inſequenti corporis ſuccuſſione, cum nulla alia re magis comparare licebat, quam cum iisdem et ſimillimis, toties in experimentis, Machinae Electricae ope, inſtitutis, perceptis et apprime notis phaenomenis. Eo majus autem huic opinioni pondus accedebat, dum et alios viros, *affinitatem* quamdam *inter materiam electricam*, et quod in *nervis ſupponitur fluidum*, ſtatuere, poſtea invenerim. Sic Ill. Bertholon, *) identitatem fluidi electrici cum fluido nerveo negat quidem, magnam tamen inter utraque affinitatem, et arctiſſimi utrorumque connubii, vel commixtionis, poſſibilitatem admittit; ex tali autem unione, *materiam electricam figi*, et iis

*) Vid. Ejus *Anwendung und Würkſamkeit der Elektrizität*, *1ten Bandes 7tes Kap. von der urſprüngl. Elektriz. des menſchl. Körpers.* — ubi plura Electricitatis in corpore humano ſpontaneae veſtigia et exempla proſtant —

iis proprietatibus privari, ſuggerit, quas in *ſtatu libero* exſerit: Solutis autem, qualibet intercedente cauſa, hujus connubii vinculis, praecipitationem quaſi chemico-electricam ſequi, ea docet oriri *Electricitatis ſpontaneae, in corpore humano generatae*, phaenomena, quae in ſtatu ſano, aeque ac morbido, obſervantur.

Hujus opinionis probabilitatem ſi ultro proſequi liberet, inde omnino enarratorum ſymptomatum ingenioſa explanatio deduci poſſet. Ex cauſſis enim, phaenomena memorata antecedentibus, et concomitantibus, manifeſte deprehenditur, ſyſtema nervoſum in ſtatu tenſionis, vel excitationis, majori, verſari. Major forte fluidi nerveo-electrici copia producta, collecta in partibus encephali quibusdam ſervatur, et irritatione ſua, eam, quae praecedit, oſcillationem nervorum cauſat; usque dum *exploſione ſpontanea*, abundans fluidi nerveo-electrici copia, *rupto quaſi clauſtro*, diſſipetur, et corporis totius tranquillitas debita reſtituatur.

Ne autem vanis imaginationibus inſiſtere videar, *plures* hujus generis mitto conjecturas. Sufficiat enarraſſe, quae, et qualia, ipſemet expertus ſum; veritatemque relatorum pro ea, quae in me eſt, fide, atteſtans, explanationis gloriam aliis lubenter cedam.

Onoldo Erlangam miſſ.
d. 19. *Mart.* 1791.

OBSER-

OBSERVATIO XLVIII.

Dn. D. JOANNIS PHILIPPI JVLII RVDOLPH.

De

Singulari et graviſſimo, molitoris, a rota molari accepto, vulnere, feliciter perſanato.

Erat dies 12. Menſis Februarii, 1781. hora 9. veſpertina, qua ad molitorem, in vicinia Erlangae noſtrae degentem, *Schroeppel* nominatum, in auxilium vocabar. Hic, annorum 34. vir, ſanus caeterum, et (quod raro molitoribus accidere ſolet) ab omnibus, ob ingenii probitatem, magni aeſtimatus, qui ex uxore ſua, adhuc juvene, tres jam liberos ſuſceperat, eodem, quo vocabar, die negotia ſua in molitura obiens, cum nemo, qui in auxilium venire potuiſſet, praeſto eſſet, inauſpicato a rota molari arreptus, deducebatur. Ad hunc uſque diem nondum intelligere poſſum, quomodo fieri poſſit, ut homo adultus per adeo anguſtum ſpatium, quale inter trabes, quibus rota circumdatur, et ipſam rotam invenimus, vita incolumi transmittatur, quodquid, cum nulla alia adeſſet via, per quam, ab uno ad alterum rotae latus proripi potuerit, noſtro molitori transeundum fuiſſe, unusquisque, qui vel exiguam molarum ſtructurae cognitionem habet, facillime perſpiciet. Sufficiat, ſuos abſentem quaerentes poſt horae circiter ſpatium, delapſum in oppoſito e regione lateris rotae, ubi negotia illi ſubeunda erant, illum ligno transverſario incumbentem, exanimem reperiiſſe. Veſtes ejus, tunica et feminalia plane dilaceratae, et in ſanguinem quaſi immerſae, comparuere, ſicuti etiam in ſolum ligno transverſario, cui incubuerat infelix, ſubſtratum, magna ſanguinis copia profuſa erat.

Vulnerato in lecto collocato, veſtibusque detractis, Chirurgum ordinarium praeſentes arceſſebant, qui, cum vulnerati ſtatus admodum periculoſus, omnique attentione dignus, eſſe videretur, ut me in conſilium vocarent, ſtatim petebat.

Cum accederem, aegrotum in ſtatu triſtiſſimo lecto impoſitum conſpiciebam, ſenſibus externis plane deſtitutus, aeque ne minimum eorum, quae ſibi acciderant, enarrare poterat. Caput examinans, quod, cum pilis vel plane privatum eſſet, facile ſuccedebat, huc illuc quidem perparvas contuſiones, nusquam fracturae, fiſſurae aut impreſſionis veſtigia detegere potui. Ejusmodi etiam contuſiones, extremitatibus ſuperioribus illatae, conſpiciendae, nusquam autem oſſium fractura aderat. In dextro thoracis latere quarta, quinta et ſexta coſta vera, in medio fractae, et paullum pectoris cavo impreſſae erant. Omnes abdominis muſculi, non exemto muſculo transverſo, a peritonaeo, oſſe ileo et ligamento Fallopii ſeparati, varioque modo dilacerati, uti et ligamentum Fallopii ipſum, diſcerptum erat, et, cum muſculorum reliquiae ſeſe contrahendo, ad coſtas usque aſcenderint, omne plane peritonaeum a dextro latere integumentis ſuis atque muſculis ſpoliatum, inteſtinorum mole, et alterius lateris muſculorum contractione, qua ad minimae reſiſtentiae locum urgebantur inteſtina, ad rupturam usque extendebatur. Ab annulo abdominali dextro, usque ad fundum, gravi vulnere apertum ſcrotum, omnem funiculi ſpermatici ſuperficiem conſpectui aperibat. Aliud vulnus exinde transverſim oſſium pubis arcum, usque ad annulum abdominalem ſiniſtri lateris, progrediebatur, quo penis ab oſſibus pubis plane ſeparatus erat, et cum etiam in hoc latere usque ad fundum ſcroti, quod hic plane deſtructum erat, penetraverit plaga, teſticulus e ſcroto ejectus, exteriori femoris fronti incumbebat, quippe cum funiculus ultra alterum tantum extenſus, eademque pro-

portione ratione craſſitudinis imminutus, et plane niger fuerit.

Os ileum dextrum transverſim fractum erat, muſculusque iliacus internus ejus marginem ſuperiorem in pelvis cavitatem deduxerat, cum e contrario in media oſſis ilei et convexa parte nonnulla fragmenta, ad cutis ſuperficiem vergentia, margine acuto muſculos irritarent. Femorum anterior et ſuperior pars, diverſim varias contuſiones ſenſerat, nusquam autem hic loci oſſa laeſa erant.

Pulſus parvus, celer, contractus, qualis plerumque poſt largas ſanguinis profuſiones inveniri ſolet, et aegrotus mentis minime compos, ſopore perpetuo occupatus. Quae quidem vulnera, licet in quotidiano uſu medendi, ſingula, neque infelici ſucceſſu, jam antea tractaſſem, tamen quum in uno eodemque corpore, quamvis ſano, congregata quaſi, atque confluxa, viderem, anxietate quadam animum initio impleviſſe, palam profiteor.

Laeſiones capitis adhuc quidem nullius momenti eſſe videbantur, interea tamen variae contuſiones et ſugillationes, etſi minutae, aderant, quae ſemper fracturae alicujus, impreſſionis vel concuſſionis ſuſpicionem movere poterant. Sopor certe, quo vulneratus detinebatur, ſuſpectus erat; quos autem ſemper metuebam, vomitus bilioſi, qui frequentiſſime encephali laeſiones comitari ſolent, non ſubveniebant, unde ſoporem, a ſanguinis potius jactura, quam cranii laeſione, explicandum eſſe, nullus dubitabam, cum etiam pulſus celeritas et debilitas idem comprobare viderentur. Neque trium coſtarum fractura curis animum replevit, quoniam nulla aderat tuſſis, nec reſpiratio impedita; ejusmodi fracturae plerumque facile ſanantur, et callus, etſi interdum deformis, raro adfert incommoda.

Muſculi abdominales dilacerati, et ad coſtas usque, contractione fibrarum, elevati, accuratiorem curam poſtulabant, ob inteſtina peritonaeum vehementiſſime extendentia,

 unde,

unde, omni ſanatione feliciter finita, hernia ventralis metuenda erat. Neque minus verendum erat, ne, ſuppuratione ſubſequente, peritonaeum, contuſione jamjam laeſum, adeo debilitetur, ut, inteſtinorum aggreſſu ruptum, inteſtina profundat.

Majus adhuc periculum fractura oſſis ilei minabatur, cujus pars ſuperior vi muſculi iliaci et glutaei externi, abdominalibus muſculis male reſiſtentibus, in pelvis cavitatem abducta erat; quae cum admodum acuta eſſet, non niſi inflammatio et ſuppuratio in pelvis cavitate, ex irritatione, quam et fragmentum magnum ſuperius, et alia, ex media oſſis ilei parte erupta, neceſſario excitatura erant, metuenda erat, unde puri non alius exitus, quam per inciſiones, inferiori cavitatis pelvis parti illatas, parari potuiſſet. Res tali modo omnimode admodum dubia fuit, quamquam fragmenta oſſium, perioſtio forſan adhuc adhaerentia, et muſculis glutaeis impreſſa, cum reunio cum oſſis ilei corpore valde dubia eſſe videretur, inciſionibus in muſculos glutaeos factis removeri poterant; quod tamen aequaliter multis incommodis connexum fuiſſet, quoniam exinde libera femoris actio multum detrimenti paſſura erat.

Scrotum in dextro latere dilaceratum, etſi funiculus denudatus erat, ſanationi vix reſiſtere poterat; vulnus vero transverſum, quo penis ab oſſibus pubis ſeparatus, et integumentis ſuis maximam partem ſpoliatus erat, et ſcrotum ſiniſtri lateris plane deſtructum, teſticulus ex illo ejectus, funiculusque ſpermaticus ultra modum extenſus et attenuatus, qui, uti videbatur, difficillime conſervari poterat, multo majoribus curis mea praecordia implevere. Contuſiones tandem, extremitatibus inferioribus illatae, reſpectu ceterarum laeſionum, nullius momenti erant, cum nusquam fracturam aut luxationem detegere potuerim.

Es iis, quae antea dixi, facile eſt intellectu, tales laeſiones, etſi ſingulatim conſideratae raro lethales ſint, in com-

complexu tamen ſtatum aegroti periculoſiſſimum, et progno-ſin valde incertam, reddidiſſe.

Cum non omnia, ad adeo compoſitam alligaturam ne-ceſſaria, ſtatim parata eſſent, ſufficiebat primo, vulnera, quantum fieri poterat, in priſtinum ſtatum et ordinem re-ducere.

Contuſiones capitis, admodum exiguae, fomentatio-nibus frigidis ex oxycrato, ſaepius repetitis, tegebantur, quia nullum commotionis cerebri, aut fracturae cranii, in-dicium aderat, excepto ſopore, quem ſyncopi, ob adeo largam ſanguinis profuſionem, quam cerebri laeſionibus, ad-ſcribere malui.

Coſtarum fracturae repoſitioni parum reſiſtebant. Pars illarum poſterior paullo quidem impreſſa erat, ſtatim tamen, levioribus operationibus, in ſtatum naturalem reducebatur; quo facto pulvilli, oxycrato calido madefacti, imponeban-tur, faſciisque neceſſariis continebantur.

Muſculos abdominales diſruptos, et ſurſum contractos, omni adhibita cura deducere conabar, illisque peritonaeum denudatum rurſus obtegebam. Fiſſuras, quibus in variis lo-cis laeſi, atque diviſi, erant, emplaſtris conglutinantibus reunibam, atque margine oſſis ilei et reliquis oſſis fragmen-tis, quantum poſſibile erat, in naturalem ſtatum repoſitis, illa callo ſe reunitura eſſe ſperans, longis emplaſtris muſculos abdominales cum oſſe ileo conjungebam, quo magis illorum reunionem cum margine oſſis ilei promoverem. Eodem modo labia vulneris in ſcroto dextri lateris et plagae trans-verſae, qua penis ab oſſibus pubis ſeparabatur, emplaſtris reunire tentabam, quo vero efficere non potui, ut funicu-lus ſpermaticus denudatus ex omni parte tegeretur, magna enim illius pars integumentis deſtituta ſupererat. Integumenta penis deterſa reponebam, et emplaſtris labia vulneris con-tinere tentabam. Funiculo ſpermatico ſiniſtri lateris et teſti-culo naturalem conditionem adegi, etſi enormis funiculi ex-

tenſio

tenſio nihil plane, aut vel minimum, ſpei conſervationis iſtius reliquerat. Neque minus ejusdem lateris ſcrotum deſtructum erat, cujus tamen, quamdiu vigeret, parcere apud animum conſtitueram, quia, ſi necroſis accederet, ſanatione nihil plane impedita, facile abſcindi potuerat. Itaque, funiculo et teſticulo repoſitis, etiam ſcrotum dilaceratum, decem ſuturae nodoſae ligaturis, conjunxi.

Omnibus vulneribus linteum carptum ſiccum impoſui et pulvillis obtexi. Abdomini magnus pulvillus ſiccus imponebatur, quia omnis humor adhaeſionem emplaſtri ſoluturus erat, et, loco faſciae, totum abdomen cum pelvi linteo ſatis firme applicato continebatur. Peni, a ſynchondroſi oſſium pubis ſeparato, faſcia habenae ſimilis applicabatur, quae leviter attracta, et linteo abdomen circumdanti affixa, penem cum oſſibus pubis reuniebat.

Inferiorum extremitatum contuſiones fomentationibus frigidis curabantur.

Interne, ob febrem inflammatoriam imminentem, ſolutio nitri, et ſalis polychreſti, in aqua florum ſambuci, cum ſyrupo rubi idaei, et pro potu ordinario decoctum hordei, cum ſucco citri, et mellis paullulo, propinabatur.

Alimenta aegroti in decocto avenae, hordei, oryzae, et fructuum horaeorum, conſiſtebant; quibus omnibus perficiendis duarum horarum ſpatium explebatur.

Die 13. ejusdem menſis, cum interdiu omnia accuratius perſpici poterant, exceptis ſugillationibus, nil notatu dignum in capite animadvertebam. Quoad coſtas res feliciter fluebat, permagna tamen ecchymoſis, cui emphyſema accedebat, orta erat. Ad quamvis reſpirationem fragmenta coſtarum contigua crepitabant, quod ab illo aëris ſtrepitu, emphyſematibus manu tactis proprio, facile diſtingui poterat. Satis conſultum itaque fuit, fomentationes frigidas capiti, et plagulas oxycrato immerſas coſtis, rurſus imponere. In muſculis abdominalibus laeſis huc illuc jam partes emortuae

compa-

comparuerunt, quo nonnulla emplaſtrorum conglutinantium, nunc inutilium, auferre coactus fui. In regione lumbari dextra, verſus ſpinam dorſi, et infimas coſtas ſpurias, inter muſculos et peritonaeum, multum lymphae, ſanguine diſſoluto commixtae, effluebat, quam accurate detergebam. Linteum carptum paſſim vulneribus valde adhaerens, aqua tepida emollitum, abſumebatur. Caeterum omnia vulnera unguento digeſtivo, cum aequali parte mellis roſarum mixto, componebantur, et, ubi opus erat, nova emplaſtra conglutinantia vulneribus indidi, ut eo magis muſculis abdominalibus perpetuo ſe contrahere conantibus, reſiſti poſſet.

Os ileum, quantum per partes valde tumentes cognoſcere licebat, bene repoſitum eſſe videbatur.

Scrotum, unius aeque ac alterius lateris, undique flaccidum erat, pallidum, et ſenſu privatum, ex quo ſuturas in ſiniſtro ſcroti latere applicatas, non multum utilitatis prolaturas eſſe, mox intelligebam. Itaque haec quoque vulnera ad ſuppurationem et ſeparationem partium, gangraena affectarum, promovendam unguento digeſtivo obtegere placebat.

Aegrotus caeterum adhuc ſenſibus deſtitutus, atque uti heſterno die ſopore occupatus, pulſus aliquo modo inflammatorius, abdomen tenſum et tumidum erat. Nunc ſtatim epithematibus aptis abdomen curare coepiſſem, niſi illorum humor, qui emplaſtrorum conglutinantium vim ablaturus fuiſſet, a propoſito deſiſtere ſuaſiſſet. Clyſter hodie applicabatur, qui cum magnam faecum evacuationem effeciſſet, vulneratum multo leviorem reddebat.

Die 14. Febris fuit acutior, et inflammatio labiorum vulneris, ubi nondum gangraenoſa erant, aucta. Inter peritonaeum et muſculos abdominales magna ichoris ſanguinolenti copia profluebat. Eadem, qua heri, ratione, deligabantur vulnera, atque eadem remedia interna repetebantur.

 Die

Die 15. ſcrotum, et magnam integumentorum penis partem, ſynchondroſi oſſium pubis propinquam, omni plane vigore deſtitutam reperi. Ex vulneribus muſculorum abdominalium continuus ichoris effluxus. Eadem alligatura adhibebatur.

Die 16. Febris paullo imminuta erat, et ſuppuratio inchoare videbatur. Magna tamen copia ichoris foetidi ex vulneribus abdominis profluebat, unde vereri incipiebam, ne peritonaeum, valde contuſum, rumperetur. Deligatio et medicamenta interna continuabantur.

Die 17. maximam partem ſcroti ſiniſtri lateris emortui, cum ſuturis et quibusdam integumentorum penis partibus abſcidi. Funiculus ſpermaticus et teſticulus ejusdem lateris valde tumebant, funiculo multo breviore reddito. Ichor ex interſtitiis muſculorum abdominalium ſcaturiens, ſpecilla argentea colore nigro tingebat, et ingrato odore conclavia replebat. Febris normam non excedebat; abdomen autem magis erat durum et tumidum, quare pulverem ex Rhabarbari radice, cum cremore tartari praeparatum, praeſcribebam.

Die 18. Nulla amplius febris aderat, in vulneribus, etſi ſatis humidis, nihil puris benigni conſpicere potui. Magna ichoris copia ex muſculorum abdominalium laeſionibus promanante, deligationem nunc bis, quavis die, inſtituendam praecepi. Ad interſtitia inter muſculos abdominales et peritonaeum, ichorem quotidie profundentia, purificanda, injectiones, ex vino et melle roſarum compoſitae, adhibebantur. Reliqua pars ſcroti ſiniſtri lateris gangraenoſa abſcindebatur; emphyſema, quod omnem fere thoracem occupaverat, evanuit, neque tamen fragmenta coſtarum, ad quamvis reſpirationem, crepitare deſierunt. Quum nullum amplius febris indicium adeſſet, decoctum corticis peruviani cum nitro propinabam, cui pulvis ex Rheo et cremore tartari, veſpere ſumendus, accedebat.

Die

Die 19. Nulla febre laborabat aegrotus, atque ichor ex muſculis abdominalibus profluens, melioris indolis eſſe videbatur. In dextro et ſiniſtro latere reliquiae ſcroti gangraenoſi abſcindebantur, ita ut uterque teſticulus denudati jacerent. Suppuratio bene ſuccedere, et vulnera purificari videbantur. Ut abdomini valde tumido reſpirationique moleſtae ſuccurratur, aegrotus potionem ex aqua laxativa Viennenſi, et ſale aperitivo Fridericiano, cum ſyrupo e cichoreo cum rheo capiebat.

Die 20. aegrotum multum ſublevatum, nulla febre affectum, ſed mirum in modum debilitatum eſſe, reperi, ſenſibus nunc primum reſtitutis. Eorum, quae inde a laeſionis momento illi acciderant, nihil ſibi in animum revocare poterat. Interea abdomen adhuc valde tumebat. Humor, ex vulneribus, abdomini inflictis, effluens, magis purulentus eſſe videbatur. Omnia vulnera bene ſuppurabant; poſtquam autem deſtructae muſculorum abdominalium et integumentorum partes ſeparatae fuerint, ulcera, ad peritonaeum usque penetrantia, oriebantur. Scrotum, cujus non niſi fundus, et ſeptum, relictum erat, bene ſuppurabat, ſicuti etiam ambo funiculi cum teſticulis aliquam ſuae conſervationis ſpem oſtendebant. Priſtino vulnera continebantur vinculo. Per diem decoctum corticis peruviani, veſpere autem rhabarbari radix, cum cremore tartari, ſumebatur.

Die 21. Nulla ſtatus mutatio animadvertebatur; puris diluti copia ex interſtitiis muſculorum continuo proveniebat.

Die 22. Humoribus, inter muſculos abdominales et peritonaeum coacervatis, liber exitus parandus erat; quapropter ſepto, intra vulnus abdominale magnum in latere dextro, ultra totum marginem oſſis ilei et oſſa pubis ad annulum usque abdominalem ſiniſtrum, ſeſe protrahente, et puris effluxum impediente, diſſecato, emplaſtra conglutinantia abſtuli, quo facto vulnus multum dilataretur. Aliqua tunc materiae purulentae copia ex interna pelvis cavitate

 pro-

profluebat, et ſic, omni tumore vel plane diminuto, marginem oſſis ilei fractam, praecipue illam ejus partem, quae verſus oſſa pubis deflectitur, rurſus deorſum in pelvim ſeceſſiſſe obſervabam, ad quem oſſis deſcenſum etiam muſculi flexores femoris, huic oſſis ilei parti affixi, ſuum contribuerant.

Digito inter peritonaeum, et os ileum, immiſſo, luculenter ſentiebam, non modo ſuperiorem partem oſſis ilei deorſum remotam eſſe, ſed et nonnulla detegi fragmenta, ex medio oſſis ilei erupta, quae autem inter ſuperiorem et inferiorem oſſis ilei partem, nunc fractura ſeparatas, tali modo arctata fuerunt, ut plane non moveri potuerint. Perioſtio carebant, aſpera, et tali modo ſita erant, ut angulis ſuis acutis, tam continentes, quam contentas, pelvis partes irritarent, unde in futurum graviſſima ſymptomata, et praeſertim puris in pelvi accumulationes, timendae erant, niſi mox removerentur, id autem, quomodo inſtitui poſſit, mecum nondum conſentiebam. Interea plumaceolum mollem cavitati immittebam, et nihil in deligationis modo mutabam. Aegroto, rurſus obſtructionibus alvi laboranti, clyſter applicabatur.

Die 23. Sinum a margine ſpinae ilei, adhuc paullulum in pelvim deductae, externe deorſum, prope os pubis progredientem, digitique longitudinem aequiparantem, detegi, qui malae indolis pus profundebat, eumque ſtatim aperui. Multum inde puris emanabat; totum femur valde tenſum, et tumidum, erat.

Quum nullo modo impedire poſſem, quo minus ſpina ilei defracta a muſculo iliaco interno et glutaeis perpetuo deduceretur, de illa, plane eximenda cogitabam, qua ſoluta, ſufficiens, ad reliqua fragmenta extrahenda, ſpatium relinquebatur. Mox vero, quum muſculos, iliacum et glutaeos, interiori parti ſpinae defractae, perioſteo nondum privatae, adhaerere, atque vulnus, a ſpina ilei, verſus annulum abdomina-

minalem progrediens, bene ſuppurare intelligerem, ſpe fretus, fore, ut muſculi abdominales emplaſtris conglutinantibus continuo detracti, ope cicatricis cum ſpina ilei conjungi poſſint, illud qualecunque conſilium omittere, atque ſolutionem fragmentorum, ſuppurationis auxilio efficiendam, qua ſpina oſſis ilei defracta, cum ſolido forſan, calli ope, conjungeretur, exſpectare ſatius eſſe duxi. Quo acceſſit, quod ſimilem caſum in magiſtro excubiarum apud pedites (*Feldwebel, Sergeant*) olim obſervaverim, qui, cum ſpina ilei a globo tormenti militaris concuſſa, illi extrahenda eſſet, ſanatus, non niſi corpore in ſiniſtrum latus pendente, ſtare atque incedere poterat. Tum oſſi ileo, ope inciſionis detecto, aliquid lintei carpti ſicci applicabam, reliqua unguento digeſtivo ut antea deligabam.

Aegroto, cui alvi obſtructio rurſus moleſtias attulerat, aqua laxativa cum ſale aperitivo propinabatur.

Die 24. Omnia vulnera, praeter illam inciſionem, quam praeterito die feceram, bona, et vulneribus recentius inflictis ſimilia, conſpiciebantur. Penis cum oſſibus pubis conjungebatur. Ex peritonaei parte, quae muſculis tegi non poterat, nova ſubſtantia proveniebat, quam etiam in funiculis, teſticulis, et exiguis ſcroti reliquiis, natam obſervavi. Vulneribus paſſim, ob emplaſtrorum adhaeſionem cedentem, ſeparatis, rurſus conjunctis, priſtino modo vulnera componebantur. Ob abdominis tenſionem continuam potionem laxantem ſupra datam, repetendam ordinavi.

Die 25. ſinum inveni, qui ab inferiori inciſionis 23. d. factae angulo, ſuper fragmentis ad anterius ſpinae ilei acumen ex transverſo porrigebatur, quem, cum a ſectionibus transverſis, niſi maxime neceſſariis, abhorrere ſoleam, ſuper apicem ſpecilli immiſſi, levi inciſura aperui, qua facta, multum ſanici inde profluxit. Plumaceolo deinde molli aperturae immiſſo, eadem alligatura manſit. In reſpiratione nullus fragor coſtarum amplius ſentiebatur. Aegroto

veſpere flatulentiis turbato, atque clyſterum applicationem recuſante, iterum potionem laxantem propinandam curavi.

Die 26. ſinum, quem, ope levis inciſionis, praeterito die factae, usque ad ſuperiorem angulum inciſionis die 23. factae, procedentem detegeram, ſtatim ſecando aperui. Quod reſtat, priſtina obligandi ratione uſus ſum.

Die 27. Aegrotus priori fuit conditione. Femur totum tumidum, inflammatum, pulſus febrilis, abdomen tenſum, erat. Accumulationem puris ſuſpicabar, ubi autem illius ſedes quaerenda ſit, ignorabam. Fragmenta adhuc firma et immobilia haerebant. Vulnera reliqua magis magisque conſaneſcebant, et muſculi abdominales cum ſpina ilei defracta, re ipſa cohaerebant. Funiculi fere plane nova ſubſtantia teguntur. Femori tumenti cataplasma admoveri juſſi, reliqua autem vincula immutata ratione repetebantur. Potioni laxanti, iterum propinatae, julapium refrigerans addidi. Veſperi ejusdem diei omnia in eodem ſtatu inveni; neque alvus clauſa eſſe ceſſerat, quapropter aegroto, maxime invito, clyſma applicari ordinabam. Neque

Die 28. alia fuit aegroti conditio. Iterum potionem laxantem veſperi ſumendam praecepi.

Die 1. Mart. Alvi fluxus nondum ſuccedebat, quapropter julapium refrigerans continuo ſumendi, et per clyſterem, ex ſpeciebus carminativis, et Electuario catholico, paratum, alvum ducendi praecepta aegroto reliqui. Caeterum alligatura priſtina, et applicatio cataplasmatis ad femur continua.

Die 2. Mart. nocte largae evacuationes evenere, quibus factis optime ſe habebat aegrotus, atque multum dormiebat; ſic quoque fragmentum quoddam in oſſe ſolvi videbatur. Veſpera qualibet ſalis mirabilis Glauberi drachmas duas ſumſit aegrotus.

Die 3. Mart. Idem ſtatus aegroti fuit, qui praeterito die. Quum abdomen iterum tenſum fieri inciperet, verſus meridiem clyſma applicari ordinabam.

Die

Die 4. Ut antea res ſeſe habebant; neque immutabatur aegroti conditio, usque ad

Diem 8vam hujus Menſis, quo puris accumulationem, juxta muſculum faſciae latae detegeram, unde, inciſione facta, larga copia puris foetidi effluebat.

Diebus 9. et 10. Nihil notatu dignum accidit.

Die 11. Femur magis tenſum et intumeſcens conſpiciendum erat. Cavitatem, quam ab inciſione, die 23. facta, verſus trochanterem magnum progredientem detegebam, ſtatim inciſura aperui, magna puris copia profluxit, quo facto paullo poſt femoris tumor, et dolores evanuerunt.

Die 12. Multum puris ex inciſione heſterna die facta fluebat, atque aegrotus bene ſe habebat, niſi quod, omiſſis clyſteribus, alvus ſemper eſſet clauſa.

Uſque ad diem 17. omnia feliciter fluebant; puris effluxus ope inciſionum diminutus, bonae indolis ſpeciem prae ſe ferebat. Cum autem fragmenta paullulum ſeparari viderentur, et ſinus ex regione inferiori inciſionis, die 23. factae, transverſim ſupra fragmenta procedens, atque novum ſinum formans, nondum clauderetur, neque, fragmentis prohibitus, claudi poſſet, conſilium, huncce ſinum transverſum aperiendi, ſtatim peregi.

Quo minus tamen fragmentis removendis manus injicere poſſem, exigua haemorrhagia prohibebat, ita, ut fundo linteum carptum ſiccum imponere ſufficeret, atque reliqua vulnera priſtinis vinculis devincire.

Die 18. Aegrotus bene valuit. Tumor et inflammatio femoris evaneſcebant, ſuppuratio bene ſuccedebat, fragmenta mihi libere adire licebat. Haec fragmenta ex oſſis ilei parte media latiore ita haerebant, ut una eorum extremitas ad pelvim intra tenderet, altera in exteriores partes magis inclinaret. Spatium autem, ex quo remota erant, foramen rotundum formabat, cujus ſuperiorem marginem ſpina ilei, ante defracta, formabat, quae nunc fere immobilis conſpicienda erat.

erat. Priſtinam vulnera alligandi rationem usque ad ejusdem Menſis diem 25. cum nihil novi animadvertiſſem, adhibui.

Die 25. Fragmenta oſſis ilei ſeparata inveni, atque forcipe ſubvalido apprehenſa, ope nonnullorum exiguorum motuum extraxi. Omnia nunc bene ſuccedebant, exceptis alvi excretionibus, quae ſemper laxantibus, vel clyſmatibus, promoveri debebant.

Die 26. Aegrotus optime ſe habebat. Fractura coſtarum bene conſanuerat. Muſculis abdominalibus, ubique cum peritonaeo conjunctis, vacua, ubi partes muſculorum et integumentorum, vita privatae, ſe ſeparaverant, ita, ut peritonaeum illis tegi non poterat, orta nova ſubſtantia impleta, conſpiciebam. Muſculi abdominales etiam margini ilei paullulum depreſſi nunc adhaerebant, ſicuti penis cum oſſibus pubis ſe conjunxerat. Atque haec quidem vulnera, minime ſane levis momenti, nunc ita ſibi invicem adjungebantur, ut, niſi quod ſolidiſſimas cicatrices ducerent, nihil omnino ſupereſſe videretur. Inciſiones ſuper os ileum factae, ſolae, nondum nova ſubſtantia explebantur, quare adhuc exfoliationem eorum oſſium exſpectabam. Uterque teſticulorum, et funiculorum, prorſus plane obductus conſpiciebatur; ſcrotum omne fere amiſſum, aliud recenter procreatum, quamvis tarde, ſupplet, atque ſuppuratio in plurimis locis valde diminuitur. Vulnera igitur minus ſuppurantia, quo citius cicatrices ducerent, linteo carpto ſicco compoſui, aliis, quorum ſanatio tardius ſuccedebat, unguenta digeſtiva alliganda praecipiens. Continuo emplaſtra conglutinantia adhibebantur iis vulneribus, quae cicatricibus jam clauſa erant, maxime vero, ubi multum mollium partium amiſſum erat. Quae quum ita eſſent, nutriens diaeta aegroto concedebatur. Usque ad

Diem 1. Aprilis omnia ex voto fluebant; vulnera ſuper oſſa ilei et penem, plane clauſa erant, id quod etiam vulnus ſcroti lateris dextri praedicari fere poterat. Cicatriſatio muſcu-

muſculorum abdominalium cum ſpina ilei perficiebatur. Nonnullas exiguas ſquamulas ab oſſe ileo ſeparatas, inciſuris omnibus fere expletis, conſpicuas abſtuli. Veſperi autem hujus diei omnia ſubito in pejus mutata conſpiciuntur. Aegrotus acerrimis doloribus, in femore valde tumido et inflammato, cruciatur, vulnera adhuc aperta ſicceſcunt, et febris vehementiſſima adeſt. Ideo venaeſectione inſtituta, et clyſmate applicato, in uſum internum, Julapium refrigerans ordinavi, et femori toto cataplaſma emolliens imponendum curavi, vulnera autem digeſtivis jam antea adhibitis deligabantur.

Die 2. intumeſcentia femoris increſcebat. Suſpicabar puris demerſionem, ſedem vero illius nondum invenire poteram, quapropter in cataplasmatibus imponendis pergere juſſi. Veſperi omnia eadem conſpiciebantur.

Die 3. In medio femore extus eminentiam, a vulnere adhuc aperto haud procul remotam, inveni, in qua fluctuationem quamvis obſcuram animadvertere putabam. Inciſionem itaque longitudine digitali inſtitui, ex qua ſtatim puris copia effluebat. Plumaceolum molle digeſtivo illitum imponebatur, quod puris continuum effluxum nullo modo impedire poterat. Totum femur rurſus cataplaſmate obducebatur, vulnera reliqua priſtino modo deligabantur, ſicuti etiam uſus Julapii refrigerantis continuabatur.

Veſperi adhuc magna copia puris effluebat, tumor circa vulnus decreſcebat quidem, ſed in femoris latere interno iterum eminentia inſignis conſpiciebatur. Etiam hic inciſionem feci, e qua ſtatim copia puris effluebat, quo facto plumaceolo deligabatur.

Die 4. Aegrotus bene dormibat, tumor et omnis inflammatio femoris evaneſcebant. Aegrotus nullo dolore cruciabatur, quamvis e duobus vulneribus multum adhuc puris emanabat. Reliqua etiam adhuc aperta vulnera, ut antea, ſuppuraverant. Quum pus, ex adhuc aperto vulnere in

oſſis ilei regione, unde d. 1. h. m. nonnulla fragmenta, ab oſſe ileo ſeparata, exemeram, in ſaccos, a faſcia lata in femore formatos, effluxum, et hancce puris copiam ſe accumulaſſe cenſerem, ſinum, ex vulnere in illos ſaccos progredientem, invenire omni cura ſtudui, neque tamen ope ſpecilli, et lenis preſſionis canalem detegere potui. Interea tamen puris demerſionem putabam adeſſe, cujus, parietibus ſinuum orta inflammatione conjunctis, exitus facile occludi poterat. Quum e bona puris indole facile judicaretur, neque abſceſſus ipſos, neque ſinus, ſi revera adeſſent, valde impuros eſſe, toto femore ab inferiore verſus ſuperiorem partem faſcia involuto, et omnem coalitionem ſinuum promovere, et novas puris aggregationes impedire conabar.

Die 5. Aegrotum omnis febris reliquerat, abſceſſus, quos aperueram, exiguam boni puris partem emittebant. Etiam reliqua vulnera parum ſuppurantia, quotidie minora apparebant, et nova ſubſtantia vulneris, in oſſe ilei adhuc aliquantum ſquamoſa, etiam magis firma fieri incipiebat.

Quum die 6. ex abſceſſibus femoris parum et boni puris efflueret, plane deligabantur, femur totum continuo faſcia continebatur. Omnia vulnera nondum clauſa, quam citiſſime conſaneſcunt. Solius vulneris, lateri ſiniſtro ſcroti inflicti, ſanatio, aliquanto tardius procedit. Vulnera in oſſe ileo profunda manent, quotidie tamen arctius clauduntur. Ab hoc tempore nihil amplius mali aegroto accidit. Abſceſſus in femore orti, et vulnera, regioni oſſis ilei externae inflicta, firmis cicatricibus ſe reunibant, etſi aliquam excavationem reliquerint. Caetera vulnera omnia usque ad

Diem 25. Aprilis firmis cicatricibus claudebantur, et ſic totum ſanationis opus decem hebdomadum, et nonnullarum dierum ſpatio, perficiebatur. Emplaſtrorum conglutinantium in vulneribus cum jactura ſubſtantiae conjunctis, vim atque efficaciam ſaepius jam expertam, quum uti in omni curatione, ita quoque vulneribus cicatricibus jam reunitis,

adhi-

adhiberentur, in noſtro aegroto novam perſpicere mihi licuit. Emplaſtris enim conglutinantibus a vulneribus, jacturam ſubſtantiae paſſis, antequam neceſſariam cicatrices nactae ſint firmitatem, perperam remotis, in cicatrice copiam exiguarum fiſſurarum oriri, recenterque generatam cuticulam, paucis diebus ultra a tota cicatrice ſeparari, ſaepius me obſervaviſſe memini. Ideo ſuadendum eſſe videtur in eisdem laeſionibus, emplaſtra conglutinantia, vulneribus jam reunitis, usque ad legitimam cicatricis firmitatem, continua adhiberi, ne extenſioni cedat.

Caeterum ad hoc usque tempus bene valet aegrotus, et quamvis margo dextri oſſis ilei aliquantum profundior margine ilei ſiniſtri lateris ſit, erecto corpore incedit. Anno interjecto ex uxore ſua puerum, poſtea autem plures adhuc, progenuit. Peritonaeo cicatricibus plurimis locis, praecipue autem circa annulum abdominalem obtecto quidem, nihilominus tamen a ſtatu naturali plane aliena ratione, nec ſatis firmiter ſuffulto, inde herniam oriundam metuens, bracherium, haud vulgari modo conſtructum, geſtandum illi praecepi, quod vero breve modo temporis ſpatium ſe adhibuiſſe, neque herniae veſtigia animadvertiſſe, nuperrime mihi ipſe laetus narravit.

Scrotum amiſſum regenerari, omnibus notum eſt, et medendi uſu a me ipſo obſervatum. Quum vero ſcrotum, arcte teſticulis applicatum, eos premat, non poſſunt non vehementes dolores a teſticulis usque ad veſicam, et renes, ſe protrahentes, oriri, hujusmodi dolores etiam noſtrum aegrotum, ſtatim poſt ſanationem peractam, vexarunt, butyro autem, omni veſpera ſcroto infricto, mox evanuerunt.

Erlangae exhib.
d. 22. *Mart.* 1791.

OBSERVATIO XLIX.

Dn. SIGISMUNDI L. B. de HOCHENWART.

Deſcriptiones duorum avium.

I. Cuculus Alpinus.

Cauda rotundata, capite breviter criſtato, corpore ſupra nigro-fuſcescente, ſubtus ſordide albente.

Magnitudo Cuculi canori, aut paullo major. *Longitudo* omnis a roſtri apice ad caudae finem duarum ſpithamarum, (ſeu 14 pollicum.) *Roſtrum* pollicare, cultratum, teretiusculum, obtuſe incurvum, acuminatum, *mandibula ſuperiore* nonnihil longiore, atra, nitente, longitudinaliter terete, naribus linearibus, nudis, patulis, ad baſeos latera utrinque, margini mandibulae parallelis et approximatis. *Mandibula inferiore* breviore, et ipſa dorſo longitudinaliter terete, nigra, baſin verſus dilute ſubrubente. *Vibriſſae* nigrae, patentes, in mandibula ſuperiore ſurſum frontem verſus, in inferiore deorſum ad latera deflexae. *Caput* roſtro ſubaequale, aut paullo longius, nigrum, breviter criſtatum. *Oculi* magni, palpebris nudis, pupilla atra. *Collum* ſuperne una cum dorſo et uropygio ex nigro ſubfuſcentia, immaculata. *Gula* contra una cum collo inferiore, ejusque lateribus, pectore, ſterno, abdomine, criſſo, femorumque plumis, ſordide albentia, cum neſcio qua? obſoleta rubedinis tinctura. *Cauda* longiuſcula, reliquo corpori una cum roſtro aequalis, ſeu ſpithamea, recta, rotundata, *rectricibus* nigro-fuſceſcentibus, apicem verſus (praeter intermedias binas immaculatas) albis, ſeu macula magna alba notatis, earumque reapſe nonniſi decem, quodſi tamen eisdem annumeres lateralem utrinque breviſſimam tenuem et totam niveam, duodecim. *Alae* ad dimidiam caudae longitudinem protractae, ſupra nigro-fuſcescentes, maculis ſubrotundatis albis

variae,

variae, margine humerorum ſubtusque albae. *Remigibus* primariis nigro-fuſceſcentibus, apice ne ex minimo quidem albentibus, reliquis vero nigro-fuſcescentibus, margine apicis ſub- aut vere-albente, alis ſecundariis earumque tectricibus, apice macula alba ſubrotundata notatis. *Pedes* ſcanſorii. *Femora*, cum parte tibiarum ſumma, plumis albentibus tecta. *Tibiae* cum digitis unguibusque nigrae, ſuturis nitidis cataphractae. *Digiti* quatuor, fiſſi, bini antrorſum, bini retrorſum ſpectantes. Anticorum et poſticorum exterior, interiorem longitudine excedens; exterior, interiore ſemper longior, longiſſimus anteriorum exterior, longitudine roſtri. *Ungues* validi, ſubulato-incurvi, ſupra teretes, ſubtus canaliculati.

Ex montanis *Carinthiae*. Proximus *Cuculo glandario* Linn. ſeu *Andaluſiae Briſſonii*. Vid. Tab. IX. fig. 1.

II. Lanius rufus? Brissonii.

Lingua bifida, nivea apicem verſus. *Roſtrum* totum atrum, nitens. *Mandibula* ſuperior longior, adunca dente inciſa. *Facies* nivea, *ſinciput* ex continuatione faſciae per oculos ad aures, lata, atra. *Aures* patulae, orbiculares, magnae. *Caput* ſuperum cum collo, caſtaneo-rufa. *Dorſum* anticum atrum. Uropygium antice cinereum, poſtice album, pennis extimis, apicem verſus, ſubrufescentibus. *Cauda* integra, ſubforficata. *Rectricibus* intermediis, atris, immaculatis, reliquis a baſi ad medium albis, inde nigris, apice ſubalbentibus, penna extima utrinque breviore, alba, immaculata. *Gula*, *collum* ſubtus, *pectus*, *abdomen*, et *criſſum*, alba, oris dilute ſubrufeſcentibus. *Alae* nigrae, macula oblique oblonga, magna, poſtice verſus dorſi latera nivea. *Remiges* atrae, primae — 9, baſin verſus albae, tunc nigrae, apicibus ſecundariarum emarginatis, albidis et ex albido rufeſcentibus. *Tectrices* nigrae, et in capite ma-

cula parva ex albo rufeſcente. *Pedes* atri, *tibiae* nudae, ungues incurvi. *Habitat* circa *Clagenfurtum*, ſed rarius. Vid. Tab. IX. fig. 2.

Clagenfurto Erlangam miſſ.
d. 31. Mart. 1791.

OBSERVATIO L.

Dn. D. CAROLI MAGNI BLOM.

De
Pinguedine praeternaturali,
ſeu
Polyſarcia univerſali Adipoſa, generata ſub diuturna Gaſtrodynia ab Acido.

Inter Medicos non minus nota, quam, a longis retro temporibus, conſenſu communi, res ſpectata atque recepta fuit, quod omnis acrimonia acida, ſive corpora humana, ſive brutorum, infeſtaverit, ibique radices altas egerit, non tantum maciem inducat, verum etiam pinguedinem fere omnem deſtruat, atque conſumat.

Nec diffitendum eſt, a praedominante acido in primis viis, ejusmodi, in genere, obſervatas fuiſſe ſequelas; quaeque anſam Practicis haud paucis dederunt, Obeſitatem nimiam uſu Acidorum profligare. *)

Quum

*) *Acta Hafnienſ.*, ETTMULLERUS, J. W. PAULI, BAINARD, SPON, et RIOLANUS, omnes Vim Aceti, hoc reſpectu, collaudant, atque imprimis poſtremus, qui effectum hujus pluribus ſimul affirmat Caſibus atque Exemplis. His praeterea accedit D. CATTIERE, qui ex FAMIANO STRADA refert, Virum militarem, obeſitate praetumidum, ejus continuato uſu, 87 Librar. pondere, detumeſcente abdomine, decreviſſe.

Quum autem paucae veritates adeo univerſales ſint, quin aliis interdum oppugnari queant; ita etiam forte cum hac comparatum eſt? — Et ſequens probabit *Caſus*, poſſe quoque aliquando ingentem pinguedinem generari, ubi Acidum in Ventriculo humoribusque corporis, valde abundat.

„Virgo honeſtae proſapiae, in aetatis 35. anno conſti„tuta, dorſo gibboſa, atque, ab infantia, pallida, macilen„taque, in febrem incidit acutam, menſe Octobris 1781. ſub „qua, praeter praegreſſum in ore guſtum acidum, ſenſum„que doloris, ad ſcrobiculum cordis, peracerbum, manus „brachiaque ſenſim paralytica reddebantur, vehementique „afficiebatur Haemorrhagia narium et fluxu Catameniorum.

„Menſe Decembri inſequenti primum ad eam accerſi„tus ſum.

„Febris adhucdum duravit, ſed mutata in lentam ner„voſam. Corpus erat valde emaciatum, manus tumidae, „prorſus immobiles, ac paralyticae: cutis earum, et faciei, „ſquamoſa, atque deflagrans. De quo vero jam, prae reli„quis, quam maxime conquerebatur, dolor erat intolerabi„lis hypochondrii ſiniſtri, atque anticardii, qui, cum ſuper„veniebat, non tantum oculos, ut valde lacrymarent, affe„cit, verum etiam tantos in partibus, eo invaſis, ſpasmos „excitavit, ut etiam extra tegumentum lecti luculenter ap„parerent. Si autem dolorem hunc quodammodo lenire cu„piebat, eſitare ſaepiſſime ei neceſſum fuit. Cibus tamen „non liquidus eſſe debebat, et ex juſculis conſtans, ſed ſoli„dior, Pane, Farto (*angl.* Pudding.), Placentis, Piſcibus, „aut ſimilibus, paratus. — Poſt eſum copioſe ſudavit, vi„res langueſcebant, et haud raro in Lipothymias incidit.

„A ſymptomatibus ejusmodi, morbum tum praeceden„tibus, tum comitantibus, judicatu igitur facile erat, cauſ„ſam proximam omnium horum malorum *acidum* eſſe, atque „fuiſſe, acerrimum, in primis viis. Ut itaque hoc debite „infrin-

„infringi poſſet, mox, et primum Magneſiam albam ei, larga „doſi, praeſcripſi, deinde calcinatam. Cum autem neutra ha„rum, quamvis per menſem fere continuarentur, ullum praeſti„terit levamen, ad Lixivium Tartari, partim ſimplex, partim „Tincturae Rhei immixtum, confugi, idque in uſum, per „aliud temporis ſpatium, vocavi; at nec feliciori ſucceſſu. „Tum Pulverem abſorbentem, e Calce Antimonii, Lapidi„bus cancrorum et Conchis praeparatis, praecepi: Et poſt„haec Piſces, aqua Cineris elixatos, pro eſca quotidiana, — „Oleum Ricini, — Kinkinam, tam interne, quam externe: — „Fomenta ex Aqua frigida ſupra Abdomen: — Enemata „oleoſa, — Opiata, — Caſtoreum, — Aſſam foetidam, „caetera, ad Spasmos et Vomitus ſedandos; ſed quaecun„que adhibebantur, irrita omnia fuere et nullius prorſus „momenti.

„Permanſit e contrario Aegra in ſtatu praedicto deplora„bili, ac miſerando, ad menſem Junii 1782.; at tum muta„tur, et alia prorſus apparet, ſcena. Quae, huc usque, „duraverat Febris, jam mitior fit, et, ſua ſponte quaſi, ſen„ſim decreſcit. Decreſcunt et reliqua ſymptomata, utpote „dolor acerrimus ad ſcrobiculum cordis, vomitus, ſpasmi, „lacrymatio oculorum, caetera; ſed tantum tamen abfuit, „ut penitus ceſſaverint, ut potius ſolummodo mitiora, atque „raro magis occurſarent. Praeterea quoque corpus, quod „antea maxime emaciatum, et ſceleto ſimile, fuit, non „multo poſt formam induere coepit pleniorem atque magis „rotundam, quae inde, atque indies ita augebatur, ut, menſe „Decembri inſequenti, molem ac effigiem prorſus exprime„ret deformem.

„Tum vero haec non ultra. Recrudeſcebant iterum, „eodem menſe, omnes cruciatus priores: Obrepit e novo „febris, vomitus et ſpasmi, multo, quam antea, vehemen„tiores, donec tandem, Menſe Februarii Anni incurrentis „1783, vitam miſeram cum placida morte commutavit.

Sub

Sub Diſſectione Cadaveris ſequentia obſervare mihi licuit:

1. Corporis adſpectum, undique praetumidum ac deformem, a Copia Adipis proveniſſe, quae plerisque locis, et imprimis intra cutem et muſculos abdominis, adeo denſa erat, ut 2 pollices geometricos, quodque ſupra, aequaret.

2. Peritonaeum, Omentum et Meſenterium multa adipe obſeſſum, hujusque praeterea membranam, ex enatis atque dependentibus maſſis adipoſis, magnitudinem, non raro, ovi gallinacei ſuperantibus, adeo intenſam atque disruptam, ut Caſſiculum Aranearum, quibusdam locis, haut inepte, referret.

3. Ventriculum, libra circiter una et ſemis Çhymi, expletum, qui acidum olebat, quique, adjecto tum Alkali Tartari, tum Sale C. C. valde efferveſcebat, multasque de ſe rejecit bullulas aëreas.

4. Hujus tunicam villoſam, hinc illincque, corroſam atque plane deſtructam.

5. Tum latus dextrum ventriculi, tum etiam inteſtinum Jejunum et Ileum, aliquantulum inflammata. Reliqua vero interanea flatibus valde diſtenta, atque paſſim bile flaviſſima colorata.

6. Hepar ac Cor, ſanum; paucam tamen, et ſolito minorem, in Pericardio Aquam.

7. Pulmones antice flaccidos, poſtice et ad latera cohaerentes cum Vertebris, valde inflammatos, atque ſanguine grumoſo oppletos.

Nemini quidem, quem non noxa prorſus latet, quam Acidum acre corpori humano infert, quique ſimul ignorat, unde Ventriculus et Inteſtina ſuos recipiant nervos, mirum jam videbitur, quod aegra haec, longiflua febre, doloribus ac ſpasmis crudelibus, Paralyſi, Vomituritione, caeterisque, cruciari atque emaciari coacta ſit:

Sed unde et quomodo tanta, ſub tantis tormentis, generari potuerat copia pinguedinis, res forte erit difficilioris indaginis?

Sane ego rationem hujus reddere ſufficientem, nec parem me fateor, neque in me reciperem: Attamen interrogare probabiliter lubet: Numne inſignis illa jactura ſanguinis, quam ab initiis morbi aegra paſſa eſt, huic quodammodo conducere potuerit? — Numne etiam, ab alimentis copioſis et crebris, oriri? praeſertim ſub perpetua quiete corporis, atque continuo decubitu in lecto, poſtquam febris ſimul aliquantulum imminui, caeteraque ſymptomata mitigari, coeperint: — Et annon denique ipſum Acidum, ſanguine commixtum, quodque cum eo circumferebatur, cellulas adipoſas intrare potuiſſet, ibique adipem ita coagulare, atque figere, ut nullum menſtruum eam inde reſolvere, aut deſtruere, valuerit? *)

Optandum certe, et operae pretium foret, ut Phyſiologi atque Chemici noſtri in hanc rem ulterius, atque in poſterum, inquirerent! Nam, Caſum hunc ſingularem, et inter rariores connumerandum eſſe, nemo forte negabit?

Interim tamen eum non ſolum eſſe, atque huc usque unicum, ex eo, quod apud Dn. D. Joh. J. Haarmannum, in Sciagraph. morbor. Parte 7ª pag. 379. —, legi, veriſimiliter conjicio, ubi Author quidam, nomine Flemyng, citatur, qui de *Polyſarcia, a dyscraſia humorum acida*, ſcripſit. Sed,

*) Quod Venaeſectiones crebrae, circulationem ſanguinis imminuentes, viresque corporis debilitantes; alimenta farinoſa et quies corporis, valde Adipi adaugendae conducant, plurimis Exemplis confirmat Ill. ab Haller, in Phyſiologia. Praeterea quoque experientia Chemicorum, et fabricatorum candelarum, edocemur, poſſe etiam Olea, Pinguiaque quaevis, liquidiora, ope Acidorum mineralium, in Sebum firmius, atque magis compactum, cogi.

Sed, quoniam tractationem Hujus nondum perlegere mihi licuerit, certo dicere non poſſum, an huc quadret, vel quomodo cauſam ſpeciei hujus juſto eruerit, aut declaraverit.

Hedemora Suecorum Erlangam miſſ.
d. 11. *April.* 1791.

OBSERVATIO LI.

Dn. FRANCISCI XAVERII L. B. de WULFEN

Deſcriptiones Zoologicae Ad Adriatici littora maris concinnatae.

Plantarum amore montes dum Japodum nuper pererrarem iterum, *Tergeſtum* (celebre ad eorumdem radices mari adſitum Emporium) ad hebdomades conceſſi aliquot. Non ſum, qui ſegnia ducam otia. Et quid mihi caetera cum inanibus, quibus in ampliſſima urbe omnis incolarum turba negotiorum, voluptatumve detinetur curis? quid, inquam, cum hiſce mihi? qui omnem in oblectamentis multo innocentibus magis, minusque invidioſis poſui voluptatem? in dulciſſimis ſcilicet, quibus cultores ſuos naturalis ſtudium hiſtoriae, amplo remuneratur cum foenore, deliciis? Occaſione itaque e re nata, placuit breve, quo ibidem commoraturus eram, tempus, curis conſecrare utilioribus.

Littora alluentis maris, quoties per coeli licuit clementiam, ſedulus adii; ad piſcarium quoque nullo non die inviſi forum. Hic, quae ipſe e mari non valebam educere, a piſcatoribus illaqueata retibus, vidi, coëmique ſumptibus plerumque non minimis. Illic, quidquid ſubmarinarum ſtirpium, teſtaceorum, molluſcorum, zoophytorumque oculis, manibusque attingere potui, indefeſſus collegi, domumque relata, maxima cum diligentia, Linnaeanis ſemper inſiſtendo

 cara-

caracteribus, curioſiſſime examinavi, ſuas ſingula in claſſes, ordines, genera, ſpeciesque ordinavi ultimas; et ne quid porro deſideraretur, minutatim deſcripſi.

Et meſſis quidem, ultra quam credi poſſit, exſtitit magna, ut mirarer ipſe, tanta, tam brevi tempore, praeſtari potuiſſe. Zoophytorum (quorum plurima vivis adumbrari feci coloribus, obſervationibus, quum opus erat, ad microſcopium factis) hic non meminero; alii haec deſtinata ſunt diſſertationi. Sed neque piſces, et quae a piſcibus abſtracta, ad amphibiorum Linnaeus (utinam non perperam!) relegavit claſſem, piſcium caetera ſimillima animalia, ſuis modo cum deſcriptionibus recenſebo: Et haec quoque peculiari (ſi vita fuerit) lucem in opere videbunt. Quae igitur nunc per otium vulgare imprimis conſtitui, paucula e plurimis ſunt, adriatico quae in mari, e vermium, inſectorumque collegi claſſibus.

Forſan et paucula haec inter non pauca erunt, aliis quae autoribus non nota duntaxat fuerunt dudum; verum ab iisdem etiam jam deſcripta dudum? Hos nuſpiam ſi citavi, ignoſcent benevoli; culpa mea certe non eſt, omnes, qui quamvis hiſtoriae naturalis ſpecialem pertractaverunt partem, haud poſſidere; dum praeprimis ne de nomine quidem eorum ulla ad me pervenit notitia; et qui, quos haud poſſideo, citarem dein? Herculeum, ſolo pene e Linnaeo naturalia animalis regni individua determinandi laborem, quisque, qui hocce in ſtudio deſudavit unquam, vel me tacente, novit optime; et mihi profecto facilior plerumque, minusque operoſa futura fuiſſet rerum harumce inquiſitio, praeſtantiſſimis autorum aevi noſtri operibus ſi quidem inſtructus, praemanſam jam, elimatamque hanc inveniſſem materiem. At num propterea, iisdem quod nulla mea carerem culpa, negligenda mihi prorſus? aut certe non deſcribenda erant terrarum noſtrarum naturalia? Feci itaque, quod a me fieri poſſe, imo et debere credidi; non tam de eo plurimum ſollicitus,

licitus,

licitus, multos ut citarem autores, quam verius, ut quae prae oculis manibusque habebam, quam exactiſſime deſcriberem; neque veritas deſcriptionum mearum jure carpi poſſet.

Diverſam diverſis in ſinubus deponere arenam amant exaeſtuantis continua per intervalla maris fluctus. Groſſior ea alibi, lapilloſi ad inſtar eſt ſabuli, in qua fruſtra heterogeneorum quid quaeras corporum, niſi avulſos forte fortuna ſuis a matricibus, fucos, innatasque fucis corallinas, tubularias, ſertulariasque. Subtiliſſimum contra alibi imitata pulverem, quem quovis ventus deferat, vita eamdem putes praeditam; adeo viventium plena eſt animalculorum, domos habitantium calcareas. Inſolenti attonitus ſpectaculo, animatas mirere quarzoſas atomos! Atomi nihilominus quarzoſae haud ſunt; ſed earumdem et magnitudine (verius dixiſſem parvitate) et colore ſimillimae conchulae, cochleaeque, quas inermi ab illis vix diſtinguas oculo, ut ut ſi microſcopio utare, et natura, et configuratione, ſtructuraque quam quae ab iis differant maxime. Poſſis, ſi ita lubeat, arenam hanc ſiliceo-conchaceam dicere; conſtantem ſcilicet mixtis inter ſe promiſcue quarzi granulis, teſtulisque molluſcorum vermiculorum exiliſſimis, vix niſi armato diſcernendis oculo; quae ſi qua demum cunque extrinſeca in lapidem duretur ex cauſa, arenarium exhibeat ſaxum, ad chalybem ſimul ſcintillans, et aqua effervefcens forti; utpote quod ab utraque unum participet terra, calcarea videlicet, ſiliceaque.

Sciendi cupidus, quaenam prae reliquis eandem animarent teſtacea? taedioſum laborem, lente armatus microſcopica, impiger ſuſcepi; tum quarzoſas a calcareis ſollicite ſegregans particellas, has inter, praeter minutiſſimas Tellinas, Bullas, Volutas, Turbines, Buccinaque, maxima praeprimis in copia, Nautilos inveni quosdam, aeque omnino raros, ac ſpecioſi caetera ſunt. Ex his erant:

 1. Nau-

1. *Nautilus Beccarii.*

Nautilus teſta lentiformi ſpirali polythalamia; apertura ovata ſiniſtra; anfractibus ſubquaternis extra ſe poſitis contiguis toruloſis; geniculis inſculptis.

Nautilus teſta ſpirali, apertura obovata, anfractibus contiguis toruloſis, geniculis inſculptis. *Linn.* Syſt. N. Tom. 1. P. 2. p. 1162. N. 276.

Cornu Hammonis vulgatiſſimum. *Planc.* Conch. p. 8. T. 1. fig. 1. *Ginan.* II. p. 20. T. 14. f. 111.

Hic omnium maxime communis. Diametro teſtae totius numquam lineam excedente; quartam lineae craſſa partem. Teſta exigua, microſcopica, laevis, candida, nitens, obtuſe lentiformis, utrinque convexa, ſpiralis, polythalamia. Anfractibus tribus, quatuorve, ſummum quinis, contiguis, extra ſe poſitis, toruloſis, ſuperne, ſeu dextra ex parte laevigatiſſimis impalpabilibus; ſubtus contra, ſive ſiniſtra ex parte nonnihil complanatis, undulato-rugoſis. Geniculis inter binos quosque torulos interceptis, inſculptis, id eſt, ſtria impreſſa transverſa retrorſum lunata exaratis; reſpondentibus interne totidem diaphragmatibus, ſeu parietibus transverſis concavo-convexis. Siphone laterali, ad marginem ſpirarum interiorem accubante, et ipſo quoque ſpirali, terete, tubuloſo, capillari, communi, concamerationes omnes et ſingulas ad centrum usque pervadente. Apertura ſiniſtra, nec dorſo anfractus ſecundi imminente, adeoque non nihil oblique partem teſtacei inferiorem reſpiciente, ovata, integerrima. Margine ſpirarum laterali exteriore, longitudinaliter teretiusculo, nec in aciem carinae compreſſo. Emortuo animali, quale id demum ſit, variat tum demum colore teſta, fitque ex nivea, alba, albida, flaveſcens, nigricans, laevoris et nitoris expers.

2. *Nau-*

2. *Nautilus umbilicatus.*

Nautilus teſta ſuborbiculata, plano-convexa, ſpirali, polythalamia; apertura ſemiovata; anfractibus binis, extra ſe poſitis, contiguis, toruloſis; geniculis inſculptis; centro ſupra umbilicato.

Nautilus teſta ſpirali, apertura compreſſo-lineari, anfractibus contiguis compreſſis, umbilico concavo. *Linn.* Syſt. N. Tom. 1. P. 2. p. 1163. N. 278.

Cornu Hammonis depreſſum, umbilico concavo. *Planc.* Conch. p. 95. T. 1. f. 10. lit. P. *Columm.* Phytob. App. N. 3. T. 38. f. E.

Minor antecedente. In hoc ei cum ſerpulae quibusdam ſpeciebus, parte ſua altera alieno corpori haerentibus, convenit, quod ſuperficies illius una (ſiniſtram, aut et inferiorem dicere ſoleo) plana omnino ſit, dum altera, priori oppoſita (nempe ſuperior, et reſpectu animalis incedentis dextra) fornicata ſupra illam convexitate attollitur. Et ſane ſerpulam, ni polythalamia, liberaque foret, dixeris. Teſtula exigua, vel papaveris ſemine minor, vere microſcopica, vaga, liberaque, nivei, ſi quae, candoris, glaberrima, nitens, opaca, ſuborbiculata, in ſpiram convoluta; anfractibus non niſi binis, ſemiteretibus, non equidem in ſe mutuo redeuntibus, alterove intra alterum conſepulto, ſed extra ſe poſitis, contiguis tamen, toruloſisque, et in concamerationes complures internas, hinc gibbas, illinc conplanatas, per diaphragmata alterna diſcretis. Geniculis extus utrinque inſculptis, impreſſorum inſtar ſulcorum, non magis in anticam, quam poſticam declinantium partem. Centro teſtulae in ſuperiore gibboſaque parte in umbilicum introlabente. Siphunculus capillari-tubuloſus, lateralis, interno anfractuum margini accubans, et ipſe in ſpiram convolutus, concamerationes, diaphragmataque permeans omnia. Aper-

turam

turam compreſſo - linearem Linnaeus dixerat, mihi tamen ſemiovata potius, hinc ſcilicet ſemicircularis, illinc contra recta, ſuis plane concamerationibus analoga videbatur. *Planei* quod figuram attinet, tam in proprio de Conchis minus cognitis opere, quam in Appendice ad Phytobaſanum *Columnae*, articulis binis extimis in brachium, ſemilitui ad inſtar, rectum abeuntibus, minus recte auctam invenio; in naturali etenim teſta, articulorum nullus, ultra exterioris anfractus altitudinem attollitur.

7. *Nautilus Sertum.*

Nautilus teſta ſertiformi-orbiculata ſpirali polythalamia; apertura cordato-recurva; anfractibus ſubternis teretiuſculis contiguis extra ſe poſitis ſubtoruloſis; exteriore interioribus altiore; geniculis elevatis, retrorſum incurvis; centro utrinque depreſſo-ſubumbilicato.

E minoribus; vix ordinariam Nautili criſpi magnitudinem attingens; tertiam non niſi lineae partem diametro dimetiens; altitudine, ſive verius craſſitudine paulo adhuc minore. Serti in orbem acti imaginem ſub microſcopio referens. Tubulum finge conicum elongatum acuminatiſſimum, de ſe inanem, ſpintris craſſitudine, extus niveum laevigatiſſimum nitentem, et annellis plurimis paululum elevatis, ſecundum omnem altitudinem ad modicam inter ſe diſtantiam cinctum, totidemque concavo-convexis diaphragmatibus internam ejusdem cavitatem parallele interſecare; ſiphunculo capillari laterum uni arcte adhaerente, et concamerationes omnes, aeque ac alterna diaphragmata percurrente. Circumage jam acicularem huncce conulum circa ejusdem apicem eo ex latere, cui proxime ſiphunculus accubat, in ſpiram arctiſſime ſibi circumvolutam, binis ad ternas revolutionibus; Nautilum, quem adumbrandum ſuſcepi, te videre credas, ſerti

ſerti ſat accomode formam referentem; cujus cum anfractus extimus interioribus craſſior ſit, altius quoque prae illis attollitur, centro utrinque introlabente, ac veluti depreſſo-umbilicato. Aperturae margo diaphragmatum introrſum concavorum directionem ſequitur, hinc et apertura ipſa retrorſum cordato-recurva eſt.

4. *Nautilus littoreus.*

Nautilus teſta orbiculato plano-compreſſa ſpirali polythalamia; apertura ſubcordata; anfractibus contiguis in ſe redeuntibus, intra extimum maximum conſepultis; geniculis inſculptis; centro utrinque umbilicato.

Minutus, et ipſe quoque microſcopicus, pulviſculo tabaci haud multo major, niveus, glaber, opacus, nitens. Teſta orbiculata, ſublentiformis, utrinque depreſſiuscula, marginem verſus obtuſe compreſſa, ſpiralis, polythalamia, orbibus in ſe redeuntibus, atque intra extimum, maximumque reconditis, caeterum contiguis, et toruloſis. Apertura ſubcordata, aut et compreſſo-ovata. Geniculis, inſtar ſtriarum retrorſum incurvarum, inſculptis, in anfractu extimo (reliquos conſepeliente) undecim ad duodecim, reſpondentibus totidem diaphragmatibus internis concavo-convexis. Siphunculo communi capillari tubuloſo, interno ſpirarum margini accubante, et parallelo, permeante concamerationes articulorum omnes, parietesque earumdem ſingulas ad intimum usque centrum. Latera anfractus extimi ſcrobiculo medio introlabente excavata, ſeu umbilicata.

5. *Nautilus navicularis.*

Nautilus teſta naviculari ſublentiformi ſpirali polythalamia; apertura ampla horizontali acute cordata; anfractibus contiguis, in ſe redeuntibus, intra exter-

num maximum conſepultis; geniculis elevatis, retrorſum laxe incurvis, glabris; centro utrinque depreſſo-ſubumbilicato; ſiphone margini externo carinato accubante.

Major tantillo, multoque ſimul congeneribus microſcopicis rarior ſpecies, quam ſemel duntaxat arenam intra maris invenerim cum unius diametro lineae, craſſitudine centrali dimidiam fere aequante. Pompilio ſtructura partium quam maxime ſimilis, demptis ſolum magnitudine, margine antice in carinam compreſſo, tum ſiphunculo ſubmarginali, geniculisque non nihil elevatis. Forma illi navicularis, eadem omnino, quae Nautilo illi Indiarum, Africaeque; circumſcriptio rotunda; convolutio ſpiralis; Anfractus extus unicus, quem intra reliqui occuluntur omnes revolutione ſpirali; isque antice, aperturam verſus, proſtans, margine in carinam compreſſo, nec, ut in Pompilio longitudine dorſali terete. Latera utrinque ſubhemiſphaerico-convexa, glabra, laevigata; centro tantiſper depreſſo-ſubumbilicato, ex quo utrinque ſtriae geniculorum elevatae per arcus retrorſum incurvos, laxo inter ſe ſitu, emanant. Apertura ampla, patens, nec antrorſum, nec retrorſum incurva; recta imo, et horizonti parallela, cordato-acuminata. Diaphragmata interna concavo-convexa. Sipho capillari-tubuloſus, ſpiralis, accubans (contra reliquorum ſimilium morem) externo anfractuum margini, non interno; neque ut in Pompilio, centra diaphragmatum concamerationumque permeans. Color teſtae niveus; ſtriae impreſſae nullae, ſed neque foveolae.

6. *Nautilus Scapha.*

Nautilus teſta naviculari, ſuborbiculari ſpirali polythalamia; apertura ampliſſima, horizontali, obtuſe cordata; anfractibus contiguis, in ſe redeuntibus, intra externum

ternum maximum conſepultis; geniculis inſculptis, retrorſum incurvis; centro utrinque umbilicato; ſiphone margini interno accubante.

Rariſſimus. Pompilio ut gutta guttae ſimilis, ſed microſcopicus; quartam lineae partem diametro dimetiens; centrorum diſtantia adhuc minore; pulviſculum credas amorphum, microſcopica niſi lente ſingulas diſtinctiſſime Nautili diſcernas partes. Refert teſtula naviculam ei Pompilii ad amuſſim ſimilem, ſuborbiculatam, ventricoſam, ſpiralem; anfractu extus unico, majuſculo, dorſo longitudinaliter terete; candoris nivei, eborisque et laevitate, et nitore; in quem poſtice anfractus reliqui, ſpirali cum revolutione ſubintrent, et abſorbeantur, quique antice in aperturam hiet ampliſſimam oblongo-ovatam, ſeu verius obtuſe, et rotundato-cordatam, horizonti parallelam, nuspiam ſtrangulatam, compreſſamve; centro utrinque pone aperturae baſin in umbilicum excavato; ex quo ſtriae geniculorum inſculptae capillares, confertim ſtipatae retrorſum (in averſam nempe a ſpirarum directione partem) circulares per arcus recurventur. Diaphragmata interna concavo-convexa plurima in concamerationes itidem plurimas omnem anfractuum ſpiram diſpertiunt, quas unus idemque communis ſipho capillari-tubuloſus, reſpective ſat amplus, et ipſe ſpiralis, marginique ſpirarum interno accubans pervadit. Nulla re adeo a Pompilio diverſus, quam colore, magnitudine, ſtriis anfractuum inſculptis, et ſiphone marginis interioris, nec centrali.

7. *Nautilus criſpus.*

Nautilus teſta lentiformi ſpirali polythalamia; apertura cordato-recurva, compreſſa; anfractibus contiguis, in ſe redeuntibus, intra externum maximum conſepultis; geniculis elevatis; ſtipatis, retrorſum incurvis, longitudinaliter crenulatis; centro utrinque elevato, glaberrimo, nitente.

Nautilus teſta ſpirali; apertura ſemicordata; anfractibus contiguis, geniculis crenatis. *Linn.* Syſt. N. I. P. 2. p. 1162. N. 275.

Cornu Hammonis orbiculatum, ſtriatum, umbilico prominente. *Planc.* Conch. p. 10. Tab. 1. fig. 2. *Ginan.* II. p. 20. lit. b. Tab. 14. fig. 112.

Minor hic utplurimum Nautilo Beccarii; diverſae tamen vel inter ſe magnitudinis, et coloris; magis minusve potiſſimum albus; vidi nihilominus flavos, aurantiacos, griſeos, cineraſcentes, nigricantes. Figura illi orbiculato-lentiformis, utrinque convexa, centro utrinque prominulo, glaberrimo, nitente, numquam ſtriato; nec niſi eo partis inferioris, ſeu ſiniſtrae interdum ſubcomplanato, atque tum foveolato-punctato. Margine externo in carinam ſubcompreſſo. In eo illi a Nautilo Beccarii disconvenit, quod anfractus ejusdem in ſe mutuo redeant, conſepelianturque ita, ut externe non niſi unicus videatur anfractus, qui reliquos interne omnes, ſuo velut in ventre, abſorbeat; nec juxta ſe poſiti, mutuo duntaxat ſibi accubent: Tum quod genicula ejusdem confertiſſime ſtipata, elevata tantisper ſint, atque in contrariam a revolutione ſpirae partem arcuata; quae in eo Beccarii impreſſa potius, ſeu inſculpta, in eamdem cum anfractibus incurvantur partem. Contrarium de utriusque intelligas velim articulis, ſive concamerationibus. Hae in N. criſpo geniculis depreſſiores, ſecundum omnem longitudinem transverſis lineolis inſculptae, crenulatam geniculis ipſis antice faciem conciliant; dum illae Nautili Beccarii geniculis altiores, convexae glaberrimaeque ſunt. Aperturam quod attinet, ſuis anfractui ſecundo, quem intra ſe recipit, lateribus, tamquam binis inſiſtit cruribus; figurae, ob carinatum teſtae marginem, acute cordatae, retrorſum incurvae. Sipho tereti-tubuloſus, capillaris, ſpiralis, lateri marginis interioris ſpirarum accubans, et parallelus.

8. *Nautilus Calcar.*

Nautilus teſta lentiformi ſpirali polythalamia; apertura coarctata, cordato-recurva; anfractibus contiguis in ſe redeuntibus, intra externum maximum alato-marginatum conſepultis; geniculis elevatis laxis retrorſum incurvis glaberrimis; centro utrinque elevato laevigato nitente.

Nautilus teſta ſpirali, apertura lineari, anfractibus contiguis, geniculis elevatis. *Linn.* Syſt. N. I. P. 2. p. 1162. N. 274.

Cornu Hammonis umbilico prominente, et plerumque marginatum. *Planc.* Conch. p. 12. Tab. 1. fig. 3. 12. 13.

Teſta lentiformis, ſat utrinque convexa, glabra, lactea, foveolarum, ſtriarumve expers, rotae ſuum circum axem verſatilis refert imaginem, paucis intercuſſatae radiis. Centrum utrinque elevatum laevigatum, nitens. Genicula elevata, una cum apertura cordato-lineari, retrorſum in partem a ſpiris contrariam arcuata, laxiſſime inter ſe mutuo ordinata, atque vel ideo numero pauca. Concamerationum articuli glabri, nec lineolis, ſtriis, crenulisve transverſis exarati. Anfractus extus viſibilis unicus, quem intra interiores reliqui conſepulti. Sipho capillari-tubuloſus, margini ſpirarum interiori parallele accubans. Margo anfractus externi compreſſo-carinatus, foliaceo-alatus; nec ſemper praeſens. Magnitudo Nautili criſpi, a quo facile diſtinguas, dum in criſpo genicula articulique plurimi, ſtipatiſſimi, ſtriis longitudinalibus, crenuliſque transverſis copioſiſſimis exarati; qui adeo non rotae, ſed ſolis inſtar, immenſam luminoſorum, perque undulas velut trementium radiorum ſuorum quaquaverſum diſpergat copiam. Fateor autem, non niſi invitum me aſſumpſiſſe ſpecificas inter notas Nautili calcaris margi-

 nem

nem illum compreſſo-alatum; ut qui haud ſemper adſit; quandoque non niſi anticam, alias poſticam teſtulae ſolummodo circumambiat partem.

9. *Nautilus Planci.*

Nautilus teſta orbiculata planiuſcula ſpirali polythalamia, apertura coarctata, cordato-recurva; anfractibus contiguis, in ſe redeuntibus, intra externum maximum, ſubalato-marginatum conſepultis; geniculis elevato-coſtatis, ipſo ex centro aequabili, nec elevato, radiantibus.

Cornu Hammonis depreſſum, umbilico carens, plerumque marginatum. *Planc.* Conch. p. 13. Tab. I. fig. 4.

Linnaeus cum antecedente, minus recte, conjunxit. Magnitudine ipſum fere N. Beccarii excedit. Revolutione ſpirali anfractuum intra extimum conſepultorum cum criſpo, et Calcare convenit quidem, ſed ab utroque figura recedit, non tam lentiformi-convexa, quam planiuſcula orbiculata. Adde defectum clivi centralis, laevigati, nitentis, quem priorum uterque poſſidet, et ad quem in neutro geniculorum radii elevati aſcendunt. Teſta noſtro orbiculata, planiuſcula, alba, ad niveum accedens; glabrities nitorque eboris; nullae externam per ſuperficiem foveolae, ſtriaeve impreſſae, aut inſculptae transverſim lineolae; articuli imo plano-depreſſi, et laeves; at genicula, coſtarum inſtar, ſat alte exſtantia, retrorſum in averſam a revolutione ſpirae partem lunata, numero ſat pauca, et hinc laxiſſimo inter ſe ſitu ordinata, ipſo utrinque centrali e puncto, in clivum haud aſſurgente, emanantia. Sipho, aperturaque, ut in antecedente, et margo quoque compreſſo-carinatus, interdum, nec ſemper, foliaceo-alatus.

10. *Nauti-*

10. *Nautilus Raphaniſtrum.*

Nautilus teſta recta, turrita, ex ovata baſi ſubcylindraceo-conica, toruloſa, polythalamia; ſtriis elevatis duodenis rectis longitudinalibus; articulis novem diaphanis, alternisque diaphragmatibus ſeptem opacis albis; ſiphone centrali recto capillari-tubuloſo; oſculo circulari baſeos haud exſtante.

Nautilus teſta recta ſubcylindrica, articulis toroſis, ſtriis elevatis duodenis, ſiphone centrali regulari. *Linn.* Syſt. N. I. P. 2. p. 1163. N. 282.

Teſta duas, aut ſeſquitertiam lineas longa, vixque dimidiam baſi craſſa, ut ut parva adhuc, e majoribus tamen congeneres inter; ex ovata, fornicataque, et laevigata baſi in turriculam ſubcylindraceo-conicam, nec admodum acuminatam attollitur. Ea ſtriis extus elevatis rectis, longitudinalibus percurribus duodenis, ſed quae infimo primum in geniculo exoriantur, nec per articulum baſeos egregie fornicatum (ut in ſui ſimilibus fieri aſſolet) defluant. Septem interne parietes, aut diaphragmata, duplo articulis craſſiora, et opaca, longitudinem turriculae omnem, novem in concamerationes, inanes, diaphanas, externeque tantillum impreſſas, diſpeſcunt; eleganti, ſi armatis inſpicias oculis, ſpectaculo; ut quae per alternas, ut in Nautilo Faſcia L. vices, albis hyalinisque annulata ſit cingulis; hoc a N. Faſcia diſcrimine, quod cum in eo nec genicula articulis, nec articuli geniculis, extrorſum proſtent magis, utrisque duas inter rectas apice coeuntes, exacte incluſis; in Raphaniſtro contra articuli geniculis tantillo humiliores, teſtulam alternis vicibus ſtrangulatam, vereque toruloſam faciant. Sipho centralis rectus capillari-tubuloſus omnem, quanta eſt, turriculae altitudinem a baſi ad apicem, inter alterna articulorum diaphragmatumque ſpatia viſibilis, permeat. Oſculo

in

in baſi articuli infimi circulari hiante, nec ultra teſtulam exſtante.

11. *Nautilus Raphanus.*

Nautilus teſta recta, turrita, ovato-oblonga, toruloſa, polythalamia; articulis globuloſis; ſtriis elevatis ſexdecim rectis longitudinalibus; ſiphone ſublaterali, obliquo, capillari-tubuloſo; oſculo hinc exſtante tubuloſo.

Nautilus teſta recta, attenuata, articulis toroſis, ſtriis elevatis ſedenis, ſiphone ſublaterali obliquo. *Linn.* Syſt. N. I. P. 2. p. 1164. N. 283.

Cornu Hammonis ſiliquam Raphaniſtri referens. *Planc.* Conch. p. 15. Tab. 1. fig. 6.

Unius, ſummum duarum linearum longitudine. Craſſitudine baſeos non niſi tertiae partis lineae. Teſta exigua, microſcopica nivea ſubdiaphana, demum alba, et opaca, recta turrita lineari-conica, ſeu ex ovata baſi, elongata toruloſa; conſtans utplurimum articulis globuloſis inanibus octo contiguis, alternantibus interne ſeptem cum diaphragmatibus. Superficiem ejus externam ſexdecim percurrunt ſtriae longitudinales elevatae capillares rectae, confertim ſtipatae. Globulorum (ſeu concamerationum) infimi tres, reliquis gibbi magis. Vidi tamen, in quo infimus oblongo-ovatus inſequente anguſtior aliquantum, et fere obliquus fuit. Sipho excentricus, laterum uni proximus oblique longitudinalis, una cum oſculo ultra torulum infimum exſtante, capillari-tubuloſus.

12. *Nautilus Granum.*

Nautilus teſta recta turrita ovato-oblonga toruloſa polythalamia; articulis globuloſis; ſtriis elevatis octonis

longitudinalibus rectis; ſiphone ſublaterali obliquo, oſculoque hinc exſtante capillari-tubulóſis.

Nautilus teſta recta ovato-oblonga, articulis toroſis, ſtriis elevatis octonis interruptis, ſiphone obliquo. *Linn.* Syſt. N.I. P.2. p.1164. N.284.

Et hic quoque microſcopicus, unius ſummum ſemialterius lineae longitudine, craſſitudine baſeos tertiam vix lineae partem adaequante. Teſtula plus minus, magnitudine et facie Nautili Raphani, nivea, primum ſubdiaphana, tum alba ſubopaca, denique ſordidius albida, et opaca; ſemper laevigata, et nitens, velut eburnea; ovato-oblonga, recta turrita toruloſa, conſtans concamerationibus ſeu articulis globuloſis octo, contiguis; per ſeptem interne genicula, id eſt diaphragmata interſtinctis; e quibus primi, fere tres, inſimi magis tumidi, majoresque utplurimum ſunt. Longitudinem ejus omnem ſtriae externe percurrunt elevatae octo, craſſiusculae rectae, laxe ordinatae, ob egregiam articulorum convexitatem velut interruptae; quo fit, ut microſcopio inſpecta, facie ſit Turbinis clatrati, cancellatam undique exhibens ſuperficiem. Sipho et illi excentricus capillari-tubuloſus, oblique concamerationes, diaphragmataque omnia pervadens, hinc ad latus alterum oſculo brevi, et ipſo capillari-tubuloſo exſtans. Differt itaque a N. Raphano, non tam, ut Linnaeus vult, ſola parvitate, et figura ovata, (contrarium enim interdum exemplis evincere poſſum) quam potius octonis duntaxat ſtriis elevatis, iisque craſſiusculis, et laxe inter ſe ordinatis, tum inſigni torulorum convexitate, unde illi deinceps et interrupta velut, et reticulato-cancellata facies, fere, ut dixi, in Turbine clatrato Linnaei.

13. *Nautilus obliquus.*

Nautilus teſta recto-ſubarcuata, turrita, oblongo-ſubovata, toruloſa, polythalamia, articulis ſubgloboſis ſex;

ſtriis elevatis capillaribus obliquis ſubduodenis; ſiphone laterali obliquo, oſculoque hinc exſtante capillari-tubuloſis.

Nautilus teſta recto-ſubarcuata, articulis obliquis ſtriatis. *Linn.* Syſt. Nat. I. P. 2. p. 1163. N. 281.

Dempto N. Radicula, quem interdum breviorem, graciliorem que inveni, hic reliquis ſui generis minor, ac pro parvitatis ſuae ratione obeſus magis; magisque utplurimum eſt craſſus. Nondum, qui integram longitudine aequaret lineam, vidi; craſſitudine tamen numquam non tertiae minimum lineae unius partis fuit. Oblongo-potius ovatum, quam ovato-oblongum dixeris, idque eo majori jure, quod dum in Nautilis Raphano, Raphaniſtro, Grano etc. toruli inde a baſi ad usque apicem, magis ſemper craſſitudine viſibili decreſcant, magisque; in Obliquo hocce decrementum globuloſarum concamerationum vixdum diſcerni valeat proximas quasque inter. Apice quoque ipſo, multo reſpective, quam congeneres, obtuſus magis eſt. Sed quod praeprimis ſpecifice ab aliis diverſum reddit, id eſt, quod turritus quamvis et ipſe eſt, turrita tamen ejus teſta, poſtquam per torulos ternos, quaternosve infimos recta excurrerat, quartum quintumque inter, e ſenis, articulum in latus tantillum alterum a recta deflectens curvetur; adeo, ut jam nec recta ſolum, nec ſolum arcuata, multoque minus apice ſpiralis, ſed quam veriſſime recto-ſubarcuata dici debeat; introlabentibus ſcilicet praeciſe punctis lateris brevioris inter binos hoſce articulos ſitis. Atque id quidem tanto aſſeritur verius, quod in ſemidiaphanis, ut ut albis, ejusdem individuis, diaphragma inter binas haſce concamerationes intermedium multo ex compreſſione anguſtatum magis, magisque idcirco et attenuatum, verſus latus hoc, quam in oppoſito id ſit, armatus microſcopio oculus clare diſcernat. E pluribus, quae collegi, ſpeciei hujus individuis nullum non erat, quod

plures

plures, paucioresve, quam ſenos, quinque cum diaphragmatibus alternantes habuiſſet articulos. Genicula internis extus reſpondentia parietibus inſculpta in ſingulis erant. Sipho pariter in omnibus lateralis, et non niſi oblique longitudinem turriculae omnem percurrens, ea quidem conſtanter lege, ut in averſo ſemper teſtae latere, oſculum ſiphunculi capillari-tubuloſum ultra baſin tantillum prominens, eſſet, in oppoſito contra ſubarcuatus ejusdem apex; nec in eodem uterque umquam, quam obliquam teſtae, ſiphonisque directionem et elevatae quoque ſtriae denae, duodenaeve (ſatis enim diſtincte ſupputare nequivi) tenebant ſemper, a baſi videlicet longioris-verſus apicem abbreviati magis lateris.

14. *Nautilus Faſcia.*

Nautilus teſta recta, turrita, tereti-ſubulata, laevi, polythalamia; ſtriis elevatis denis rectis longitudinalibus; articulis annularibus excoloribus pellucidis; geniculis cylindraceis albis opacis; ſiphone centrali recto, oſculoque exſtante brevi capillari-tubuloſis.

Nautilus teſta recta, articulis ſtriatis, geniculis laevibus elevatis. *Linn.* Syſt. N. I. P. 2. p. 1164. N. 286.

Sic ego quidem elegantiſſimam, nec minus raram, Nautili iſtius ſpeciem, inſtituto iteratis vicibus diligentiſſimo examine, deſcribendam cenſui. Longitudo teſtacei iſtius trium fere linearum; craſſitudo baſeos non niſi tertiae partis lineae unius fuerat. Forſan tamen et aliter ſe habent iſta alias? Teſtula tereti-ſubulata recta turrita laevis alba; ſtriis elevatis, alternisque ſulcis impreſſis denis, duodenisve rectis ſubtiliſſimis omnem longitudinem ejus percurrentibus. Articulis ſeu concamerationibus annularibus inanibus excoloribus pellucidis mundiſſimae inſtar cryſtalli, indirectum ſibi jacentibus decem, alternantibus cum geniculis ſive diaphragmatibus internis cylindraceis, duplo quam articuli ſint, altioribus,

 albis,

albis, et opacis novem. Siphone centrali recto capillari-tubuloſo, continuato per concamerationes pariter, et parietes internos omnes et ſingulos, atque ultra baſin oſculo brevi, et ipſo capillari-tubuloſo exſtante. Peculiare itaque Nautilus hic id habet: quod in eo nec articuli ultra genicula, nec haec ultra illos externa in teſtae ſuperficie promineant: quod articuli duplo geniculis ſint breviores ſive tenuiores: quod tam genicula, quam articuli annulares referant cylindrulos, nec torulos globuloſos aut elliptoides ovatos: quod articuli ſint excolores hyalini pellucidi, aquae ſive vitri ad inſtar, dum genicula contra opaca ſunt, et lactei coloris: quod tam elevatae, quam alternantes cum iis impreſſae ſtriae ſubtiliſſimae absque interruptione a baſi ad apicem excurrant, licet per genicula duntaxat, nec per articulos, exaratae videantur eſſe; id quod pelluciditas horum, et illorum opacitas facit. Microſcopio teſtulam a baſi apicem verſus inſpice, omnem utrisque, quam longa eſt, ſuperficiem illius recta percurri videbis. Idem microſcopium exacte itidem detegit ſua ex opacitate ſiphonem, per pellucidos articulos continuatum. Faſciam Nautilum hunc dixit Linnaeus; forſan melius: pellucidum annulis albis faſciatum?

15. *Nautilus Acicula.*

Nautilus teſta recta turrita aciculari laevigatiſſima toruloſa polythalamia; articulis diaphanis inſculptis; geniculis duplo altioribus opacis; ſiphone centrali recto, osculoque exſtante brevi, capillari-tubuloſis.

Unam, vixque ſemialteram longus lineam; craſſitudine baſeos ne quartam quidem ejuſdem adaequat partem. Acicularis omnino, in apicem faſtigiatur reſpective elongatum acuminatum gracillimum, tantum non capillarem. Medius caetera inter Nautilos Faſciam et Radiculam; ab hoc laevo-

laevorem torulorum, ſtriarumque defectum; ab illo formam turriculae non tam tereti-ſubulatam, quam toruloſo-acicularem acuminatiſſimam participans. Torulos globuloſos opaciores, cum annellis diaphanis inſculptis alternantes numero in diverſis variare obſervavi a ſeptem ad novem; hos utpote inanes pro concamerationibus, ſeu articulis, illos contra, quamquam globuloſo-convexos, pro diaphragmatibus, et reſpective geniculis, habeo. Liris porcatos ſive rectis, ſive obliquis, nec hos, nec illos unquam, laevigatiſſimam imo (ut dixi) utrorumque ſuperficiem externam ſemper vidi. Siphunculus, qui capillari-tubuloſo brevique ultra teſtulae baſin exſtat oſculo, et ipſe capillari-tubuloſus, rectusque, et centralis eſt.

16. *Nautilus Radicula.*

Nautilus teſta recta oblonga toruloſa ſubaequabili polythalamia; articulis ſubquaternis ovatis laevigatiſſimis diaphanis; geniculis ſubinſculptis opacis; ſiphone centrali recto, oſculoque brevi exſtante, capillari-tubuloſis.

Nautilus teſta recta, oblongo-ovata, articulis toroſis glabris. *Linn.* Syſt. N. I. P. 2. p. 1164. N. 285.

Cornu Hammonis ſiliquam radiculae referens. *Planc.* Conch. cap. 6. p. 4. Tab. 1. fig. 5.

Teſta perquam ſaepe exigua, microſcopica tenerrima nivea laevigatiſſima nitens diaphana oblonga teres ſubcylindracea toruloſa; conſtans articulis jam tribus duntaxat, jam quaternis, interdum et quinis, ovatis, ſubovatisve inaequalibus, totidemque interne concamerationibus per alterna diaphragmata ſeu parietes parallelos non nihil impreſſos ſegregatis; et ſiphone centrali recto, parietes ſingulos permeante, capillari-tubuloſo, oſculo brevi conſimili, ultra teſtae baſin tantiſper eminente. Striae itaque nullae, ſulcive

in externa ejus ſuperficie. Articuli jam oblongo-ovati, jam ovati praeciſe, aut et ſubgloboſi (qui intermedii ſunt) longitudine craſſitudineque non iisdem in ſingulis. Longitudo teſtulae unius duarumve linearum; craſſitudo tertiae lineae partis.

17. *Argonauta Argo.*

Argonauta teſta cymbiformi ſpirali monothalamia, truncato-carinata; rugis utrinque transverſis divergentibus plicata; apertura ampliſſima ſubcordato-truncata, retrorſum arcuata; carinae margine duplicato-dentato.

Argonauta carina ſubdentata. *Linn.* Syſt. N. I. P. 2. p. 1161. N. 1. *Born.* Muſ. Caeſ. p. 140. fig. p. 139.

Nautilus. *Aldrov.* Teſt. p. 260. *Bonan.* Muſ. Kirch. p. 436. N. 13. Tab. 2. fig. 13. *Ginan.* II. p. 5. lit. b. Tab. 3. fig. 29. *Knorr.* T. 1. p. 2. Tab. 2. fig. 1.

Frequens in adriatico mari, magnitudine (pro aetatis diverſitate) diverſiſſima. Vereor, ut a ſepia re ipſa aedificetur; cum ſepia quamvis forte fortuna per maris jactari fluctus ſit viſus. Sed nolim hanc tantis, totque teſtibus, movere litem. Etiam Cancer Bernhardus, Diogenes etc. Murices Buccinaque inhabitant, quorum teſtas minime aedificarint. Teſta Argonautae eſt calcarea, nivea, laevigata, transparens, papyraceae teneritudinis, rigida, fragiliſſima, nec flecti patiens. Cymbae (reverſa) affectat formam, in ſpiram inflexae; Anfractu conſtat unico monothalamia, ad centrum ſpirae contracto, ſubintrante, humiliore; aperturam contra verſus, magis magisque ampliato, altiusque tantisper aſſurgente: Is marginem verſus externum in carinam, at non niſi truncatam, ſubcomprimitur; extusque plicis utrinque transverſis, ſubundato-divergentibus, rugarum ad inſtar,

hinc

hinc teretibus, illinc canaliculatis, exaratur, quae ubi ad carinae truncatae laterales pervenere margines, in breves, dentes dicam? an aculeos exſtant obtuſos? eamque duplicato-dentatam, ſive duplici aculeorum ſerie muricatam reddunt. Plicarum aliae integrae, aliae rurſum, eaeque alternae, non niſi dimidiatae, ut fere in Agaricorum lamellis uſu venit, ſunt; ex quo, minus crediderim recte, rugas nonnulli bifurcatas dixere, cum reapſe bifurcatae non ſint, ſed integrae dimidiatis mixtae. Apertura ampliſſima, oblonga, ſubcordata, retrorſum convexo-arcuata, apice ipſo truncata, baſi vero dehiſcens, et verſus ſpirae centrum ſemicirculo oblique exciſa, incraſſato margine. Color teſtae totius niveus immaculatus, dempta duntaxat duplice aculeorum carinae ſerie, quae ex albo primum dilute ſubluteſcit, tum ex luteolo fuſceſcit, ac ex fuſco denique nigreſcit.

18. *Hirudo adriatica.*

Hirudo teres, corpore foveolis transverſe ſeriatis pertuſo.

Piſcibus marinis frequens adhaerens. Corpus molluſcum, nudum, laeve, frigidum, ſuperne fuſcum, cucurbitae lagenariae, aut alembici inſtar obovato-caudatum, poſtice nonnihil incurvum, artubus undiquaque deſtitutum. Et tale quidem animalculum iteratis ſaepe vicibus, marinis adhaerere piſcibus, vidi, ſuperiore parte depreſſo-convexiuſculum, inferiore, qua haerebat, planum. Stylo non absque difficultate aliqua in aquem detruſum marinam, illico ore, anoque (utrinque extremis) in orbiculum molluſcum albidum diaphanumque dilatatis promovere ſe coepit illud; depacto videlicet primum eo ani in phialam, eo vero oris, duplo, quam oppoſitus eſt, ampliore, locum, quo eumdem figeret, quaerens. Ut porro ſe promovit magis, magis itidem, quod antea contractum, vix quinque lineas longum fuerat,

fuerat, figurae obovato-caudatae, et incurvae, ad pollicis usque intervallum elongatum fuit; figurae deinceps factum tereti-fuſiformis, ac denique tereti-filiformis. Apparuere tum in graciliore jam, magisque fuſco-rubente, et ſubdiaphano, quam longum erat, corpore, plurima in transverſas ſeries ordinata tubercula albida, diaphanaque, ut annellis tuberculoſis ſtipatiſſime cingulatum dicere potueris. Credidi Hirudinem Linnaei muricatam corpore terete verrucoſo, ſeu Baſteri Hirudinem piſcium prae oculis me habere, obſtupuique ad gigantaeam hujus reſpectu meae plusquam pygmaeae! At poſtea, quam hacce in corporis diductione aquam intra emortuum denique fuerat animalculum, patuit tum enimvero decantata aqua, et cadavere vermis in chartam bibulam excepto, oculorum illuſio. Disparuere ſiquidem albida illa tubercula, ſeu verrucae, et color quoque rediit priſtinus, fuſcus et opacus; tuberculorum vero loco, nil niſi foveolas exiguas transverſe ſeriatas microſcopium detegebat, in quibus intra fluidum guttulae aquae pellucidae nidulantes, verrucas illas mentiebantur.

19. *Aſcidia papilloſa.*

Aſcidia oblongo-ſubovata, gibba; corpore adipoſo-coriaceo, ſaturate coccineo, tuberculis ſcabriuſculis undique muricato; aperturis oris anique ſetulis aurantiacis compreſſo-ſubulatis obſitis.

Aſcidia ſcabra tuberculis coccineis. *Linn.* Syſt. N. I. P. 2. p. 1087. N. 1.

Tethyum coriaceum. *Bohadſch.* p. 130. T. 10. fig. 1.

Saxis ſubmarinis Tergeſti al Molo adhaeret. Eſt animali huic molluſco corpus adipoſo-coriaceum, craſſum, ſaturate coccineum, ſaxis, baſi fixum plana, inaequales in lobos, ſive ramulos (pedes alii vocant) diſtenta, erectum, oblongo-ovale,

ovale, teretiuſculum, medio, ſurſum verſus, non nihil gibbum, forma fere urcei, ſive amphorae, qua aquae ſoteriae ſelteranae quaquaverſum deferuntur. Undique illud extus papillis noduloſis concoloribus ſtipatiſſime adſperſum, muricatumque eſt, per exſiccationem tactui ſcabriuſculis; apice collo brevi, terete, obtuſo, aſſurgente inſtructum, cujus in ſummitate os, ſive apertura hiat circularis, ex contactu animalis in crucem quadrifidam primum, tum ſtellam rugoſo multiradiatam contracta; ora limbi aperturae cirrulis, ſetisve adipoſo-paleaceis, compreſſo-ſubulatis aurantiaco-flaventibus ſtipate obſita. Corpori huic ad latus alterum dimidio circiter ab apice pollice ramulus brevis, et ipſe tereti-cylindraceus, collo ſummitatis ad amuſſim ſimilis excreſcit, in cujus itidem vertice anus, ſive apertura altera dehiſcit, illi colli quoad omnia ſimillima. Viſcerum loco, tubus cylindraceus inanis ab apertura oris baſin verſus deſcendens, indeque flexus, ani verſus aperturam adſcendens, tubi inſtar communicantis, hiat, ad aquam, (alimentave?) in-rurſumque egurgitandam. Animal hoc, intra aquam molle, ubi contingitur, illico egurgitata ſiphonis inſtar aqua, ſeſe contrahit, firmumque cartilaginis ad inſtar rigeſcit, ut vixdum acicula pertundi poſſit.

20. *Aſcidia adipoſa.*

Aſcidia oblongo-ovalis, gibba; corpore adipoſo-coriaceo, hyalino-cineraſcente, ſubdiaphano, laevi; aperturis oris, anique nudis, ex contractione rugoſo-ſtriatis.

Et haec quoque in ſaxis, lapidibusque ſubmarinis Tergeſti al Molo, tum et ad Aquas gradatas, fixa reperitur, priori ratione figurae ſimillima, attamen major aliquantum, craſſiorque. Subſtantia corporis adipoſo-coriacea, gelatinae inſtar plus minus diaphana, craſſa, hyalino-cineraſcens, lae-

viſſima, punctulis aquoſe ſubrubentibus, atomorum inſtar, maculata, ex contractione animalis, egurgitata aqua, rigeſcens, firma, ſubcartilaginea, tactui duriuſcula. Situs corporis, ut in priore, erectus, fixus; baſi videlicet plana, inaequales in lacinias hinc inde procurrente, ſaxis haerente. Apertura duplex, circularis, nuda, nullis ciliata ſetulis, ex contractione rugoſo-ſtriata; oris altera, eaque terminalis in ſummitate colli brevis cylindracei; altera ani in ramulo laterali, itidem brevi et cylindraceo, ad diſtantiam pollicis circiter, infra collum terminale, procurrente. Per eas, quam ingurgitavit aquam, alimentave, egurgitat, cum volet, iterum, adminiculo alio nullo, quam tubi cylindracei inanis, inter utramque communicantis, contractione. Differt itaque ab Aſcidia gelatinoſa Linnaei colore, et quod prae colore pluris eſt, ſtructura corporis, quae ab ea Tethyi alterius Bohadſchii diverſiſſima eſt.

21. *Aſcidia inteſtinalis.*

Aſcidia faſciculata, cylindracea, laevis, albida, membranacea diaphana.

Aſcidia laevis alba membranacea. *Linn.* Syſt. N. I. P. 2. p. 1087. N. 3.

Tethyum faſciculatum. *Bohadſch.* p. 132. T. 10. fig. 4.

Piſcatores, qui glomum animalium horum integrum, baſi cohaerentium, et alieno, in ſocietate velut, corpori haerentium, attulere, Uva di Mare, vocarunt. Quo jure? neſcio; nam et Fucus Acinaria L. Uva di Mare, illis dicitur. Uvae interim tamen non admodum male aequiparatum hoc denique fuiſſe videtur Vermis molluſci iſtius aggregatum. Siquidem, ut ad me allati erant, plures ſcilicet faſciculatim aggregati, figurae ſinguli mammillaris, hemiſphaeroidicae, aut ſubovatae ſaltem, in magnitudine circiter

ter avellanae, baſi ſua uniti, loboque tendineo-adipoſo, compreſſo, criſtaeformi, omnes ſimul ſaxo haerentes, et fixi, apice contra papillis binis hiantibus, haud admodum ab invicem ſejunctis, ac tantisper eminentibus (terminali altera, altera laterali, et humiliore) inſtructi; botri pluribus ex uvis in unum glomum collectis, referebant non peſſime imaginem. In id modo haud inquiram, novane foetuum propago, hoc fuerint in ſtatu? an contra, botriformem, e mari educti, ob corporis duntaxat contractionem, aſſumpſerint formam? Erant profecto reliquos inter, quamquam pauci, aliquot tamen, qui aut debita jam in aetate, aut qua demum cunque de cauſa, ad pollices duos, treſve elongati, ſubcylindraceam, ex ovata baſi, habebant formam, aperturis ad ſummitatem binis gracilioribus cylindraceis fiſtuloſis praediti, terminali altera, altera laterali, humiliore tantisper ſita loco; atque hi quidem non jam uvis, ſed pulmonibus, pecorumve inteſtinis, quam qui, fuere ſimillimi, ut dubium ſupereſſe poſſet nullum, inteſtinales Linnaei Aſcidias eſſe. Eſt Molluſco huic ſubſtantia gelatinoſo-membranacea, laevis, flexilis, elaſtica, frigida, plus minus (intra aquam ſaltem) albida, diaphana, duplice, ut videtur, veſtita cute, arcte appreſſis; exteriore altera, eaque mucoſa magis, et, ſive per ſenium, aut mortem ſaltem animalis? decedente demum, olivaceo-ſubflaveſcente, tandemque deliqueſcendo fuſceſcente, quam ſtellulis ſemel exiguis ſuperficialibus linearibus aurato-flaventibus, dentatarum inſtar rotularum, undique obſitam vidi; interiore altera, eaque membranacea albido-hyalina diaphana. Figura illi lineari-ſubcylindracea, aperturis apicem verſus hians binis, breviſſimis, annulari-cylindraceis; terminali altera, oris loco; altera, ani ad inſtar, laterali, et humiliore; utraque oſculi labio nudo, integro, ex contractione plicis convergentibus ſtriato-rugoſo; communicantibus inter ſe tubo cylindraceo fiſtuloſo recurvo, quo aquam, alimentaque introſumpta, ad lubitum, aut certe

 ſtylo

ſtylo irritatum rejicit animal. Quaerit Linnaeus, anne et iſthuc revocandum ſit Aſcidium Baſteri, Op. ſubſ. I. p. 84. T. 10. fig. 5.? Vereor nihilominus, ut animal, quale quidem praeſtantiſſimus propoſuit autor, ſimplex ampullaceum, hamulis extus undique (quibus ſe velut pro lubitu cataractis affigere poſſit ligneis) obſitum, cum noſtro laevi, ſubcylindraceo, ſemper baſi fixo, ſemperque in plurium, ſui ſimilium, ſocietate convivente, ſeu verius ex eadem cum pluribus baſi fixa enato, idem omnino ſit, aut eſſe poſſit. Et mirum ſane ſit, ſi exactiſſimus ut eſt Baſterus, ne verbo ſocietatis illius meminiſſet, qua plura identidem Aſcidiae hujus noſtrae, velut in faſciculum individua aut concreſcere, aut baſi ſaltem colligari ſolent, ſi quidem de Molluſco hoc noſtro locutus fuiſſet, is, qui aperte animal Linnaeana inter ſuum haud inquit reperiri.

22. *Actinia equina.*

Actinia ſemiovalis, laevis, rugarum, ſtriarumque expers, coccinea.

Actinia ſemiovalis, laeviuſcula. *Linn.* Syſt. N. I. P. 2. p. 1088. N. 1.

Urtica rubra Rondeletii. *Aldrov.* Zooph. p. 568. *Planc.* Conch. p. 43. Jonſt. Exſang. p. 72. T. 18.

Tergeſti ſaxis ſubmarinis copioſe fixa inhaerens. Piſcatoribus Cazzo roſſo audit. Specioſiſſimum hoc adriatici maris animal, dum intra aquam marinam ſeſe explicuit, ſaturatiſſime coccineo partibus omnibus ſuperbit colore immaculatum. Simillimum caetera Actiniae ſenili Linnaei, ab eadem tamen defectu cumprimis transverſarum trunci annularium rugarum, tum et colore, longe quam elegantiſſimo, diverſum. Plene dum ſe ſe dilatabilis illius explicuit apex, protenſis quaquaverſum ſuis plurium concentricarum ſerierum

rum tentaculis tereti ſubulatis, Echinum ſaxatilem craſſo inſiſtentem ſtipiti, ruberrimoque tinctum colore, te videre putes. Non tamen cruſtaceum, molluſcum imo vero eſt illi corpus ſubcoriaceo-adipoſum, laeve, frigidum, nullis undiquaque ſive longitudinalibus, ſive transverſis notatum ſtriis, rugis, ſulcis, lineisve; unicolor undique, ſubcylindraceo-ovatum, aut ſi ita vis, oblongo-ſemiovale, erectum, baſi ſeſſile, et fixum, apice fornicatum, terminatumque praeputio elevato hemiſphaeroidico; in verticis centro apertura (oris? an ani? aut utriusque ſimul?) pertuſo; atque multiplice tentaculorum corona ſub apice redimitum. Marina ex aqua, ſi cum ſaxo, cui fixum haeret, eduxeris, aut ſtylo, ſi immerſum aquae, irritaveris, illico introlabente praeputio, reductisque, qua? neſcio, vi, adipoſis tentaculis, et contracta dilatabilis apicis apertura, coccineum ſemiovatae figurae tuber majuſculum, apice rima umbilicali oblongo-lunata, undato-contracta notatum aſpicias; quadruplo ex contractione factum minus, informe, impervium. Poſterol, ſive Cul de cheval a popularibus paſſim dici, meminere autores. Eorum tamen nullus exactam dedit figuram. Commoda ea eſt, quam germanicus Linnaei interpres Statius Müller Syſt. N. T. 6. de Verm. T. 3. f. 1. propoſuit, quae quamvis non niſi Actiniam ſenilem L. exprimat, et huic tamen etiam exprimendae deſervire poteſt, dempto modo colore, et transverſis corporis, ſub tentaculorum corona, annularibus rugis, ſulcisve; in aequabiliſſimo Actiniae equinae trunco numquam conſpiciendis.

23. *Actinia ſenilis.*

Actinia ſubcylindraceo-ovata, rugis transverſis annularibus cingulata, olivaceo-virens.

Actinia ſubcylindracea, transverſe rugoſa. *Linn.* Syſt. N. I. P. 2. p. 1088. N. 2. *Stat. Müller.* Tom. 6. Verm. Tab. 3. fig. 1.

Urtica eſculenta. *Planc.* Conch. p. 110. etc. Tab. 60. fig. E. et F.

Urtica major.? *Jonſt.* Exſang. p. 72. Tab. 18.

Actinia rugis orbicularibus, proboſcidibus multis tenuibus. *Baſter.* Subſ. I. p. 121. Tab. 13. f. 2.

Piſcatores Tergeſtini Cazzo verde vocant, nec eſculentum aſſerunt. Magnae inſtar Caſtaneae, rupibus, aliisque ſubmarinis lapidibus haeret baſi ſua fixum corpus molluſcum ſubcoriaceo-adipoſum, olivaceo-viride, laeve, frigidum, rugis transverſis annularibus cingulatum, apice umbilico corrugato ſemipervium. Explicat ſe illud marinam intra aquam diducto primum lente terminali umbilico in oris? anive? aperturam circularem, protenſisque quaquaverſum, pigerrimo cum motu, quae ſub dilatabili illo apice recondita velut erant, tentaculis adipoſis tereti-ſubulatis, aquoſe olivaceo-viridibus, ſemidiaphanisque, ſphaeroidico-echinatum deinceps format corpus; centro verticis inter tentacula illa ad ſex lineas alta, in praeputium hemiſphaerico-convexum, umbilicato-pervium elevato. Aſſurgit tum et inferum quoque corpus in cylindrum arrectum ad pollicis uſque altitudinem, denarii caeſarei diametro, annulis, aut ſi vis, rugis transverſis, alterne viridi-olivaceis, albidisque omnem per altitudinem variegatum; diduciturque una et diſcus apicis intra tentacula medius, in pileum velut obtuſiſſime convexiuſculum olivacei coloris immaculatum; praeputii centro hiante pervio per oras introrſum ciliato-denticulato; ambitu pilei illius praeputialis, quinque circiter tentaculorum ſeriebus concentricis coronato. Baſteri figura non bona.

24. *Actinia felina.*

Actinia cylindrica, longitudinalibus picta lineis bruneis, alterneque albidis; tentaculis exſertis baſi viridibus, apicem verſus caeruleis.

Acti-

Actinia cylindrica ſtriata laevis, glande muricata. *Linn.* Syſt. N. I. P. 2. p. 1088. N. 3. *Stat. Müller.* Tom. 6. Verm. Tab. 3. fig. 2. Vertex, absque trunco: non vero et fig. 3.

Actinia rugis longitudinalibus, proboſcidibus longis craſſis. *Baſter.* Subſ. I. p. 120. T. 13. fig. 1.

Urtica vario colore, praeprimis caeruleo, eſculenta. *Planc.* Conch. p. 110. etc. Tab. 60. fig. B. C. D.

Tergeſtinis Matrona di Mare, qui eſculentam eſſe negant; quamvis id genus piſcatorum quaſque paſſim ejuſcemodi maris faeces, aqua tantillum elutas plenis plerumque obligurire ſoleat buccis. Animal longe quam elegantiſſimum, et reliqua ſui generis inter, forſan maximum. Molluſcum et ipſum eſt, ſubſtantiae ſubcoriaceo-adipoſae. Saxis haeret marinis, baſi fixum plana. Figura illi cylindrica, apice non tam truncata, quam fornicato-potius convexa, praeputio ſcilicet elevato, obtuſe convexiuſculo, laevi; centro verticis pertuſo-umbilicato; peripheria umbilici, ſive aperturae oris, interne tuberculato-crenulata. Altitudo trunci ſeu corporis cylindracei fere tripollicaris: craſſitudo contra pollicis ſemialterius. Corpus ipſum extus laeve, lineis pictum longitudinalibus (ſtrias Linnaeus, Baſter rugas dixit) alternatim bruneis, albidisque plurimis parallelis, rectis. Praeputio apicis elevato, pulvinato, ſaturatiſſime, et tantum non nigro-bruneo, tomentoſum quamquam non ſit, holoſerici tamen inſtar nitente, immaculato, lineis circulisve nullis exarato. Ejus intimo in diſco, apertura, ut dixi, oris orbicularis, hians, ambitu ex tuberculis exiliſſimis crenulata, rugis in rimam lunatam contrahenda; dum extimam, ex adverſo, ejuſdem praeputii peripheriam quadruplex, aut et quintuplex tentaculorum ſeries contigua et concentrica coronat plus quam bipollicarium, tereti-ſubulatorum, adipoſorum, laevium, baſin verſus elegantiſſime holoſericeo-viridium,

dium, apicem autem verſus caeruleo-violaceorum; tentaculis intimae ſeriei ſtriga interne longitudinali ſerpentino-undata percurſis jam albida, jam ex albido-laete vireſcente, aut et (ad lubitum velut animalis) caeruleſcente. Peculiare Actiniae huic eſt, tentacula non habere, ut congeneres, retractilia. Senilis, equina, judaicaque Linnaei, limacum inſtar, tentacula ſua exſerunt jam, aut retrahunt alias, atque intra dilatabilem apicis ſeu praeputii limbum recondunt. Felinae contra exſerta ſemper ſunt, nunc in orbem patentia, arrectaque; nunc neglectim iterum, pro lubitu velut, ſuperinjecta praeputio, aperturaeque oris. Pluribus continuo diebus marinam intra aquam, eamdem aſſervavi; numquam ea, vel ſtylo irritata, more reliquarum, ſe contraxit, retractis tentaculis; frequentius tamen per diem, propria velut voluntate, ſeu inſtinctu, ex una ſe in alteram convertit partem, toto ſemiprocumbens corpore, dum ſe ſe arrigat pro lubitu iterum, explicata quaquaverſum tentaculorum corona.

25. *Actinia Judaica.*

Actinia cylindrica, laevis, truncata; praeputio plano; aperturae oris margine cirruloſo.

Actinia cylindrica, laevis, truncata; praeputio interne undulato, laevi. *Linn.* Syſt. N. I. P. 2. p. 1088. N. 4.

Colum marinum. *Planc.* Conch. p. 43. Tab. 4. f. 6. lit. G.

Frequens molluſcum hoc animal ſubſtantiae ſubcoriaceo-adipoſae, non rupibus modo ſubmarinis, ſed et lapidibus paſſim quibusque, conchisque, baſi ſua plana fixum adhaeret; jam denarii duntaxat, alias vicenarii caeſarei diametro, et amplitudine; figurae, extra aquam, hemiſphaericae, aut

aut et ſemiovatae, inſtar Lycoperdi Boviſtae, convexae, coloris ſordide albidi, quandoque et aquoſe ſubbruneſcentis; laeve, apice umbilicatum; umbilico nunc orbiculari, alias oblongo-ovali; peripheria umbilici fuſco-nigricante. Piſcatores Piſchia (Piſcia) cano vocant. Atque tale quidem hoc animal eſt, dum extra aquam in minus ſe contraxit volumen. Marinam intra aquam repoſitum, poſt breve quietis ſpatium, explicat ſe lente apertura primum oris; attollitur animal oblongo-ſemiovata figura; tum et ſenſim diffundere ſe praeputium occipit per lobatas velut plicas, in diſcum planum, circularem, horizontalem, terminantem, qui in cylindrum aſſurexit, corporis truncum; ultra eumdem tantiſper in orbem effuſum, centro diſci medio (ore) magis diducto, orbiculari, pervio. Habes tum corpus molluſcum, cylindraceum, normale, cujus craſſitudo eadem fere, cum ejuſdem altitudine, pollicaris ſcilicet, plano terminatum orbiculari, horizontali, itidem molluſco, pluſquam pollicaris diametri, in diſci centro apertura oris circulari pertuſo, et hiante; cirrulis adipoſis exiguis ambitum aperturae internum marginantibus. Eo ex orbiculari praeputii diſco, verſus peripheriam ejus extimam, propullulare dein timidiuſcule videbis in quinque aut ſex concentricis contiguisque ſeriebus adipoſa animalis tentacula, numero non tot, quin plura tereti-ſubulata, lineas alta quatuor, aut quinque, coloris aquoſiſſime bruneſcentis, et ſemidiaphana, quae pro lubitu, cum volet, jam normaliter erigit, jam in horizontem reclinat procumbentia, aut irritatum ſtylo retrahendo recondit, corrugato ſimul praeputii orbe. Color in evoluto plene Molluſco maximam partem aquoſiſſime bruneſcens, albido mixtus, et ſubdiaphanus. Truncus ſcilicet cylindracei corporis baſi lineis longitudinalibus bruneis, alterneque albidis uſque ad mediam altitudinem pictus; Faſcia latiuſcula medii corporis albida immaculata, ſupremus ſub terminali praeputii orbe annulus, itidem latiuſculus, aquoſe bruneſcens, maculis ro-

tundis albidis variegatus. Orbiculare contra praeputii planum, totum quidem bruneſcens, attamen in areolas ſimul iſoſcelico-trigonas, in aperturam oris convergentes, alternatimque ſaturatiores, dilutioresque diſcriminatum. Et huic quoque proprium eſt, ex una in alteram ſe frequentius per diem convertere partem, eſcae forſan quaerendi cauſa? An non germanicus Linnaei interpres Statius Müller figuras Actiniae judaicae, et effoetae permutavit? Pro judaica proponere videtur, quam ex Baſtero Linnaeus pro effoeta citat.

26. *Laplyſia depilans.*

Laplyſia elongato-ovalis repens; dorſo gibbo clypeato, membranis lateralibus retroflexis ſemitecto; tentaculis quatuor ſubauriformibus; ano dorſali.

Laplyſia depilans. *Linn.* Syſt. N. I. Part. 2. p. 1082. N. 1. Stat. Müller. T. 6. Verm. p. 66. Tab. 2. f. 1.

Lernaea. *Bohadſch.* p. 3. Tab. 1. 2. 3.

Lepus marinus Rondeletii primum genus. *Geſner.* p. 115. et 116.

Lepores marini duo poſteriores. *Aldrov.* Moll. p. 83.

Minime rara Tergeſti, diciturque piſcatoribus Tagoja di Mare. Animal liberum nudum, molluſcum, ſubcoriaceo-adipoſum, rependo ſe promovens, ſubſtantia carnis, quantum quantum eſt, limacina, dempto ſolo clypeo dorſi concavo-convexo, elliptoidico-fornicato, craſſo, duriuſculo, ſubcorneo. Extra aquam in formam ovi majoris ſe ſe contrahens, atque tum nigrum, maculis rotundis albis varium. Explicat ſe ſe marinam intra aquam; fitque tum oblongum, ſubtus planum, elongato-ovale, ex albo ſulphuris inſtar flavens, promovens ſe, more limacum, rependo; ſupra contra convexiuſculum; antice quidem in collum velut tereti-

ſemi-

ſemicylindraceum productum, capite (ſi verum caput eſt?) craſſiuſculo, obtuſiſſimo; poſtice vero, dorſo in tophum velut gibbum, fornicatum, oblongo-ſubovalem exaltato; clypeo fornicis concavo-convexo, duriuſculo, ſubcorneo, pulmones etc. tegente, membranula adipoſa tenui obvelato. Lateribus corporis utrinque (inde a colli lateribus ad usque dorſi finem) membrana coriaceo-adipoſa, craſſa, oblongo-ſemiovali, pone anum confluente, inque dorſum utrinque retroflexa, plus minus nigricante, maculisque rotundis albis varia, alatis. Os anticum terminale planum orbiculare flavum, in plano ſectionis verticalis, conſtitutum, ut caput ad os normaliter truncatum dicas. Tentaculorum paria duo in capitis, ſive colli anterioris dorſo ſita, laxe inter ſe, velut in quadrum, ordinata, craſſiuſcula, adipoſa, ad lubitum retractilia, cinereo-nigricantia; anticis binis cylindraceis, truncatis; poſticis cylindraceo-conicis, ſubauriformibus. Anus in dorſi apice conico-tubuloſus, niger, apertura hians, normaliter erectus, exſtans, membrana reflexa pro lubitu obvelandus. Latus dorſi dextrum, pone collum, foramine hiat majuſculo orbiculato, rugis in centrum convergentibus velut ſtellato-radiatum, membrana laterali, in dorſum retroflexa obtegendum. Oculos detegere nullos potui. Et quis oculos dicat, quae Bohadſchius bina vidit punctula atra, candido circumſcripta circello?

27. *Holothuria tremula.*

Holothuria tentaculis vicenis cylindraceis, apice papilloſo-ramuloſis; corpore terete, verrucis obſito, hinc conicis, illinc cylindraceis tubuloſis.

Holothuria tentaculis faſciculatis; corpore papillis, hinc ſubconicis, illinc cylindricis. *Linn.* Syſt. N. I. P. 2. p. 1090. N. 3. *Stat. Müller.* T. 6. Verm. p. 96. N. 3. Tab. 4. fig. 3. 4.

Hydra. *Bohadſch.* p. 79. Tab. 6. et 7. fig. 1. 2. 3. 4. 5.

Mentula marina. *Planc.* Conch. Appen. 2. p. 108. *Jonſt.* p. 77. Tab. 20. 1.

Holothurii prima ſpecies Rondeletii. *Aldrov.* Zooph. p. 580. *Jonſt.* Exſ. p. 75. Tab. 19.

Sub nomine Vecchio marino, tum et Cazzo di mare, a piſcatoribus Tergeſtinis iterato accepi, frequens enim in Adriatico datur mari. Ut vero reliqua molluſca, ſic et hoc, alia ſe extra aquam, aut jam emortua, aliaque iterum, marinam intra aquam, et viva, praeſentant forma. Vix idem credas animal; adeo a ſe diverſum ipſo, ſi diſtentum, aut contractum intueare. Veteres, hodiernis minus, naturae ſcrutatores ſyſtematici, mancas demortuorum, ut jam egregius Bohadſchius adnotavit, plerumque propoſuere Molluſcorum figuras, retentis obſcoeniſſimis vilis piſcatorum plebis nominibus; hinc tam ſubleſtus, ut plurimum, difficilisque in divinando labor, quodnam deſcripſerint animal? ordinandaque rite ſynonymia. Iteratis ad me vicibus allatum fuerat corpus ſpithamam fere longum, ſuper uno craſſitudinis pollice, liberum, apodum, teretiuſculum, figurae conoideo-ſubfuſiformis, extremitatibus ſcilicet (magis ea Ani) non nihil attenuatis, utraque tamen obtuſa, hemiſphaeroidico-convexa, et impervia. Atro id, quantum quantum fuit, colore tinctum erat undique, et mucoſum; laeve quidem, attamen et verruculis noduloſis omni ex parte obſitum; ſubſtantiae cartilagineo-adipoſae, adeo, ut hoc in contractionis ſtatu, manibus contrectatum, aut compreſſum, praeter extimam epidermidem adipoſo-mucoſam, rigidum, firmum, tactuique duriſſimum ſe exhiberet, ſcindi vel acutiſſimo cultro perdifficile. Quid eo jam facerem? ad quodnam molluſcorum relegarem genus? Cazzo di mare repetebant piſcatores identidem, et manibus longiuſcule tractatum, pru-

prurigine inquiebant eaſdem affectare, atque urticarum more uſtulando morſicare. In pelvim denique aquae plenam marinae injeci; diducere tum illud ſe lente ad duplum primaevae longitudinis, duarum ſcilicet ſpithamarum, ſpatium; teres undique, et aequabiliter cylindraceum de ſe, papillis tamen ſimul undique muricatum verrucoſis exſtantibus adipoſis; ſuperne quidem ex ovata baſi, conico-acuminatis, magnitudine inaequalibus; inferne contra tereti-cylindraceis, gracilioribus, et aequalibus; utriſque ad excernendum pituitoſum humorem capillari-tubuloſis, et pro lubitu retractilibus. Color ea in diductione corporis papillarumque in dorſo quidem plus minus nigricans; ſubtus vero albido, ſive aquoſe lilaceus. Extrema corporis, iſthinc os, anus illinc (mutuo oppoſita) occupant. Hic in praeputium paraboloidicum retractile laeve nudum productus, apertura hiat circulari integerrima ſummo in apice. Illud antica in extremitate, et quidem in plano orbiculari, ad corpus verticali, aquoſe incarnato, laevi, tentaculorum corona redimito, centrale, apertura itidem hians circulari integerrima; cui interne ſertum reſpondet cartilagineum dentium quinque biſidorum in orbem cohaerentium; cirrulique adipoſi plurimi, tereti-ſubulati. Tentacula (in extima plani orbicularis antici peripheria) viginti, cylindracea, aequalia, quatuor aut quinque lineas alta, adipoſa, retractilia, alba, apice reapſe truncata, papillis tamen protuberantibus, et in orbem ordinatis, ſtellatim radiantia, et, ſi ita velis, ramuloſa. Extimam, ut dixi, ea peripheriam plani orbicularis (cujus centrum os occupat) ſerie ſimplice, et ſtipata coronant, normali ad illud ſitu, adjectasque ſingula ſuam ad baſin externam valvulas habent trigonas adipoſas horizontaliter, collaris ad inſtar, patentes, quibus ad ſe mutuo conniventibus, dum irritatum ſtylo animal, tentacula, planumque oris orbiculare contrahit, omnis apertura oris antice clauditur. Jucundum, dum vita perſtat, ſpectare eſt, aquam ut identi-

 dem

dam ludens, totoque contremiſcens corpore, poſticam ani per aperturam, velut e ſiphone, egurgitando exaltet ſalientis ad inſtar fontis, idque cumprimis tum, cum prehenſum forte manu, omne, momento temporis, corrugando contrahit corpus! at id paradoxum etiam, aliquot, ubi fata vocant, horis antea, ut pia in prolem mater, ſuis eamdem incluſam adhuc ovulis, cum viſceribus omnem, morituro brevi e corpore eliberet, Neptuno Patri eamdem concreditura deinceps, ut ne ſibi commoriatur una omnis! Internam animalis ut inveſtigarem ſtructuram, diſcidi, at quanta cum difficultate! tenaciſſimum, duriſſimumque, quam longum erat, emortui corpus. Caro illi coriaceo-cartilaginea, digitum fere craſſa, rigida, dura, ſcindi difficillima, ſuturis interne transverſis annularibus, cartilagineis, parumper exſtantibus, et ſtipate parallelis plurimis per omnem cincta longitudinem; laminisque coriaceis longitudinalibus et ipſis quoque albis, ac tricarinatis ab ore ad anum percurſa quinque; carinarum in ſingulis intermedia, duplo, quam marginales ſint, altiore.

28. *Nereis cirroſa.*

Nereis ſanguinea, tentaculis oris capillaribus longiſſimis; capite cirris utrinque decem; thoracis latere ſiniſtro faſciculis binis ſtipitatis ramoſiſſimis.

Nereis tentaculis oris longiſſimis; capite utrinque cirris decem. *Linn.* Syſt. N. I. P. 2. p. 1085. N. 3.

Amphitrite cirrata. *Fabr.* Faun. Groenl. p. 285. N. 269.

Tergeſti perquam copioſa ad maris littora, fucis, ſpongiis, Alcyoniis radicatis adhaerens, perinde ac conchis, cancrisque aculeatis limoſo obrutis luto, intra quod ſe, libera caeterum, libens recondit, ſubcylindraceum ſibi ex eo formans indumentum, ex quo ſcopam tentaculorum oris, inſtar

ſtar comae cincinnatae emittit, aquam colore rubro inquinans, eſcae praedandae ergo. Eſt ea tota ſanguineo-rubra; intra aquam repoſita, illico una cum tentaculis capillaribus longiſſimis ſuccum ex ore emittens concolorem, quo eam eodem tingat colore. Corpus illi lineare, teretiuſculum, caudam verſus nonnihil attenuatum, pollicis unius, etiam cum tempore ſemialterius longitudine, diametro craſſitudinis unius fere lineae; ex annulis velut, ſive ſuturis compoſitum nonaginta plus minus; numerus certe annularium harum ſuturarum in diverſis individuis, majoribus, aut minoribus, a ſexaginta aliquot ad nonaginta uſque variat. Caeterum molluſcum nudum, laeve, lumbriciforme. Suturae corporis ſingulae, ad marginem utriusque lateris, partis inferioris, duos juxta ſe poſitos contiguos, brevesque (interiore minore) pedunculos habent ovatos, molluſcos, corpori concolores, apice ſinguli in ſetulam adipoſo-capillaceam, breviſſimam, albidam, abeuntes; ut ſeries quavis ex parte duplex longitudinalis minimorum pedunculorum verius, quam tentaculorum lateralium exinde oriatur. Caput anticum terminale nihil admodum a reliquis corporis articulis differens, niſi quod tantiſper craſſius ſit, ore hiat antice circulari, margine utriusque lateris cirris coronatum adipoſo-ſetaceis albidis utrinque decem inaequalibus; inferioribus ſenſim brevioribus, rectis tamen. Centrali porro ex ore ſcopa integra plurimorum tentaculorum longiſſimorum (corpore tamen ipſo breviorum) ſimplicium adipoſo-capillarium aquoſe incarnatorum emergit ad lubitum; quae intra aquam ex conſtanti motu in glomum capillorum criſporum ſubrotundum cincinnatur, ad praedam utique facilius irretiendam? ſuccum evomendo identidem rubrum, quo aqua inquinetur. Segmentum annulare corporis a capite proximum (quod thoracis inſtar conſiderari poteſt) a latere ſiniſtro faſciculos binos contiguos breviter ſtipitatos, fruticuli ad inſtar plumoſos, ramoſiſſimos, rubros, et in

aqua

aqua erectos, emittit. De his nihil Linnaeus! adeſſe tamen ſemper vidi.

29. *Nereis adriatica.*

Nereis obſcure rubra depreſſiuſcula, capite exſerto ſubtricipite; cirrulis binis breviſſimis terminalibus, dupliceque ocellorum pari poſtice notato; thorace utrinque triſeto.

Frequentiſſima Tergeſti ad maris littora in limoſis canalium, tum et inter Ulvam Linzam; a piſcatorum prolibus magna in copia collecta pro eſca minorum piſcium hamo capiendorum. Scolopendram primum (et quidem marinam Linnaei) credidi, donec diligentius examinatam, Nereidem vidi eſſe. Has inter, quamquam Pelagicae Linnaei, Baſterique proxima, notis tamen peculiaribus, conſtantibusque, manifeſto ab omnibus diverſa. Corpus lineare, depreſſoſubcylindraceum, molluſcum, nudum, initio, quantum eſt totum, ſaturate obſcure rubrum, tum morte interveniente expalleſcens, linea duntaxat dorſi longitudinali rubra, dum totum denique intra aquam albeſcat ſubdiaphanum; diverſae (pro aetatis credo diverſitate) longitudinis, nec ſemper articulorum annularium eodem numero; jam etenim bipollicare futurarum non niſi ſexaginta aliquot; jam quadri- aut et quinquepollicare etiam, cum centum plus minus ſegmentis. Caput parvum, exſertum, reliquo anguſtius corpore, oblongoſubovatum, apice obtuſiuſculum, terminatum fere ſuperne tentaculis ſive cirrulis binis albis adipoſis breviſſimis, inter duo non tam tuberculorum, quam verius circellorum nigrorum, aut ſi malis ocellorum, paria; ſtipatum utrinque ad latus corpuſculo capiti-an pediformi, ſimplice, craſſiuſculo, ovato-acuminato, rubro; qua de cauſa et illud ſubtriceps, ſive ex tribus velut compoſitum dixi; perinde ac illud Nereidis pelagicae Baſteri, Subſ. 2. p. 133. T. 6. f. 6. Thorax ſeu

ſeu ſutura a capite prima, cirris utrinque lateralibus tribus, albis, adipoſo-ſetaceis, longitudine inaequalibus; intimo reliquis altiore longitudine duarum ſuturarum; tum intermedio, aliquantum breviore; extimo breviſſimo. Annularia abdominis ſegmenta in diverſis individuis, ut dixi, a ſexaginta, ad centum usque, microſcopio in emortuo intra aquam cadavere diſtincte numeranda; quot demum cunque, ſingula omnino inferiore in parte, verſus lateralem utrinque marginem, tubercula, ſive corpuſcula habent duo molluſca, rubra, ovata, pediformia, juxta ſe, in eadem transverſa linea, poſita, apice ſingula in ſetulam brevem albidam abeuntia, microſcopio clare videndam; ut adeo duae utrinque in infera corporis parte longitudinales ſeries tuberculorum pediformium (aut ſi contendas tentaculorum lateralium) exinde enaſcantur. Anus ori oppoſitus altera in extremitate terminalis, reliquo tantillum anguſtior corpore, obtuſus; ſetis, ſive cirris, ut Pelagica Baſteri, nullis.

30. *Nereis pellucida.*

Nereis alba, diaphana, tentaculis capitis cirroſis trium parium.

Frequentem Tergeſti cum Nereide cirroſa inveni intra Alcyonium gelatinoſum, tum et inter Mytilos bidentes, byſſo ſua littoralibus ſaxis haerentes, limoſo maris ſedimento delectantem, quod tranat, corporique etiam, ſacci ad inſtar, circumvolvit. Corpus teretiuſculum, ſubtus (intra aquam) longitudinaliter ſulco exciſum, aequabile, ano duntaxat graciliore, ſeu non nihil attenuato; duos, alias et tres pollices longum, craſſitudine ſubtilioris chordae muſicae; laeve, nudum, molluſcum, album, diaphanum, interne longitudinaliter flaveſcens, ex transparentia viſcerum articulato-concatenatorum flavicantium? jam longius, jam et brevius; hinc et ſegmentis corporis annularibus (per microſcopium intra aquam di-

diſtincte numerandis) modo centum et viginti, alias et centum quinquaginta. Caput vixdum a reliquis corporis articulis diverſum, magis tantiſper oblongum, triplice cirrorum, ſeu tentaculorum, adipoſo-ſetaceorum, alborum, brevium pari inſtructum; uno in ejuſdem apice, tum utrinque ad latus altero conſimili. Series longitudinalis duplex ad quodvis latus corporis in infera ejus parte tentaculorum pediformium molluſcorum alborum, in ſetam ſimplicem longiuſculam abeuntium; ut adeo et in hac quoque Nereide quodvis corporis ſegmentum inferne ad lateralem marginem duos ejuſmodi pedunculos juxta ſe in eadem transverſa linea poſitos habeat. Nereidis noctilucae Linnaei (quam tum propter parvitatem, tum praeprimis ob defectum debitorum microſcopiorum non deſcripſi) hic duntaxat memini; jucundum ea mihi iteratis ſaepius vicibus dedit ſpectaculum. Nam cum cancros forte quospiam brachyuros aculeis dorſo horridos, limoſoque maris ſedimento liberaliter undique obrutos, quibus confervae fucique increverant varii, retuliſſem domum; accidit veſpere quodam, cum jam tenebris coelum omne obſcuratum eſſet, cubile ut ſubintrarem meum; imprudens hic in eum veni locum, quo eos repoſueram cancros; cumque neſcio quid? agens, eos adhucdum vivos commoviſſem, flatuque oris in eorumdem ex fucis madentem, lutoſamque incurriſſem ſuperficiem, diſcurrentes quaquaverſum illico, velut in juniperetis ex Lampyride noctiluca, fulgurantes flammularum vidi ſcintillas, momento temporis evaneſcentes, ut nempe ex motu, animalcula, limo, madentibusque haerentia fucis, conquievere. Atque id quidem phoſphoreſcentiae Nereidum phaenomenon, quoties dein de induſtria ore, flabellove concitatum in easdem in tenebris impuliſſem aërem, eodem ſemper cum ſucceſſu, expertus ſum.

31. *Aphrodita ſquamata.*

Aphrodita lineari-ovalis, nuda, fuſco-nigricans, ſquamis ſupra duodecim parium cataphracta; pedibus utrinque viginti quatuor.

Aphrodita oblonga, dorſo ſquamato, ſquamis viginti quatuor. *Linn.* Syſt. N. I. P. 2. p. 1084. N. 3. *Baſter.* Subſ. II. p. 66. Tab. 6. fig. 5.

Aphrodita punctata oblonga, pedibus non cirratis, ſquamis punctatis, medium dorſi non occupantibus. *Fabric.* Faun. Groenl. p. 311. Nr. 291.

Ad maris littus, utrumque inter Lazaretum (Netto, e Sporco) in ſedimento limoſo adhaerente ſubmarinis plantis, Cancris, Spongiis, etc. Corpus molluſcum, oblongum, lineari-ovale, ex fuſco nigricans (etiam nigrum), octo lineas longum; unam, aut ſemialteram latum; conſtans ſegmentis, praeter caput, duodecim; ſupra depreſſo-convexiuſculum, ſquamisque homogeneis, et concoloribus obovatis nudis planis exiliſſime tuberculatis viginti quatuor, duas in ſeries conjugatim ordinatis cataphractum; ſubtus nudum planiuſculum, ſtriis transverſe impreſſis tot, quot corporis ſegmenta. Caput parvum, reliquo corpore tantillo anguſtius, rotundatum, tentaculis ſenis exiguis inaequalibus retractilibus inſtructum; ore terminali ſubtus in tubulum exiguum cylindraceum evolvendo. Anus capiti oppoſitus ſub ſquamis poſticis, ſetulis aliquot porrectis obſitus. Pedes, aut papillae verius pediformes, marginales ad corporis latera; utrinque duplo ſquamis plures; nempe viginti quatuor quovis in latere, una longitudinali in ſerie ordinati, (binis identidem unaquavis ſub ſquama) ſinguli breves, molluſci, craſſi, concolores; et ipſi ternis minoribus tuberculis, ſive papillis, contiguis terminati; e quorum quovis faſciculus ſetularum trium aurato-flaventium eminet, naturae reipſa adipoſae, et

pro lubitu nonnihil prolongandarum, rigeſcentium nihilominus, et dum deſiccatae ſunt, etiam ſericeo-nitentium. Fateor vero, me ſetoſum illum pilum, qui (ut Baſterus inquit) ſingulis ſub ſquamis e corpore exſurgit inferiore, et apice nodulo terminatur oblongo, haud obſervaſſe; diſtinctam ea de cauſa judicarem ſpeciem; attamen nec Fabricius eumdem obſervavit! hac enim ſolum de cauſa, pedes non cirratos dixit.

32. *Meduſa fimbriata.*

Meduſa hemiſphaerico-convexa, margine fimbria ſinuato-criſpa, circumſcripta; tentaculis oris inferi octonis, elongato-obovatis, planiuſculis, et ipſis margine apicem verſus criſpato-fimbriatis.

Pulmo marinus Matthioli. *Aldrov.* Zooph. p. 575. *Jonſton.* Exſang. p. 74. Tab. 19. *Tabern.* p. 1524.

Potta marina. *Aldrov.* p. 576. *Jonſton.* Exſang. p. 74. Tab. 19.

Quovis fere aeſtus maris cum fluxu Tergeſtum adfertur, ubi poſt refluxum, retro Lazareto Sporco in littore deponitur. Piſcatores Potta marina vocant, aſſeruntque: corpori in mari ſe lavantium, ſeſe affigere, illud arcte ſtringendo, pruriginemque in eo uſtulantem cauſare. Credat, qui volet. Ob tentaculorum, ſive verius brachiorum numerum, credideram primum Pelagicam Linnaei, Löfflingiique eſſe poſſe Meduſam. Sed laconiciſſima utriusque deſcriptio! nec citatae, ab alterutro ſaltem, Aldrovandi et Jonſtoni ut ut non optimae figurae, quas non poterant non vidiſſe! et quod caput rei eſt, margo, ut Löfflingius ait, laciniatus, incurvus tentaculis octo notatus! Ergo tentacula non oris centralis! ſed marginis! Saepe in extremo portus Tergeſtini propugnaculo (Molo vocant prope Lazareto netto) conſtitutus, undu-

undulatis maris fluctibus, dum aeſtu ferveret id maxime, in littus Molluſcum hoc propelli ſpectabam, nec eo pulchrius quidquam, dum partibus integrum omnibus, ſanumque adhucdum perſtitit, quod refluentibus dein undis, ſabuloſo in littore ſtratum, et ſemideliqueſcens, vixdum cognoviſſem amplius, ranarum ſpermati, aut pituitae, glacieive pellucidae ſimilius. Amplum ei corpus, gelatinoſo-molluſcum, craſſum, laeve, frigidum, tremulum, diaphanum, grave, figurae obtuſe hemiſphaerioidicae, ſupra convexum, ſubtus concavum, pilei hemiſphaerioidici ad inſtar; coloris ſuperne vitulini, ſeu flavo-argillacei, ſubtus albi, ſive verius excoloris, glaciei pellucidae ſimilis. Diametro amplitudinis unam, aut et ſemialteram ſpithamam adaequante. Margo peripherialis (dum vivit et viget animal) digitum craſſus, exſtans fimbriae ad inſtar molluſco-gelatinoſae, ſinuato-criſpus, ſaturateque caeruleus, perit, aut deliqueſcit tamen, brevi, praeprimis morte in littore intercedente, ut ne veſtigium quidem ejus appareat amplius; idem de colore vitulino partis ſuperae convexae intellige, qui ita demum evaneſcit, ut in demortuis, quos piſcatores adferunt, fruſtra inquiratur, in albidum, ſeu excolorem potius, et pellucidum mutatus. Os in parte infera concava centrale, circumſcriptione orbiculatum, cinctum margine exſtante homogeneo, ſeu gelatinoſo-molluſco, concolore, tentaculis (brachia potius dixeris) octonis coronato, elongato-obovatis, ex terete planiuſculis, craſſis, ejusdem ſubſtantiae gelatinoſo-molluſcae, apicem verſus lateſcentibus et extrorſum longitudinaliter ſemiplicatis, margineque utrinque fimbria ſinuato-criſpa caerulea, demum deliqueſcente, cincinnatis. Apex tentaculorum ipſe plus minus acutiuſculus, neutiquam tamen adeo productus, ut in figuris Aldrovandi et Jonſtoni exhibetur. Eorumdem longitudo fere ſpithamalis, diametro transverſa pilei minor; ſolentque baſin verſus pinnulis homogeneis ſubovatis appendiculata eſſe. Color illis albo-hyalinus, diaphanus

phanus, dempta fimbria marginali caerulea. Inferiore pilei in parte, extimum ejus inter marginem, et tentaculatam oris orbitam, quatuor occurrunt introlabentia foramina orbiculata majuſcula in crucem, ut dicimus, ordinata, ſeu angulum inter ſe mutuo intercipientia rectum. Haec genuina animalis integri, valentisque deſcriptio; ſabulo minus profundi littoris, alternisque fluentis, et refluentis aequoris undis quaſſatum, cribratumque, non niſi mutilatum, et mire deformatum, dum colliqueſcat penitus, in littore poſt refluxum reperias; brachiis ſaepe, fimbria vero ſemper, deſtitutum.

33. *Sepia octopodia.*

Sepia corpore ecaudato, exoſſe, tentaculis octo; marginis, brachiorumque experte.

Sepia corpore ecaudato, tentaculis pedunculatis nullis. *Linn.* Syſt. N. T. 1. P. 2. p. 1095. N. 1. *Fabric.* Faun. Groenl. p. 360. N. 351. *Haſſelqu.* It. palaeſt. p. 482. N. 131.

Polypus. *Aldrov.* Moll. p. 14. 15. 16. et 43. *Jonſton.* Exſang. p. 5. T. 1. f. 1. *Geſner.* p. 110. b.

Frequens in cibum undique aſſumitur, partim ut Loligo, in butyro cocta, et inſperſa dein citrorum ſucco; aut et in juſculo, vulgo Brodetto. Piſcatoribus Polipo, Polpo, etiam Folpo promiſcue audit. Corpus molluſcum, ſubcoriaceum, nudum, laeve, ſubtus partibus omnibus tentaculisque album, immaculatum; ſupra contra atomis primum confertiſſimis rufis inſperſum, tandem velut confluentibus, ut denique totum dilutius, aut ſaturatius fuſcum evadat. Conſtat id ſacco ovato obtuſiſſimo, nulla marginali laterum membrana alato; antice capiti, ſive collo ſuperne unito, et continuo, ſubtus contra libero, hiante, et aperto, margine apertura ſemicirculari integerrimo; intus atramento anthracino repleto.

Collo

Collo (ut dixi, ſuperne cum ſacco cohaerente) brevi, cylindraceo, apice non nihil in caput intumeſcente, et incraſſato, ad cujus latus utrinque oculus magnus orbicularis convexus, pupilla atra, intra iridem albam. Eidem collo inferne intra ſaccum tubulus cylindraceus inanis et utrinque hians, adhaeret, tunicis involutus, ad humorem excernendum? Caput apice redimitum corona coriaceo-membranacea dilatabili octogono-infundibuliformi, tentaculis octo elongato-ſubulatis coriaceo-adipoſis, in ſtellam erecto-patentem radiante; in cujus fundo os (capitis verticem terminans) demerſum, maxillis, aut, ſi malis, dentibus binis, oſſeis, validis, ad ſe mutuo conniventibus, atris, ſubtriquetro aduncis, inaequalibus terminatur. Dentes hi extrorſum teretiuſculi, introrſum vero longitudinaliter canaliculati, baſi utrinque lobulo brevi rotundato appendiculati (et hinc quaſi trilobi) ſunt. Tentacula parti ſacci ſuperiori reſpondentia, ſuperne, ut dorſum, fuſca; inferne, ut reliqua utrinque, alba; ſingula vero ſubtus cotyledonibus longitudinaliter adſperſa ſubcartilagineis campanulatis ſeſſilibus, ſimplice, dupliceve ordine ſeriatis. Saccus corporis hac in ſpecie oſſis expers.

34. *Sepia officinalis.*

Sepia corpore ecaudato, margine dorſi laterali longitudinaliter membranula anguſta alato; oſſe dorſum tendente fungoſo-pumicoſo cymbiformi; tentaculis decem, binis longioribus.

Sepia corpore ecaudato, marginato; tentaculis duobus. *Linn.* Syſt. N. Tom. I. P. 2. p. 1095. N. 2.

Sepia. *Matthiol.* p. 174. *Geſner.* p. 111. a. b. *Aldrov.* Moll. p. 49. 50. *Jonſton.* Exſang. p. 9. Tab. 1. fig. 2. 3.

Eſtur magna copia ubivis, absque noxa. Vocant eam piſcatores: Sepia. Magnitudine, et atramenti copia antecedentem

dentem octopodiam excedit. Corpus et huic molluſcum, ſubcoriaceum, nudum, laeve, ſubtus album immaculatum, ſupra ſaturatius nonnihil fuſcum, diverſo tamen in diverſis individuis modo. Punctulis primum frequentiſſimis, confertiſſimisque fuſcis; dum magis magisque omnem per ſuperam ſuperficiem confluant. Mas plerumque elegantius coloratus. Specimen ejuſmodi habui, in quo dorſum ſacci abdominalis ex fuſco plus minus nigricabat, diſco omni tenerrime albido-punctato, lateribus vero marginalibus, partim maculis orbiculatis albis inordinate ſparſis, partim faſciolis oblique transverſis, riviformi-undatis, ſimplicibus, bifurcatisque, itidem albis, ſpecioſe pictis. Saccus, ſive burſa ſepiae officinalis ampliata, oblongo-ſemiovalis, pharethraeformis, ſubcoriacea, nuda, laevis, apice obtuſiuſcula (in mare minus) baſi nuſpiam collo, capitive cohaerens, imo libere hians, et aperta undique, inferne ſemicirculariter exciſa; ſuperne oſſe ſubcutaneo dorſali tenſa; antrorſum obtuſe procurrens, indeque utrinque latera verſus, arcu concavo defluens; lateribus marginalibus a baſi ad apicem uſque, membranula coriacea anguſta, in ſacci tamen apice non confluente (fiſſa ibidem, ſeu emarginata eſt) alatis. Subcutaneum dorſi os, quo ſacci corium ſuperne ſubtenditur, oblongo-ovale, cymbiforme, fungoſo-pumicoſum, utrinque convexum, album, ſupra cartilagineo-membranaceum, laeve, nitens, durum; ſubtus elaſticum, opacum, tactui ſcabrum, et aſperum, antice depreſſum; margine peripheriae membranula cartilaginea exſtante alato. Collum breve craſſiuſculum cylindraceum, parietibus internis ſacci, circa mediam ejus altitudinem ligamentis, ſeu membranis tendineis affixum; terminatur capite ſibi continuo, incraſſato, ſubſphaeroidico; oculum utrinque ad latus habente magnum, hemiſphaeroidico-convexum; pupilla atra, iride ex albo glauceſcente, anguſta. Introlabitur apice caput, in os, hiatu profundo gutturali cylindraceo, dentibus ſive maxillis

inſtru-

inſtructum binis validis inaequalibus oſſeis atris ſubtriquetro-incurvis acutiſſimis conniventibus, forma roſtri accipitrini. Oris hiatum in capitis apice, perinde ac in ſepia octopodia, corona ambit ſubcoriaceo-membranacea ſubdecagono-infundibuliformis, tentaculis, ſtellae ad inſtar, radians denis, ſubcoriaceo-molluſcis, tereti-ſubulatis, binis triplo-quadruploque longioribus; haec, brachia audiunt paſſim; uſu, ut volunt, a reliquis diſtincta; quamvis et eo differant, quod cum octo illa per omnem longitudinem internam cotyledonibus adſperſa ſint campanulatis ſeſſilibus ſubcartilagineo-coriaceis, duplice tripliceve ordine ſeriatis, magis identidem magisque apicem verſus attenuata; haec contra ipſo ſub apice incraſſeſcunt, cotyledonibus adſperſa nuſpiam, quam in infera apicis incraſſati, oblongo-ovalis, parte. Prominet ſub collo ultra ſaccum ex abdomine ortus fiſtuloſus ani (qui ſimul et genitale) cylinder coriaceo-ſubcartilagineus, oſculo hians orbiculari integerrimo. De colore partium jam ſupra dixi, ut nil demum, quod porro dicam, ſuperſit, quam quod individua ſpeciei hujus non numquam viderim, quae brachiis illis, quae longiora vulgo ejus tentacula dicimus, qua demum cunque ex cauſa, caruere; tum quod atramenti, prae reliquis ſui generis ſpeciebus, ſit quam feraciſſima.

35. *Sepia Loligo.*

Sepia corpore cylindraceo-conico, caudato, oſſe pennaeformi ſubtenſo, cauda membranis alata, ancipiti-rhombea; tentaculis decem; binis longioribus.

Sepia corpore ſubcylindrico, cauda ancipiti-rhombea. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1096. N. 4. *Osbeck.* It. Chin. N. 66. *Fabric.* Faun. Groenl. p. 358. N. 350.

Loligo Salviani major. *Aldrov.* Moll. p. 71. *Geſner.* p. 112. b. *Jonſton.* Exſ. p. 10. Tab. 1. fig. 4.

Haec prae reliquis nobilium gulonum in menſis expetita; vocantque Calamari. Eſt illi, quam ſepiae officinali caro nonnihil tenerior, magisque guſtui grata; quamvis et hoc forſan non niſi ab aetate, et magnitudine (ut ea diſtinctio inter Lollium et Loliginem, inter τευθον, et τευθιδα, Sepiam mediam, et Loliginem) dependeat? certe Loligo, ut ut corpore, quam ſepia officinalis, ſit graciliore reſpective, minusque ampliato; ad magnitudinem tamen, longitudinemque, inter omnes ſui generis, excreſcit maximam; cauda in junioribus acuta magis, obtuſiore in ſenioribus. Eſt caetera et Loligini quoque ſaccus molluſcus, ſubcoriaceus, nudus, laevis; differt tamen ab eo reliquarum ſepiarum, praeprimis forma; quae ei fere cylindraceo-conica eſt; multo, reſpective ad corpus, gracilior longiorque congenerum, atramentarii elongati pharetraeformis facie; baſi, caput verſus, undique et ipſe liber, hians, apertusque; ſub collo quidem lunato-concavus, deſuper contra a ſubcutaneo dorſi oſſe ſubtenſus; antrorſum, cervicem verſus, obtuſe nonnihil procurrens; magis magisque (ut ut non niſi lente) apicem verſus attenuatus; fine extimo magis aut minus acuto, caudae inſtar. Quod de caetero extremitati huic ſacci, caudae potiſſimum formam conciliat ancipiti-rhombeae, pinna eſt molluſco-ſubcoriacea obtuſe trigona, libere ad latus utrinque, alae inſtar exſtans, non tam ipſo in laterum margine, quam dorſo verius poſtico longitudinaliter fixa haerens, inque ſacci apicem convergens, ac confluens; quo demum fit, ut ſacci dorſum a medio ad apicem uſque, plano rhombeo, clypei ad inſtar, inſtratum ſit; liberisque illis caudae pinnis Loligo, tanquam totidem alis, cum volet, evolare extra aquam poſſit. Eſt et praeterea aliud, quo ab officinali, Loligo, ſepia non parum differt; ſubcutaneum ſcili-

ſcilicet dorſi os, quod ei nullatenus oblongo-ovale, et utrinque convexum, nec ſubſtantiae fungoſo-pumicoſae, ſed cartilagineo-papyraceum potius eſt, ſubtiliſſimum, pellucidum cryſtalli ad inſtar, et nitens, pennae anſerinae forma, ovato-lanceolatum, manubrio baſi cultelliformi inſtructum, ſupra convexum, ac longitudinaliter carinatum, ſubtus concavo-canaliculatum. Partes corporis reliquae ab iis ſepiae officinalis nullatenus diverſae. Membranulis videlicet affixum cohaeret animalis ſubcylindraceum collum, non equidem baſi, imo vero internis ſacci parietibus intermedio inter ejuſdem baſin, apicemque, loco; incraſſeſcitque tantiſper, ubi caput eſſe incipit; oculo ad latus utrumque inſtructum grandi ſubovali convexo, cum pupilla, intra albo-glauceſcentem iridem intercepta, atra. Sed et eadem quoque, quae in ſepia officinali, eſt oris, maxillarumque, ſive dentium, et prominentis inferne analis tubi cylindracei, et membranaceo-infundibuliformis coronae capitis, tentaculorumque, et brachiorum conſtitutio, et horum numerus; ut adeo, quod jam porro addam, ſuperſit nihil, niſi, ut ne et coloris oblivíſcar: hic per omne undique corpus albus, leviſſima interdum incarnatae rubedinis ſuffuſus tinctura; dorſo nihilominus tam ſacci, quam colli, capitisque, et ſuperiorum tentaculorum, punctulis primum rufis cumulatiſſime adſperſo, dein magis identidem, magisque fuſco, punctulis ſaturatioribus, ſive nigricantibus vario.

36. *Sepia Sepiola.*

Sepia corpore ecaudato, exoſſe, auriculis lateralibus poſtice rotundatis alato; tentaculis decem, binis longioribus.

Sepia corpore poſtice alis duabus ſubrotundis. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1096. N. 5.

Sepiola Rondeletii. *Aldrov.* Moll. p. 63. *Geſner.* p. 111. *Jonſton.* Exſang. p. 10. Tab. 1. fig. 8.

Plurima in foro ſemper venalis proſtat ſub nomine *Sepolini*, editurque a quibusvis paſſim cochleari in butyro frixa cum Limoniorum ſucco. Convenit ea corpore, ſeu ſacco vaginali abdominis, tum oſſis dorſalis defectu, cum ſepia octopodia, vix tamen longitudine pollicem excedit, tota ſuperne plus minus fuſca; ſubtus alba. Saccus ovatae inſtar burſae, rotundatus, obtuſiſſimus, molluſco-ſubcoriaceus, nudus, laevis, collo ſuperne continuus cohaeret, ſubtus liber undique apertura hians, lateribus utrinque pone mediam longitudinem membranula ſubcoriacea ſemicirculari plana (apicem ſacci haud attingente, nec conſequenter confluente) alatus. Partibus reliquis, nempe collo, capite, oculis, ore, tentaculisque, dempta rurſum magnitudine, Sepiae aut et Loligini ſimilis. Sunt ei tamen tentacula illa octo minora, minus ſubtriquetro-ſubulata. quam in binis hiſce poſterioribus; quibuscum caetera et brachiis duobus longioribus congruit. Sepiarum differentiam ab oſſe, auriculis (ſeu laterum membranulis) adde et tentaculorum numero, deſumendam eſſe, jam Scopolius, in fine Anni quinti hiſtorico-naturalis, rite obſervavit, in eo infelix, quod ſepiam officinalem Linnaei, pro ejusdem Sepia Media propoſuerit; officinalem contra adſtruens, quae nullo in mari exiſtat, ſcilicet, duplice, quae in ſacci dorſo, oſſe inſtructa ſit.

37. *Aſterias rubens.*

Aſterias ſtellata, radiis quinque lanceolatis, dorſo gibbis, breviter undique aculeatis; aculeis partis inferae marginum intimorum ſerie duplici retuſo-bifidis.

Aſterias ſtellata radiis lanceolatis gibbis, undique aculeata. *Linn.* Syſt. N. Tom. I. P. 2. p. 1099. N. 3. *Fabric.* Faun. Groenl. p. 367. N. 362.

Stella

Stella marina media, laete rubens, ſpinoſa. *Barrelier.* p. 130. T. 1283.

Stella coriacea acutangula. *Baſter.* Subſ. I. p. 116. Tab. 12. fig. 1 — 6.

Stella marina echinata cometa. *Columm.* Ecphr. Aquat. p. 5. fig. p. 6.

Vocant paſſim communi gentis hujus nomine *Stella di mare.* Corpus ſubmolluſcum, velut ſuberoſo-coriaceum, vel, dum molle, ſat fragile, ſtellato-quinquepartitum (reperitur et ſex- et octo-partitum, radiis etiam quandoque inaequalibus, cometae ad inſtar, at regulariter non niſi aequaliter quinquepartitum eſt) horizontaliter patens, diametro extenſionis communiter quinque pollicari, atque tum longitudo radiorum duos non niſi pollices tantillum excedit; totum ſaturate rubrum; tamen et magis interdum dilutum. Radii lanceolati velut ex ovata baſi, dorſo ſuperne convexi, baſin verſus etiam gibbi; inferne (ex parte ſcilicet oris) planiuſculi, et ſulco longitudinali in os uſque excurrente, exarati; aculeis brevibus innocuis, et apice albidis, per omne dorſum nulla lege- per latera contra infera, ſeriatim ſparſis, muricati; ſuntque aculei hi ad lubitum mobiles, innocue acutiuſculi, ſimplices; demptis, qui ad utrumque ſulci inferi lateralem marginem ſerie duplice longitudinali accubant, et apicem verſus lateſcentes compreſſique, retuſo-bifidi ſunt. Sulcus radii cujuſque profundus ex rubrofuſcus, papillis elevatis hemiſphaericis umbilicatis quadruplici ſerie longitudinaliter obſitus, quae papillae, ut ut admodum humiles, in tentacula tamen adipoſa, hyalina, diaphana, tereti-ſubulata, circellis annulata pluribus, capitelloque ſubovato, et umbilicato terminata, ad pollicis uſque altitudinem pro lubitu exaltari poſſunt, retractilia (ut in Limacibus) cum viſum, aut neceſſe fuerit, iterum. Os in infe-

infero ſtellati animalis centro, apertura hians orbiculari, dentibus inſtructum quinis oſſeis, non nihil exſtantibus, ad ſe mutuo conniventibus.

38. *Aſterias aranciaca.*

Aſterias ſtellata radiis quinque lanceolatis planis corpori continuis, una cum diſco obſitis ſupra piſtillis cylindraceis apice ſtellato-denticulatis; ſubtus aculeis ſubulato-compreſſis longitudinaliter multipliciter ſeriatis; margine gibbis, transverſeque articulatis.

Aſterias ſtellata, diſco tentaculis hiſpidis muricato; margine articulato, varie aculeato. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1100. N. 8.

Stella marina major ſpinoſior fuſca. *Barrelier.* pag. 130. Tab. 1281.

Stella pectinata ſecunda. *Aldrov.* Inſect. p. 748.

Stella marina major. *Jonſton.* Exſang. Tab. 8. fig. 9.

Et huic non niſi *Stella di Mare* paſſim nomen, piſcatores inter; frequentiſſima in Adriatico mari; variat magnitudine plurimum, pro aetatis? diverſitate. Specimina habui, quorum diameter amplitudinis ſpithama erat minor; alia, in quibus ſpithamam excedebat; rurſumque alia plusquam biſpithamalia; quorum ſcilicet quilibet radius ſpithamam ſuperabat. Molluſcum? pumicoſo-ſeu verius fungoſo-ſubcoriaceum plurimis intus vertebris coagmentatum; in vita flexile, et tamen fragile, exſiccatione poſt mortem durum, lentum leve, ſtellam exacte refert quinqueradiatam, ſuperne planam, ſubtus non nihil obtuſe convexam; diſco corporis medii cum radiis continuo, in unum, aut et duos tophulos humiles convexos, excentricos ſupra aſſurgente; ore contra

ſubtus

ſubtus centrali, orbiculato, introlabente, quinisque inſtructo dentibus. Quinque ejusdem radii lanceolati, totidem formant triangula elongato-iſoſcelica, corpori baſi ſua inſiſtentia, eique, ut mox dictum, continua, in eodem videlicet plano horizontali. Omnis haec ſupera, ſeu dorſalis corporis, radiorumque ſuperficies coloris eſt aurantiaco-rubri; ex rubro tamen fuſcam dicas, ob piſtillos (verius, quam papillas) coriaceos cylindraceos, mobiles, normales, ſemialteram lineam altos, apice truncato-umbilicatos, denticulisque marginalibus in orbem radiantibus fimbriatos, quibus, quanta quanta eſt, ſtipatiſſime addenſatis, obſita eſt. Margo radiorum lateralis uterque, ſecundum omnem longitudinem, ultra reliquam ſuperficiem elevatus, et gibbus, ſpondylis nempe transverſis plurimis albido-flavicantibus, fungoſo-coriaceis, convexis, ſtipatiſſime papilloſis, transverſeque oblongis, et didymis articulatus, ſeu in articulos annulares contiguos gibbos transverſe ſectus; articulorum parte in dorſi, altera in ventris paginam incurva, utrisque ab invicem ſtria impreſſa longitudinali ſemiſegregatis. Color animalis ſubtus, partibus omnibus aurantiaco-flavus. Radiis inferiore hac in parte, intra articulorum transverſorum elevatum utrinque marginem longitudinaliter canaliculatis, id eſt, ſulco iſoſcelico-triangulari in os uſque excurrente exciſis; canali ipſo ſaturatius aurantiaco, obſito papillis umbilicatis humillimis, in quatuor ſeries ordinatis, per quas tentacula tereti-ſubulata, adipoſa, alba, diaphana, circellis transverſis annulata, capitelloque apice inſtructa, ad pollicis uſque longitudinem, dum incedere velit, exſerit, retrahitque limacis inſtar. Supereſt, ut jam et de aculeis addam aliquid: hi in parte animalis infera numero plurimi coriaceo-ſubligneſcentes a duabus ad quinque et ſex usque lineas longi, tereti-ſubulati, cum tempore etiam compreſſi, albo-ſubflaventes, ad lubitum mobiles per omnem radiorum longitudinem, plures in ſeries ordinati. Haerent

ii

ii in ſpondylis, ſive ſuturis transverſis annularibus articulorum gibborum marginis partis inferae, numero in quovis ſpondylo quinque, in eadem transverſa linea, extrorſum oblique verſi, et cum proportione longitudine creſcentes. Hos praeter aculeos fortiores, et alios quoque duplici, triplicive longitudinali ſerie ſtipatiſſime ambire videas ſulcorum inferorum utrinque latera, oblique ſuberectos, ac directione contraria in ſulcos velut conniventes: Hi multo reliquis et teneriores (ut ut caetera et ſubſtantiae et coloris ejusdem) et graciliores, minoresque, magisque ſimul compreſſi, obtuſioresque; ac ubi margo lateralis binorum quorumvis radiorum in os inferne convergit, et ipſi quoque os verſus connivent. Spondylorum transverſalium brevior ea portio, quae ſurſum in dorſum reflectitur, ſtria longitudinali ſemiimpreſſa, ab infera, abſciſſa; aculeis interdum nullis; ſimplice eorumdem alias ſerie; alias rurſum duplice, et laxe parallela ejusmodi aculeorum ſerie longitudinali armata invenitur; nec tamen propterea (cum reliqua eadem ſint omnia) *ſtellam Barrelierii majorem ſpinoſiorem etc.* ab Ejusdem *ſtella majore aranciaca minoribus ſpinis*, diverſam judico ſpecie. Nam quod ad gibbam illam interiorem dorſi ſtellam in hac poſteriore attinet, ea non niſi in dorſo oritur ex contractione ſulcorum partis inferae, dum animal extra aquam in ſiccum repoſitum, retractis tentaculis, ſulcorum quoque canales contrahit. Linnaeum non aſſequor, ut qui et in Syſtemate Naturae, et in Muſaeo Ulricae Louiſae ſemper ad Aſteriadem ſuam aranciacam Iconem Barrelierii 1281. citaverit, quae manifeſte Stella Barrelierii major ſpinoſior eſt, et tamen in Muſaeo Ulrico-Louiſiano deſcriptionem ex Barrelierio ſtellae majoris aranciacae adjecerit, quae cum ad Iconem Barrel. 1285. pertineat, Aſterias Linnaei equeſtris eſſe deberet! At litem hanc iis dirimendam relinquo, quibus Sebae, Linkiique opera ad manus ſunt. Notatum hic ſolum velim, figuram, quam Statius Müller ex Houtuyno

Aſte-

Aſteriadi aranciacae Linnaei tribuit, aliam longe denotare Aſteriadem.

39. *Aſterias leptocnemos.*

Aſterias radiata, radiis tereti-ſubulatis, articulatis, quinque, ſupra depreſſis; lateribus utrinque ſerie duplici ſpinarum obſitis.

Stella marina leptocnemos ſpinoſa. *Barrelier.* p. 131. Tab. 1282. fig. 2.

Stella echinata Rondeletii. *Geſner.* p. 153. *Aldrov.* Inſect. p. 752.

Aſterias ciliata. *Stat. Müller.* Verm. p. 140. Tab. 7. fig. 5. At non, et ciliata Linnaei.

Minime rara Tergeſti in mari adriatico. A macilentis et gracilibus tibiis, ſeu radiis, hanc ſic Barrelierio vocare placuit, etſi Aſteriades, ut mox videbimus, dantur, quibus radii multo, quam huic graciliores, magisque ſunt exiles. Linnaeus elegantem ſpeciem, ſuas inter, non recenſet. Dubitat etiam Barrelierius de Aldrovandi ex Rondeletio ſtella echinata, vixque eamdem cum ſua exiſtimat; attamen, ut verum fatear, dubitationis non aſſequor rationem. Veterum tam figurae, quam deſcriptiones, elimatae equidem, ut Recentiorum, haud ſunt; at qui ab iis, numeris aliquid abſolutum omnibus exſpectes, quibus hac in animalium claſſe ſyſtema fuit nullum? Vulgare animalis nomen haud intellexi, nullus tamen dubito, *Ragno*, *overo Stella di Mare*, dici. Corpus medium Aſteriadi huic diſciforme, orbiculatum, ſupra obtuſe convexiuſculum, ſubtus eadem ratione nonnihil concavum, diametri vixdum pollicaris; dorſo inſcriptum areis decem ex centro peripheriam verſus divergentibus, ſtellae inſtar radiantibus; alternis videlicet (ſinui

inter binos quosque radios reſpondentibus) obcordatis, nigris, ſerie ſpinularum acicularium, mobilium, albarum, et diaphanarum ſimplice, mediam per longitudinem percurſis; alternis contra (radiis ipſis incumbentibus) duplo anguſtioribus, linearibus fere, apice emarginatis, albidis, ſtipatis latere utroque ſerie longitudinali ſimplice ſpinularum earumdem. Os infera in corporis parte nigra, centrale, dentibus inſtructum quinque, quinisque in orbem ordinatis, et in radios ſingulos hiantibus circumdatum oſculis; quibus an non diverſi commiſceantur ſexus? ignoro; ovula certe Aſteriadum in earumdem inveniri ſolent radiis; quintuplicem interim anum exiſtimare videtur Barrelierius. Radii animalis de more quinque, corpori medio haud continui; imo eidem verius per ginglymum velut connexi. Sunt ii ad tres minimum pollices elongati, craſſitudine in baſi plus minus bilineari, teretiuſculo-ſubulati, ſuperne non nihil depreſſi, ex meris ſpondylis articulati, ſubtus longitudinaliter teretes, et nigri; ſupra autem velut ex maculis alternis bruneo-rufis, albidoque cineraſcentibus varii; margine laterali utroque obſito longitudinaliter duplice, maximeque contigua ſerie ſpinarum mobilium, ſubulatarum, rigidarum, fragilium, nivearum, diaphanarum quatuor, quinqueve lineas altarum. Tentacula retractilia (niſi ipſae hae ſpinae ſimul ſint?) hac in ſpecie nondum vidi. Mirum eſt, qua ratione, quantaque velocitate radios hos animal ſuos, in ſiccum extra aquam repoſitum, ſerpentum inſtar, identidem contorqueat! irrequietum donec (fragiles ut ſunt) eosdem plures in partes, una cum ſpinis, diffringat, et ipſos aliquo adhucdum poſt tempore, mobiles. Spinae radiorum, ſpinulaeque dorſi corporis medii, vitri ad inſtar, rigidae fragiles, et pungentes. Ciliatam Linnaei ex hac Houtuynus, ac cum eo Müllerus faciunt; minus opinor recte. Certe Ciliata Linnaei, ut ex Barrelierio patet, ſpinis caret; tripliceque ſquamarum inſtrata eſt ſerie.

40. *Aſterias paraſitica.*

Aſterias radiata, radiis quinque lineari-ſubulatis, articulatis, ſupra convexiuſculis; lateribus utrinque duplice ſpinarum ſerie obſitis.

Frequentem ſupra Alcyonia, Spongiasque marinas, etiam intra earumdem anfractus, et majores poros nidulantem inveni. Haec ſpecificis caracteribus antecedenti plurimum ſimilis, ſed pygmaea, ut ejusdem primum prolem crediderim, niſi compluribus eam dein notis ab illa diverſam deprehendiſſem. Supra corpore, radiisque nigra unicolor; ſubtus alba, velut ex incarnato. Diſcus corporis medius orbicularis, quinquelobus; lobulis inter ſinum duorum quorumvis radiorum rotundatis, deorſum verſus os reflexis; caeterum obtuſe convexiuſculus, pulvinatus, iisdem, ut in antecedente areis, nigris tamen omnibus, inſcriptus; iisdemque etiam ſpinulis acicularibus, et mobilibus, attamen aquoſiſſime incarnatis obſitus. Subtus ex albo-incarnatus; ore centrali, dentibus, foveisque in radios hiantibus, quinque. Diameter diſci totius duarum, triumve linearum; ex quo parvitatem animalis deſume. Radii ex hoc corpuſculo exorti, ginglymoque velut eidem cohaerentes quinque; in ſtellam patentes, pollicem circiter longi, lineari-ſubulati, re autem vera, tetragono-pyramidati, craſſitudine baſeos vix unius lineae, articulati ſpondylis octaëdris, oblongis, magis magisque attenuatis, ginglymo velut nexis, ſupra nigris, convexiuſculis, inſtar ſquamarum ovatarum ſimplicis ſeriei, ſubimbricatis; ſubtus planis ſubincarnato-albentibus, parallelogrammicis, apice emarginatis. Margo lateralis radiorum horum uterque duplice longitudinaliter ſerie, et approximata ſpinarum acicularium mobilium trilinearium obſitus; ſuntque vitri inſtar rigidae, fragiles, diaphanae, ex albido ſubrubentes, longitudinaliter ſtriatae, retroductu manus

 aſperae,

aſperae, et velut ſubtiliſſime ſerrulatae verius, quamciliatae. Nec in hac quoque ſpecie promuſcides, ſive retractilia obſervavi tentacula.

41. *Aſterias ſanguinolenta.*

Aſterias radiata, radiis quinque lineari-ſubulatis, articulatis, ſupra convexiuſculis, dorſo, lateribusque ſeriatim ſpinoſis.

Elegantem hanc Aſteriadem copioſiſſime inveni ſupra Milleporam cervicornem Pallaſii, ſeu ſupra Porum Imperati cervinum, quem ad Fluſtram ſuam Linnaeus foliaceam minus recte citaverat. Eſt haec Aſteriadi paraſiticae mox deſcriptae, et magnitudine, et forma, ſtructuraque partium corporis ſimillima, ut ab uberiore ejus deſcriptione ſuperſedere hic poſſim, ſi modo, quibus ab eadem notis differat, dixero: colore eſt undique ſanguineo immaculato, ſubtus duntaxat non nihil dilutiore. Spinae quibus ſupra, (non infra) echinata eſt, et in diſco corporis, et per radiorum dorſum, laterumque marginem ſeriatim, duas tresve lineas altae ſunt, albae, diaphanae, aciculares, mobiles, vitri ad inſtar rigidae, fragiles, pungentes, et retroductu ſcabrae. Lubens ad Aſteriadem Linnaei aculeatam revocaſſem; ſed Linkii (quem non poſſideo) Tabulam citat 40. fig. 71. Eamdem ſcilicet, quam et ad Ciliarem ſuam; quae (ſi ſynonymia Linnaei erronea haud eſt) eadem cum Stella Barrelierii Ophiocnemo Tab. 1295. f. 1. Aſterias mea Sanguinolenta eſſe tam poteſt parum, ac haec mea Sanguinolenta, cum Ophiura Linnaei, eadem eſt, ad quam ex Linkio Linnaeus eamdem plane Tabulam 37. fig. 65. citavit, quam dein ad aculeatam ſuam adduxit.

42. *Echinus ſaxatilis.*

Echinus hemiſphaerico-depreſſus; ambulacris denis; paribus approximatis; areis longitudinaliter verrucoſis. *Linn.* Syſt. Nat. T. I. P. 2. p. 1102. N. 6. *Fabric.* Faun. Groenl. p. 372. N. 368. *Stat. Müller.* Syſt. N. T. 6. Verm. p. 149. N. 6. T. 8. f. 1.

Perquam Adriatico frequens in mari, vocaturque paſſim *Rizzo*; in cibum vero aſſumi non audivi. Corpus, demptis aculeis, magnitudine pomi mediocris; plerumque etiam minus; caſtaneam, ut dicimus, italicam, vel et nucem majorem vix excedens; figurae hemiſphaerico-depreſſiuſculae; diametro latitudinis, eam altitudinis, ſemper excedente. Molluſca inter numeratur; utique ob ſubſtantiam animalis incluſi ſtellato-radiati, tentaculaque adipoſa, et retractilia? Nam de caetero cruſta undique tegitur calcareo-teſtacea, ſphaeroidico-fornicata, ad polos (praeprimis inferum) depreſſiuſcula, tenera, duriuſcula, fragili, aqua forti, una cum aculeis ſolubili, uniloculari, interne alba, extus obſcure olivaceo-viridi, ut ut interdum e viridi rubeſcat, et longius aſſervata ſubalbeſcat. Hiat teſta haec aperturis duabus; verticis depreſſiuſculi, baſeosque inflexae, centralibus orbiculatis; illa (ani) minore, verruculisque compluribus clauſili; hac (oris) majore, cincta in orbem faſcia peripheriali plana, teſtaceo-ſubmembranacea, obſcure viridi, tuberculis exiguis ad marginem intimum ſimplicis ſeriei obſita, cohaerente annulo teſtae introrſum inflexo, quinquelobo; lobis normalibus, parallelogrammicis, apice emarginatis, et foramine centrali pertuſis. Conulus, ſive pyramidula verius pentagona, albo-eburnea, ultra hanc oris aperturam prominet inferne; ſuntque dentes animalis quinque, oſſei, teretiusculo-triquetri, acutiſſimi, introrſum longitudinaliter canaliculati, in acuminatam pyramidem conniventes. Ut porro aperturam oris faſcia ambit plana latiuſcula, et depreſſa;

preſſa; ſic eam quoque ani in vertice, laminae, aut ſi malis aſſulae, teſtae connatae, circumſtant decem, duas in ſeries ſubconcentricas ordinatae; ſingulae poro centrali pertuſae, tribusque ſub poro obſitae tuberculis parvis. Earum interiores quinque, exterioribus majores, figurae ſunt ſubpentagono-ovatae, una reliquis majore, eaque ſaturatius viridi, foveoliſque microſcopicis uberrimis punctata. Haerent contra exteriores quinque in interiorum ſinubus, duplo iis minores, figura obverſi cordis, cum brevi ex corculi emarginatura, cuſpidula. Omnis reliqua teſtae ſuperficies externa decem in areas longitudinales, iſoſcelico-triangulares, mammillari-verrucoſas diviſa eſt; areis alternis duplo fere anguſtioribus, ambulacro utrinque poroſo ſtipatis; ut adeo quot areae, tot ſint et numero ambulacra, decem videlicet, binis quibuslibet approximatis; iis nempe, quae anguſtiorum arearum margini accubant. Poroſa haec ambulacra extus vix, niſi microſcopio, detegas. Eorum quodvis duplici pororum capillarium ſerie longitudinali, ſerpentino-ſinuata, contiguiſſima conſtat. Iſoſcelico-triangularium arearum haec eſt conditio: Apice ſingulae ſuo ani verſus aperturam convergunt, terminatae in ſingulis denarum illarum ſquamis, ſive aſſulis, quae aperturam ani duplice circumambiunt ſerie; latiores quidem in majorum ſubpentagono-ovatarum vertice; in minorum contra obcordatarum emarginatura anguſtiores. Defluunt exinde denis hiſce e punctis denae triangulorum areae per omnem teſtae longitudinem, quadrantis altitudine, ubi deorſum inflexae oris verſus aperturam denuo convergentes, baſibus ſingulae ſuis, faſciae peripheriali aperturae oris circumſcriptae inſiſtunt. Latiores aeque ac anguſtiores, ut ut de ſe ſimplices, et continuae, microſcopio tamen ſi inſpicias, ex meris ſubpentagonis areolis, duplice alternatim ſerie per omnem longitudinem ordinatis, compoſitas dicas; vicenis univerſe verrucarum mammillarium ſeriebus longitudinaliter percurſas.

Vice-

Vicenas verrucarum dum ſeries dico, de iis praeprimis intelligas velim, quae ab apertura defluunt ani, facilius conſpiciendae. Plurimae adſunt verruculae aliae praeterea, quibus omnis teſtae ſuperficies inaequaliter muricata redditur; omnes mammillares ſemper; id eſt, cupula conſtantes inferne hemiſphaerico-concava, opaca, ſeſſili, papillaque globoſa, impervia, laevi, et nitente, intra cupulam, tamquam calycem, nidulante. Soleo mammillares has verrucas omnes, in quatuor, magnitudine differentes, dividere claſſes: Maximarum, duae per ſingulas latiores areas decurrunt interpolatae ſeries; Mediocrium, duae itidem ſeries, per quamvis anguſtiorem aream, tum tres ejusmodi per unamquamque arearum latiorum, recta quoque defluunt ſeries, alternantes cum binis illis maximarum verrucarum ſeriebus; utrisque his minores verrucae aliae, itidem mammillares, coronae ad inſtar, in orbem ordinantur tam circum maximas, quam circum mediocres, alternantes utplurimum cum verruculis aliis, omnium minimis, et ipſis quoque mammillaribus. Adumbravi, qualis in muſaeis duntaxat conſpici ſolet, externam teſtae Echini hujus ſuperficiem; ſuas ſcilicet in areolas, ſuaque cum areolis alternantia diſtributam, horti ad inſtar, in ambulacra. At vita dum pollet recens e mari eductum animal, nil certe tum arearum in illo, nil et ambulacrorum detegas uspiam; ſpinoſis imo, Erinacei ad inſtar, aculeis horret undique; intermixtisque, quae pro lubitu retrahat, tentaculis. Calcareae illi naturae, teretiuſculo-ſunt ſubulati, ſtriis longitudinalibus exarati plurimis, annuloque baſi cylindraceo inſiſtentes, qui, ut ſuper globoſa mammillarium verrucarum papilla tanto in omnem verſatilis partem moveri, arrigique, aut et proſterni poſſit facilius, hemiſphaerica introlabitur cavitate, tendinea tenerrimaque extus ſuperindutus cuticula, qua teſtae, et per teſtam utique animali cohaeret ipſi. Sunt caeterum ſpinoſi hi aculei primum virides, et ſubdiaphani, ut ut non fiſtuloſi; tum e viridi magis,

gis, magisque hyacinthini, et ex hyacinthino-demum amethyſtini; rigidi, fragilesque vitri inſtar; longitudine, ea inter ſe, in proportione differentes, qua, quibus inſiſtunt, verrucae; ut majoribus nempe verrucis longiores quoque reſpondeant aculei; breviores minoribus; longiſſimis pollicem aequantibus. His in omnem, ut libuerit, partem mobilibus, de loco nihilominus in locum haud transfertur Echinus; pondera, quibus ſphaeroidicum ejusdem corpus (dum orbiculari, vacillans, tentaculorum ope, ſe promovet motu) aequilibratur, ſunt credo, aut et, quibus adverſum hoſtes ſe tueatur, arma. Vera ergo inceſſus inſtrumenta Echinis, eorumdem ſunt tentacula, tot numero, quot ambulacrorum pori; quae quoties marinam intra aquam reponuntur, omni illico ex parte ad plusquam pollicarem protrudunt longitudinem retractilia, ſubſtantiae molluſco-adipoſae hyalino-nigricantia, aciculari-ſubulata, circellis parallelis annulata, apice in orbiculum dilatanda.

43. *Echinus eſculentus.*

Echinus ſubgloboſo-ovatus; ambulacris denis, paribus approximatis; areis obſolete verrucoſis.

Echinus hemiſphaerico-globoſus; ambulacris denis; areis obſolete verrucoſis. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1102. N. 1. Muſ. Ulr. Louis. p. 705. N. 1. *Baſter.* Subſ. I. p. 112. Tab. 11. fig. 1.

Echinometra maxima pelagica Sardica. *Aldrov.* Teſt. p. 411. *Bonan.* Muſ. fig. 19.

Riccio marino, detto Melon di Mare. *Plancus* apud Ginanni II. p. 38. Tab. 28. N. 173. etc.

Hic minus antecedente Tergeſti frequens, neque tamen rariſſimus, Rizzo communiter et ipſe dictus: Habui in magnitudine

tudine Cydoniae; multo tamen majorem, et caput plane hominis aequantem, tam Plancus apud Ginnanium, quam Caſtelletus Genuenſis apud Aldrovandinum. Plurimis ei cum Saxatili notis, dempta convenit magnitudine; ut quibus ab eo potiſſimum differat, quaeque ſpeciem ab eo diſtinctam efficiant, retuliſſe ſufficiat. Sunt autem hae ſequentes: Magnitudo, qua Saxatilem nunquam non ſuperat. Linnaeus ipſe, cui in Kuller Scaniae copioſus quondam oblatus fuerat, caput aequare infantis, aſſerit. Dein Figura, quae Eſculento, ut ut inferne verſus aperturam oris, ſubtruncato-impreſſa; ſuperiore tamen dorſo verſus anum, ſubgloboſo-aut ovato-gibba eſt; verbo: ex hemiſphaerico-depreſſa baſi, ſubgloboſo-ovata; diametro altitudinis, transverſam latitudinis ſuperante. Sed et color quoque teſtae Echini eſculenti plerumque alius; rufeſcens ſcilicet, et ex rufo magis magisque flavens. Areae quidem et Eſculento denae, eaeque et ipſae didymae, ſeu areolis ſubpentagonis, duplice alternatim ſerie ordinatis, compoſitae; alternae praeterea, ut in Saxatili, alternis latiores; eo nihilominus ab iis Echini Saxatilis, differunt, quod cum in hoc areolae rotundatam magis affectent circumſcriptionem, eae Eſculenti magis transverſe ſint oblongae. Mammillares quod attinet verrucas, eae hac in ſpecie, minus omnino gibbae, et obſoletae velut ſunt, praeprimis ſuperiore in dorſo anum verſus. Supereſt, ut de aculeorum dicam diverſitate: Sunt illi in majore caeterum teſta reſpective minores, vixque pollicem, qui maximi, longi; coloris rubro-violacei, ſeu hyacinthini, apicem verſus exalbeſcentes, ac forſan cum tempore ex integro albido-ſubflaventes? Linnaeus etiam flammei coloris (brandgelb) loco citato invenit. Ambulacrorum pori regulariter quidem non niſi duplice utrinque, ſinuatoque-flexuoſa ſerie ordinati, frequenter tamen et tres, pluresque inordinate obliquatas decurrunt lineas. Reliqua partium teſtae ſtructura eadem, quae et in Saxatili Echino,

no, cum proportione videlicet. Idem de dentibus quoque, et tentaculis, anique circumferentia intellige.

44. *Echinus Cidaris.*

Echinus hemiſphaerico-depreſſus; ambulacris denis linearibus rectis, transverſim ſulcatis; areis alternis majoribus bifariis; aculeis longioribus ſtriatis, muricatisque.

Echinus hemiſphaerico-depreſſus, ambulacris quinis repandis linearibus; areis alternatim bifariis. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1103. N. 8.

Echinus, alio nomine Carduus maris. *Bonan.* Muſ. p. 436. Fig, 17. et 18.

Echinus e mari rubro. *Aldrov.* Teſt. p. 411. et 412.

Vulgare nomen haud intellexi. Magnitudo et figura pomi aurantiaci ad polos depreſſi. Credas, dum e mari educitur, atro-rubentem; teſta tamen aculeis omnibus ſpoliata, e fuſco-duntaxat eſt ferruginea, verrucis ſolis majoribus dilutioribus, argillaceo-flaventibus. Limonii pomum (ſi ad utrumque protuberantem polum, aequale ab eo, profundumque reſeces ſegmentum) exactam teſtae Echini hujus figuram dabit. Eſt ea, ut illa antecedentium, denas in areas, denaque in ambulacra, diviſa; Linnaeus nihilominus quina duntaxat, eaque repanda ei tribuit ambulacra poroſa! id, quod haud video, cur? Ego ſane decem ſemper numeravi; ſuntque inter aream quamque latiorem, et anguſtiorem, ab apertura ani, ad eam oris, recte, nec ſinuato-flexuoſe, excurrentia, vere linearia, lineam lata, ſulcis transverſis, et parallelis plurimis exciſa, dupliceque pororum, aequidiſtantium ſerie percurſa, poris ad exſerenda tentacula retractilia, quovis in ſulco binis. Areae itidem denae; alternis anguſtiſſimis, vix ſemialteram lineam latis, ſimpliciſſimis,

mis, linearibus, depreſſis, ſenis tuberculorum exiguorum ſeriebus percurſis; ſtipatis utrinque ambulacro poroſo. Alternis contra octuplo latioribus, ovalibus, convexis, veluti duplicatis, ſive bifariis, percurſis longitudinaliter ſerie verrucarum mammillarium, alternatim ſitarum duplice; intermediante tenia longitudinali ſinuato-flexuoſa, ſemialteram lineam lata, tuberculis exiguis ſeriatim obſita. Verrucae mammillares hac in ſpecie admodum magnae, praeprimis quae aequali ab ano, et ore diſtant ſpatio, ferrugineo-flaventes, laeves, nitentes, cupula baſeos hemiſphaerico-concava; papilla laxe, libereque inſidente, globoſa, apice ſcrobe umbilicali introlabente excavata. Baſin cujusque verrucae mammillaris corona ambit tuberculorum mediocrium. Planum orbiculare utrumque, in quorum ſcilicet ſupero ani, infero contra oris apertura centralis hiat, ferrugineum, tuberculisque exiguis concoloribus copioſe obſitum. Aculei duplicis generis, omnes atro-rubentes, ac in omnem partem pro lubitu mobiles; ii verrucarum mammillarium duos, tresve pollices longi, ſolidi, tereti-ſubulati, apice truncati, obtuſi, longitudinaliter ſtriati, tuberculisque ſeriatis muricati; illis vero tuberculorum mediocrium, minimorumque parvis, quatuor quinqueve lineas longis, linearibus, compreſſis, obtuſis, longitudinaliter ſtriatis, nec tamen et tuberculoſis. Id aculeis hiſce parvis peculiare, quod qui tuberculis inſident planorum orbicularium ani, orisque, dum extra aquam educitur animal, omnes mox oris anique aperturam verſus, convergentes procumbant, eadem plane ratione, ut et illi qui mediocribus tuberculis (verrucam quamque mammillarem coronantibus) inſiſtunt, ipſam circumquaque in verrucam reclinantur, in conum circum eamdem convergentes. At ii denique tuberculorum aculei, poroſa utrinque ambulacra ſtipantium, non ad ſe mutuo convergentes, anguſtas decumbunt in areas; verum ab invicem potius divergentes, contrarias proſternuntur in plagas, in accubantes ſcilicet

 areas

areas latiores. Oris inferi dentes, adipoſaque et retractilia pororum ambulacrorum tentacula, ut in antecedentibus.

45. *Echinus ſpatagus.*

Echinus ovato-ſubtetragonus, ſupra infraque depreſſiuſculus; ambulacris quaternis, in ſtellam oblique cruciatam ordinatis; areis quatuor gibbis didymis, reticulato-tuberculoſis; ano laterali.

Echinus ovatus, gibbus, ambulacris quaternis depreſſis. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1104. N. 12.

Echino ſpataco. *Ginanni.* II. p. 41. Tab. 29. fig. 174.

Teſta calcareo-papyracea, tenerrima, rigida, fragiliſſima, ex aquoſiſſima flavedine albens, ovato-ſubtetragona, anguloſe-gibba, ſupra infraque depreſſiuſcula, lateribus obtuſe convexa; ore infero, ſubexcentrico, antrorſum hiante, loboque ſubovato, antrorſum, itidem procurrente fornicato. Ano ſub margine ſupero lateris poſtici, impreſſo, ovali, foramello excentrico hiante. Dorſo ſupero ambulacris quaternis lanceolatis, depreſſis, in ſtellam oblique cruciformem, per latera defluentem, ordinatis, inſcripto; centro ſtellae poris quatuor in quadrum diſpoſitis, pertuſo; ambulacris vero (ſive ſtellae radiis) ſingulis margine laterali utroque, duplice pororum ſerie longitudinaliter perforatis; anterioribus binis magis ab invicem ſub angulo obtuſiſſimo divergentibus; poſticis contra, in plagam ani tendentibus, angulumque acutum intercipientibus, minus divaricatis. Pars teſtae dorſo oppoſita, ſeu infera, ambulacris et ipſa circa oris aperturam excentricam, quaternis lanceolatis depreſſis, in eamdem, ut ſupera, cruciformem ſtellam ordinatis; margo tamen lateralis ambulacrorum horum uterque, non niſi ſimplice longitudinali pororum (ad exſerenda tentacula retractilia inſervientium) ſerie pertuſus. Superficies teſtae reliqua

inter

inter ambulacra ſupera, Inferaque comprehenſa, una cum laterum ambitu, quatuor fere in areas inaequales, diverſimode figuratas, gibbas, didymas, ſive ſtria impreſſa intermedia bifariam inaequaliter partitas, diviſa. Ea lateris poſtici ſupra anum ovata, gibba, ſub eo in angulum ſolidum procurrens, cordiformis; illa contra lateris antici ſuperne ovalis, marginata utrinque rivo impreſſo planiuſculo, os verſus, ſulci canaliculati ad inſtar, defluente. Omnes hae areae confertiſſime obſitae tuberculis, ſive verius verruculis mammillaribus exiguis, in quincuncem ordinatis, teſtae concoloribus, et opacis, papilla duntaxat laevigata, et nitente. Microſcopio easdem ſi intuearis, reticulatas praeterea obſervabis; verruculae ſcilicet unicuique ſua circumſcribitur areola hexagona, margine tantillum elevata; quo fit, ut aream quamque capillari inſtratam credas reticulo, areolis reticuli hexagonis, in quincuncem pariter ordinatis. Inſidet ſuus verrucae cuivis mammillari aculeus, quaquaverſum, pro lubitu, mobilis, aciculari-ſetaceus, obtuſiſſime ſubincurvus, ſubſtantiae quidem calcareae, tenerrimus nihilominus, rigidus, fragillimus, laevigatus, nitens, niveus, diaphanus, ſemipollicem circiter longus, retrorſum, extra aquam, decumbens. Villoſo-hiſpidum, ob aculeos hos, dum vivit, dicas animal.

46. *Echinus lacunoſus.*

Echinus transverſe oblongo-ovalis, gibbus; ambulacris quaternis ovalibus, una cum lacuna canaliculata, in ſtellam caudatam, ordinatis; ano laterali.

Echinus ovatus, gibbus, ambulacris quinis, depreſſis. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1104. N. 13. *Stat. Müller.* Syſt. N. T. 6. Verm. p. 153. N. 13. Tab. 8. fig. 6.

Echinus ſpatagus autoris. *Aldrov.* Teſt. p. 408.

Echinus marinus. *Bonan.* Muſ. p. 436. fig. 16.

Hic duplo, quam altus, longior; colore, teneritudine teſtae, verruculis mammillaribus, reticuloque capillari, verruculis interſerto, et aculeis aciculari-ſetaceis ſubincurvis Echino ſpatago quam ſimillimus, his ab eo potiſſimum differt notis: Figurae eſt oblongo-ovalis, ſupra infraque obtuſiſſime convexiuſculus, ambitu laterum magis gibbo, ſive convexo, antice canali introlabente emarginatus, unde cordis oblongi obtuſiſſimi affectat formam. Normalis hic lateris antici canalis in foſſam lacunoſam oblongam, per ſuperam, inferamque teſtae ſuperficiem medius continuatur, ultra centrum productam, anum verſus; ubi inferne ore terminatur antrorſum hiante, bracteaque procurrente fornicato; ſuperne contra paulo ante punctula bina perforata (aut et duo eorumdem paria?) in eadem transverſa deinceps poſita. Haec circum punctula (idem et de apertura oris inferi intellige) tamquam centro, quatuor utrinque ambulacra oblongo-ovalia, depreſſa, nuda, dupliceque per omnem marginem pororum ſerie pertuſa, ita in orbem ordinantur divergentia, ut cum elongata illa lacuna canaliculata ſtellam efficiant caudatam quinqueradiatam; radiis binis anterioribus lacunam utrinque proxime ſtipantibus, longioribus; binis vero anum verſus, retrorſum tendentibus, brevioribus. Anus in latere poſtico, emarginaturae anticae oppoſitus, orbiculatus, apertura hians excentrica. Tentacula per ambulacrorum poros exſerenda, inceſſui ſervitura, et pro arbitrio retractilia, ut in Spatago.

47. *Julus ſubmarinus.*

Julus cylindraceus ſtriatus ater; pedibus utrinque centum et ſexdecim; oculis tuberculato-reticulatis.

Sub lapidibus littoraneis alterno maris aeſtu inundatis, tum et Linzam (Ulvae ſpeciem) inter, iis innaſcentem, frequens. Longitudine eſt ſubpollicari; craſſitudine contra duarum linearum. Totus niger, nitens, nudus, cylindraceus, ſubtiliſſime, ſimulque ſtipatiſſime longitudinaliter ſtriatus, immaculatus; ſubtus duntaxat non nihil applanatus, atque una cum pedibus exalbidus; ſegmentis corporis annularibus (praeter caput, et caudam, ſive anum) quinquaginta et octo duris, difficulter acu transfigendis. Pedes quavis in ſutura, utrinque duo, contigui, parvi, aciculari-ſubſetacei, articulati, incurvi, omnes ſimul una, eademque in linea longitudinali, ſerie utrinque ſimplice, ordinati. Caput ſubgloboſum, nec ſtriatum, nec foveolatum, atrum, nitens; ore rotundato, maxilloſo; palpulis articulatis, rufo-piceis. Oculi ad latera baſeos capitis ſemiſphaeroidici, concolores, microſcopice tuberculato-reticulati. Antennae thoracis longitudine, capiti ante oculos inſertae, corpori concolores, nitentes, moniliformi-filiformes, praeter baſin globoſam, articulis oblongo-obovatis quinque, conſtantes. Thorax nil a reliquis annularibus ſuturis diverſus, nec tamen ſtriatus. Cauda, ſeu ſegmentum ani, ovatum, obtuſum, absque ſtriis, foveolisque.

48. *Oniscus Armadillo.*

Oniscus oblongo-ovalis, ater, nitens, ſuturis decem, margine laterali flaventibus; antennis binis, compreſſo-clavatis; pedibus utrinque plus quam quatuordecim.

Oniscus

Oniscus ovalis, cauda obtuſa integra. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1062. N. 15. *Scopoli.* Entom. p. 415. N. 1144. *Geofr.* Hiſt. Inſect. Tom. 2. p. 670. N. 1.

Minime rarus in littorali Auſtriaco ſub lapidibus. Magnitudine ſubaequalis Aſello. Corpus oblongo-ovale atrum laevigatum, nitens, ſupra convexum, ſubtus concavum, ſuturis, praeter caput, et caudam, conſtans tantum decem, iisque, ſi primum thoracinum, ad latera utrinque tantisper exſtans, demas, aequalibus, transverſe oblongo-ovalibus, margine laterali rotundatis, nec in dentem poſtice procurrentibus. Margo earum interdum totus, alias praeciſe lateralis utrinque, ſaturatius, aut minus ſaturate flavus, in album, aut et rubentem emoriens; in ſingulis praeterea circa dorſi medium maculae duae rotundae, deinceps poſitae, flaventes; unde binae punctorum flavorum ſeries dorſales. Sutura antica, thoracem referens, reliquis paulo major, latiorque, ultra reliquas ad latera utrinque procurrit, margine toto flava, maculisque non raro quatuor, in eadem transverſa linea ordinatis, notata. Cauda ſive ſegmentum corporis poſtici extimum, ut in Julo, vel coleoptero quovis alio, convexum, margine ſemicirculari integerrimo, aut interdum (forſan in ſexu altero) obtuſiſſime retuſo-ſubemarginato, ora marginali tota flava, maculisque binis majuſculis rotundis flavis dorſalibus; ſtylis vero nullis. Caput ovatum, inflexum, fronte convexa, poſtice ad nucham clypeo ſemicirculari, antice truncato, ſemitectum; ore ſubapicali, infero, maxilloſo, dentato. Antennis binis tantum, tota facie disjunctis, ad capitis latera, brevibus, infractis, quinque articulatis, non ſetaceis, imo clavatis; articulis quatuor inferioribus minoribus, obovato turbinatis; extimo ſimplice, longiore, compreſſo-clavato. Oculi bini, laterales, ſub antennis, ovales, convexi, tuberculati. Caput totum, una cum

cum antennis, atrum, nitens; ora duntaxat marginalis clypei flava. Corpus quandoque ſubtus totum aquoſe flavens, alias nigrum, marginibus duntaxat, et macula ſuturarum intra femora, flaventibus. Pedes hac in ſpecie utrinque plures, quam quatuordecim; numeravi ego alias ſexdecim-alias et octodecim paria; forſan et cum viginti detur paribus? cum tamen non niſi decem ſuperne ſint corporis ſuturae! Pedes omnes nigro-picei, infracti ſexarticulati, ſtructura iis Aſelli ſimiles. Suturae contra corporis, quam in Aſello duriores, iis Juli firmitate analogae. Oniſcus hic, cum tangitur, illico in globum pillularem ſe contrahit, inflexo cum antennis capite; thoraceque extremitati caudae appreſſo. Varietatem vidi in qua ſuturae margine toto erant flavo, flavedine late undique intrante, punctulis ad latera nigris varia; confluebantque in hac maculae illae binae dorſales ſuturarum, ut dorſum lineis binis flavis percurſum conſpiceretur.

49. *Oniscus Aſilus.*

Oniscus ovali-oblongus, antennis quatuor, binis brevioribus; ſuturis duodecim, dente laterali appendiculatis; pedibus quatuordecim, hamato-uncinatis; cauda ſemiovali foliacea; foliolis ſubtus decem natatoriis tecta.

Oniscus abdomine foliis duobus obtecto; cauda ſemiovali. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1051. N. 1.

Pediculus marinus. *Aldrov.* Inſect. p. 711. fig. p. 712.

Sub nomine Pidochio di mare notiſſimus piſcatoribus marinis. Eum ego perſaepe a prehenſis recens labris, ſciaenis, ſparis etc. quibus fixus adhucdum uncinatis pedum hamulis haerebat, avulſi. Neſcio, an non conſultum magis foret, cum De Geerio, et Geofroaeo, iſtiusmodi ab Oniſcis inſectum, ſub quovis alio generico nomine, ſejungere? No-

Novare interim velim nihil; Oniſcis forma extrinſeca convenit plurimum, et ipſum omnino viviparum. Juvenis adhucdum Aſilus, oblongus, lineari-ovalis, ſex circiter lineas longus, vixque duas eſt latus; qui debitam dein aſſecutus aetatem, pollicem longitudine aequat, ſeptem fere lineas circa medium latus. Forma corporis ovali-oblonga, ſuperne depreſſo-convexa, ſubtus concava. Nudus ille, glaberque eſt undique, nitoris haud expers, quamvis non niſi in obſolete colorato corpore; triſte primum, aquoſeque griſeſcens, cum tempore tribus percurritur lineis longitudinalibus, dilute nigricantibus; dorſali media, lateralique utrinque; quae magis tandem, magisque lateſcentes, omne fere ſuperum corpus nigricans reddunt, lineis binis dorſalibus longitudinalibus, et parallelis albido-luteolis, percurſum. Specimen nihilominus poſſideo ex rufo luteſcens immaculatum. Subtus ſemper albido-griſeſcens, concolor, in flavedinem poſt mortem declinans. Conſtat corpus omne ſuturis, praeter caput, et extimum caudae ſegmentum foliaceum, duodecim; quarum ſeptem anteriores paulo majores latioresque, pedibus ſingulae ſubtus inſtructae binis-quinque contra poſteriores multo illis anguſtiores, minoresque, pedum loco, foliolis membranaceis tenerrimis ſubovatis integerrimis albis diaphanis natatoriis binis itidem ſingulae ſunt praeditae, imbricatim extra aquam, et dum animal quieſcit, retrorſum decumbentibus. Poſteriores hae ſuturae omnes, egregie margine poſtico retrorſum ſunt lunato-concavo; anteriorum contra non niſi tres poſteriores retrorſum, quatuor vero anticae antrorſum lunato ſunt. Tam anterioribus, quam poſterioribus commune eſt, in dentes utrinque ad marginem lateralem excurrere duos, compreſſo-ſubulatos, retrorſum tendentes; quorum ſuperior ipſo ex margine ſuturae poſtico producto excurrit; inferior, appendicis inſtar, margini ſuturarum interiori connatus haeret, ſuperiori longitudine ſuppar, et parallelus. Cauda, aut ſegmentum ejus extimum,

mum, ſemiovale, membranaceo-foliaceum, planum, integerrimum, minus, quam foliola illa natatoria, tenerum, imo et rigidiuſculum fere etiam, flexile tamen, et ſemidiaphanum. Ei ad latus utrinque baſeos, mobilis didactylusque affigitur ſtylus dicam? an pinna verius? longitudinem tantillo excedens caudae, verſus eamdem tamen (extra aquam) connivens et retracta, ut lateralem duntaxat illius utrinque ſtringat marginem, lente ſubincurva, manum velut chelatam cancri mentiens; articulo inferiore ſimplice, turbinato, introrſum compreſſo; ſuperiore didactylo; digito exteriore longiore, tereti-ſubulato, obtuſe ſubincurvo; interiore minore, lineari-ovali, plano. Deformem plane pinnam hanc didactylam Aldrovandinus expreſſit, et quod ferendum minus, medio eam lateri folii caudalis (quae ad baſeos verius utrinque latus accubat) appinxit. Stylo ea omnino illi bifurco eſt ſimilis, quem auctum Baſterus, Subſ. II. Tab. 13. fig. 4. lit. c. incidi curavit, ſervireque intra aquam extenſa inſecto videtur, pedis natatorii inſtar, ad remigandum. Pedes univerſim quatuordecim; utrinque videlicet ſeptem, articulis ſex conſtantes; quorum infimus (femur) reliquis omnibus longitudine aequalis, oblongus, introrſum compreſſus; inſequentes parvi, gibbi, inter ſe ſubaequales; extimus ſive unguis, in ſingulis, incurvus, hamato-uncinatus, acutiſſimus, albus. Caput, reſpective, parvum, multoque folio caudali minus, ovatum, planiuſculum, declive; oculis in baſi marginis lateralis ovalibus, ſupra depreſſiuſculis, nigris, griſeo-reticulatis; inferne protuberantibus, albis. Microſcopio ſi oculos hos ſuperne intuearis, ex griſeo albentes dicas, punctisque nigris copioſiſſimis, in quincuncem ordinatis, variegatos. Os inferum, in centro fere clypei, maxilloſum, dentatum. Antennae quatuor, ex infera capitis, ſeu clypei parte, paulo ſupra os, exortae, flaventes, moniliformi-ſetaceae, binis anterioribus paulo brevioribus; omnibus baſin verſus compreſſis; articulis breviores conſtant

octo, ad novem, ſubovato-compreſſis, extrorſum decreſcentibus; poſteriores contra, eaeque longiores undenis, poſt ſeptimum infractae; articulis inferioribus illis ſeptem ſubovato-compreſſis, quatuor vero extimis oblongis, teretibus, magis magisque attenuatis. Reclinare antennas has utrinque, ad infera capitis latera, dum ex aqua educitur, ſolet animal; ſuntque breviores capitis circiter longitudine; longiores vero vixdum primam corporis ſuturam aequantes.

50. *Oniſcus littoreus.*

Oniſcus oblongo-ovalis; antennis quatuor, binis brevioribus; ſuturis octo, dente laterali acceſſorio haud appendiculatis; pedibus quatuordecim ſubulato-uncinatis; cauda cruſtacea, ſemiovata, fornicato-gibba; foliolis ſubtus natatoriis ciliatis decem tecta.

Oniſcus Aſilus. *Poda.* Muſae. Graec. p. 125. N. 1. *Scopoli.* Entom. p. 414. N. 1143.

Vulgatiſſimus in littore ſabuloſo Tergeſtino, alterno maris aeſtu inundato ſub lapidibus. Tactus, in ſphaeram ſe illico, perinde ac Oniſcus Armadillo, conglobat, adeo firmiter, ut quamvis acu transfixus, emoriatur globoſus antea, quam ſe ſe rurſum explicet. Numquam piſcibus affixum (ut priorem ſemper) vidi; intra aquam cum repoſuiſſem plurimos in globum contractos, mox ſe ſe explicuere omnes, et qua data porta extra pelvem (an aquam reſpuentes? cum tamen natatoriis ſub cauda inſtructi ſunt foliolis) diffugere. Hic, ſi quis alius, ſuturis eſt corporis duris cruſtaceis coleopterorum inſtar. Longitudo ſex aut ſeptem linearum; latitudo tum earumdem quatuor. Et huic quoque, ut antecedenti, venter ovalis intra quatuor poſtica pedum paria turgidus, disruptus tandem prolem viviparam edit. Corpus oblongum obtuſe ovale, ſupra convexum, ſubtus concavum. Suturae corporis, praeter caput, et caudam, octo, trans-

transverſe parallelogrammicae, vix poſtice lunatae; dente obtuſiuſculo utrinque ad latera retrorſum excurrentes, nec (ut in antecedente) acceſſorio alio inferne appendiculatae. Ex his anteriores ſeptem, uno ſubtus pedum pari inſtructae; octava (aeque ac reliquae lata) tribus ſupra ſtriis transverſis impreſſis notata, ſimplex quidem, ex quinque tamen tenuiſſimis credi poteſt velut compoſita; quinis etiam ſubtus foliolorum membranaceorum, oblongo-obovatorum, extrorſum longe ciliatorum, alborum, diaphanorum, retrorſum imbricatorum paribus obſita eſt. Sutura haec reapſe caudam inſecti efficit; interim et pro cauda paſſim accipitur ſegmentum, corpus poſtice terminans, quod cum in Oniſco Aſilo foliaceum ſemiovale et planum eſt, in hoc contra ſemiovatum cruſtaceum durum fornicato-gibbum, margine laterali baſin verſus utrinque non nihil retuſum, duplo minimum ſingulis reliquis ſuturis majus latiusque, apice obtuſum. Adſtat ſegmento huic caudali, ad baſeos utrinque latus, ſtylus, ſeu verius pinnula, manus, aut chela mobilis didactyla natatoria, cujus pars, aut articulus inferior parvus, craſſiuſculus, ſubovato-compreſſus; ſuperior contra duplicatus, id eſt didactylus eſt, digitis aequalibus oblongis lanceolatis, extus convexiuſculis, introrſum planis, et pro lubitu ad ſe mutuo apprimendis, ut unius inſtar, mutuo ſibi ſuperincumbant. Mobiles has, didactylasque pinnulas, ita cum volet, verſus retuſa ſegmenti caudalis latera retrahere poteſt Oniſcus hic, ut ne appareant extus quidem, et caudam quisque ambitu ſemicircularem dicat. Caput transverſe parallelogrammicum, duplo, quam longum, latius; ſuturis corporis anguſtius, intra anticam defoſſum, truncatum; oculis ad latera baſeos magnis, ſphaeroidicis, nigris, albido-reticulatis; ore infero centrali maxilloſo-dentato. Antennis in acie marginali antica approximatis, quaternis, ad latera corporis reclinandis, flavis; binis intermediis duplo brevioribus; exterioribus, ſimulque paulo inferioribus, longitudine duarum

 ſutu-

ſuturarum primarum corporis. Omnibus moniliformi-ſetaceis, teretibus; longioribus, ex articulis viginti; talibus omnino, ut eas Baſterus in Oniſco Entomone Lin. Subſ. II. Tab. 13. fig. 2. Item fig. 3. lit. B. propoſuit, quarum articuli duo infimi, parvi, craſſi, ſubovati; bini inſequentes obovato-oblongi, reliquis longiores; extimi ſexdecim, non exigui ſolum, ſed magis identidem, magisque decreſcentes, microſcopicis adſperſi villulis. Brevioribus contra ex articulis quatuordecim; primo brevi craſſo ovato; inſequente reliquis longiore obovato; tum duodecim exiguis, extrorſum decreſcentibus. Pedes univerſim quatuordecim; utrinque nempe ſeptem; anterioribus brevioribus. Omnes ex articulis ſex, ciliis adſperſi; tarſo oblongo; ungue ſubulato-ſubincurvo apice atro, nec hamato-uncinato. Color corporis in plurimis aquoſe griſeus, atomis nigricantibus in ſupera convexa parte adſperſus. Plures tamen etiam habui ſaturato cerae flavae colore, tum et ferrugineo-fuſcos.

51. *Monoculus roſtratus.*

Monoculus teſta membranacea, obovata, ad latera utrinque deflexa, antice roſtrato-triloba, poſtice emarginato-biloba; cauda elongata, recta, tereti, ſemibifida, laciniis, antennisque biſetis.

Cancer bipes? *Fabric.* Faun. Groenl. p. 246. N. 223. Tab. I. fig. 2. indubie.

Intra ramulos Alcyonii gelatinoſi, L. Garofoli di mare, Tergeſtinis piſcatoribus dicti, tum et in adhaerente ei limoſo maris ſedimento, plures diverſae magnitudinis, una cum Nereide cirroſa, inveni. Longitudo plus quam dimidii pollicis; craſſitudo corporis (dempta teſta, ad duas fere utrinque dependente lineas) unius lineae. Inſectum totum album, cum dilutiſſima interdum roſei tinctura, transparens, ſubpellucidum, laevigatum, nitens, teretiuſculum, oblongum;

gum; antice tectum clypeo, ſeu teſta membranacea, tenerrima, rigidiuſcula, transparente, pellucida, concolore, laevigata, nitente, oblongo-obovata, utrinque ad latera deflexa, laxe corpus anticum obvolvente, dorſo tamen non in carinam, ſeu aciem compreſſa, verum longitudinaliter teretiuſcula, poſtice biloba, id eſt emarginatura ſat profunda exciſa, lobis rotundatis integris, antice contra roſtrato-triloba, lobis lateralibus duplo brevioribus, rotundatis, deflexis, intermedio autem longiore, capiti ſuperincumbente, inſtar roſtri porrecto, anguſtiore, lineari, obtuſo, ſupra teretiuſculo, ſubtus concavo-canaliculato. Oculi omnino duo, (ad Binoculos eapropter revocaret Geofroy) diſtantia roſtri ab invicem ſejuncti, et quidem ut in Cancris pedunculati ex uno velut puncto ſub teſta antica exorti, et divergentes, proſpicientes utrinque inter lobum quemque lateralem teſtae, et baſin intermedii, ſeu roſtri, apice convexi, et atri. Cauda ultra teſtam poſtice exſerta, elongata, teres, magis, magisque attenuata, ex ſuturis ſex, ſeptemve annularibus compoſita, recta, alba, transparens, apicem verſus ſemibifida, laciniis tereti-ſubulatis, antennaeformibus, ſingulis capillaribiſetis. Antennae duae, ſub oculis exortae, teretiuſculae, attenuatae, moniliformi-articulatae, articulis binis inferioribus parvis craſſiuſculis, inſequente non nihil longiore, ſetis capillaribus binis inaequalibus terminato; exteriore duplo breviore; interiore dimidiam fere teſtae longitudinem aequante. Pedes univerſim octodecim; ex his bini jugulares ſeu antici, pone caput inferum exorti, reliquis longiores, ſimiles pedibus poſticis Phalaenae alicujus Tineae, articulis binis inferioribus, nempe femoribus tibiisque oblongis; extimo ſeu tarſo attenuato pluribus ex annulis microſcopice ciliatis compoſito. Tum tres utrinque ventrales, ad ſaccum ſcilicet ventris (intra quem ovula globoſa rubra conſpexi) accubantes, breviſſimi, ſub teſta media. Anales denique utrinque quinque, ſub poſtica teſta, ante caudae ini-

initium, retrorſum verſi, natatorii, articulis binis inferioribus oblongis, aequalibus, compreſſis, extimo attenuato, moniliformi-ſetaceo, ciliis longiuſculis obſito; et hi quoque ultra teſtae latera poſtica elongati. Maturis ovulis, diſruptoque ventre, vivos parit foetus.

52. *Cancer Pulex.*

Cancer macrourus incurvus articularis compreſſus; pedibus quatuordecim; anticis duorum parium ſubcheliformibus, retractili-uncinatis; ſtylis caudae bifurcis trium parium.

Cancer macrourus articularis, manibus quatuor adactylis, pedibus decem. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1055. N. 81. *Röſel.* Inſ. 3. Supl. Tab. 62. *Baſter.* Subſ. II. p. 31. Tab. 3. fig. 7. *Geofr.* Inſ. II. p. 667. N. 2. Tab. 21. fig. 6. *Friſch.* Inſ. T. 7. p. 26. Tab. 18. fig. 1. *Scopol.* Ent. N. 1137.

Squilla Pulex. *De Geer.* Inſ. 7. p. 193. N. 4. Tab. 33.

Oniſcus Pulex. *Fabric.* Faun. Groenl. p. 254. N. 231.

Cancer Locuſta. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1055. N. 82. *Scopol.* Entom. p. 411. N. 1136.

Vulgatiſſimus ad maris littora ſub lapidibus; adhaerens etiam paſſim Fucis Ulvis Spongiis. In dulcibus item fluviorum lacuum ſtagnorum aquis frequentiſſimus. Non differt Cancer Linnaei Scopoliique Locuſta, ab eorumdem Cancro Pulice ſpecifice. Magnitudine, colore, etc. variat admodum. Vidi aquoſe virentem, excolorem alias, et transparentem, nunc album, jam et aquoſe fuſceſcentem, ſubnigricantem interdum etiam; communiter aquoſe griſeſcit; exſiccatione plus minus flavens ſemper. Nunc non niſi tres quatuorve lineas eſt longus; alias octo, decemve, pollicaris

ris reperitur etiam, ac cum proportione magis, minusve corpulentus. Bini quoque extimi caudae ſtyli longiores quandoque, alias contra adeo parvi, ut vixdum liberis videantur oculis, et duo tantum eorumdem paria, pro tribus, adeſſe credantur. Ex quo forſan praecipua Locuſtam inter et Pulicem deſumpta fuerit diverſitas? Corpus anomalo huic Cancro eſt oblongum, ſemitereti-compreſſum, lunato-incurvum, nudum, laeve, nitens, ſemidiaphanum, articulare; conſtans capite absque thorace, tum ſuturis quatuordecim, utrinque ad latera deflexis; quarum anteriores, ſeptem abdominis, longius tantiſper utrinque procurrentes, marginibus lateralibus rotundatae; poſteriores ſeptem caudae, magis, magisque attenuatae, caudam formant longiuſculam, incurvam, apice acutiuſculam, ſurſumque ſubrecurvam; dorſo caeterum, longitudinaliter convexum ſeu teretiuſculum eſt corpus, ſubtus concavo-canaliculatum. Caput inflexum, oblongum, declive, fronte longitudinaliter convexa, compreſſum, os verſus obtuſum, nec roſtratum; oculis binis, oblongo-ovalibus, atris, nitentibus, ad ſumma capitis latera, inter ſuperiores, et inferiores poſtice antennas, ſitis. Antennae duorum parium, ſeu quatuor, ex ſummo frontis vertice, antrorſum porrectae et incurvae, ſetaceae, paribus approximatis; ſingulis quadriarticulatis; ſuperiores longiores, tertiae parti corporis ſubaequales; articulis tribus inferioribus craſſioribus, teretibus, inaequaliter oblongis, ramulo laterali moniliformi-ſetaceo ad apicem appendiculatis; articulo extimo reliquis omnibus longiore moniliformi-ſetaceo, ciliis adſperſo. Inferiores breviores, non nihil ſuperioribus craſſiores, iis caetera ſimillimae, dempto ramulo laterali. Os inferum, maxilloſo-dentatum. Palpi duo, os verſus porrecti, articulati, apice uncinati. Pedes quatuordecim, utrinque ſeptem, ſub ſuturis abdominalibus, quorum quatuor antica paria antrorſum-tria vero poſtica, eaque longiora, retrorſum verſa. Prima omnium duo paria bre-

breviſſima, quadriarticulata, articulo extimo ſubcheliformi, tumidiuſculo, ovato, extrorſum compreſſo, apice ungue hamato-uncinato retractili armato; binis inſequentibus paribus ſexarticulatis, articulis oblongis, inaequalibus, extimo in unguem ſubulatum abeunte. Tribus denique poſticis paribus, et ipſis ſexarticulatis, articulis oblongis, tereti-compreſſis, femoribus ſolis incraſſatis, ovato-oblongis; ungue extimi ſubulato. Pedes omnes per latera ciliati. Suturae tres caudae anteriores ſingulae ſubtus pari pinnularum pediformium, teretium, ſemibifidarum, brevium inſtructae; extimae contra itidem tres, et ipſae quoque ad lateralem utrinque marginem pinnula pediformi natatoria terete bifurca longiuſcula retrorſum verſa, et velut adſcendente, ciliisque adſperſa, inſtructae.

53. *Cancer Locuſta.*

Cancer macrourus, thorace aculeis antrorſum verſis obſito, in roſtrum antice, ſub facie retuſa aculeata, acuminatiſſimum excurrente; pedibus muticis, tereti-compreſſis; manibus triquetro-prismaticis, aculeatis, absque chela didactylis.

Locuſta marina. *Aldrov.* Cruſt. p. 102. *Jonſton.* Exſang. p. 15. Tab. 2. f. 1.?

Locuſta Carabus. *Geſn.* Cancr. p. 126.

Non aliter, quam duorum florenorum pretio hunc mihi Tergeſtino in foro Cancrum piſcator vendidit Rovignenſis; omnium, quos adhucdum viderim Cancrorum maximum; Nobiliſſimorum in epulis expetitum. De vernaculo interrogatus nomine? piſcatores inter, repoſuit, vocari Agoſta, id eſt L'Agoſta. Non vero, ut Latini, ſecundam vocis iſtius ſyllabam, piſcatores quoque Italici, prolongata efferunt enunciatione; dactyli imo vero ad inſtar, poſitionem non mo-

morantes, breviter eamdem pronunciant; quod, ne a piſcatoribus forſan non intelligamur, adnotaſſe opus eſſe credidi. Quis autem, vel me tacente, ipſo ſolum ex nomine, ſimilitudinem non agnoſcat inter L'Agoſta, et Locuſta? Notiſſima apud veteres ſcriptores Locuſta marina, numquam non inter Cancros recenſita eſt; et dubitabimus apud Ligures, Mediterranei maris accolas, finitimasque Italiae nationes, idem ejusdem Cancri nomen, ut ut corruptum, perſiſtere ad noſtra usque tempora potuiſſe? At nil de peculiari hac Cancri ſpecie recentiores Entomologi! niſi quidem cum C. Hommaro L. conjunxerint? a noſtro hoc, notis Linnaeanis pluribus, ſpecifice differente. Et quis ex ingenti verborum chaos Aldrovandini, aliorumque Veterum, niſi Locuſtam marinam ipſe viderit, de ea certitudinis eruat aliquid? Linnaeus tamen Locuſtae inter Cancros nomen retinere volens, in eo duntaxat infelicior, quam minus dexter fuit, quod, ut jam cum Pallaſio oſtendit Fabricius, ſpecificum hocce nomen, non tam peculiari Cancri alicujus ſpeciei, quam exiguae verius Cancri Pulicis varietati attribuerit; quod cum minus factum ſit recte, veramque Veterum jam teneamus Locuſtam marinam, ejus hic quam exactiſſimam dare placuit deſcriptionem: Eſt Cancer Locuſta ipſo Linnaei Gammaro major. Longitudo thoracis una cum cauda ad ſemitertiam protenſa ſpithamam, octodecim fere attingit pollices. Antennae ſuperiores (quatuor enim habet) corporis fere totius longitudine, et ipſae quoque duabus longiores ſpithamis. Thorax cylindraceo-ſubcordatus, validum antice in roſtrum procurrens, obſcure ex violaceo niger, totus ſuperne tuberibus antrorſum aculeatis, inaequalibus, craſſis, fere et ſeriatis, obſitus; fronte inter oculos (quae roſtro tantiſper altior, eidem imminet) latiuſcula, retuſa, lunato-emarginata; acie emarginaturae aculeis utrinque quinque dentata; quorum extimus ad utrumque latus maximus, aſſurgentem et alium ſub ſe majuſculum, ac ſubcompreſſum

habet aculeum. Roſtrum ſub media frontis elatioris emarginatura depreſſum, iſoſcelico-trigonum, planum, nullisque ad latera inciſum dentibus, antrorſum procurrit acuminatiſſimum. Oculi oblique proſtantes, pedunculati, apice convexi, atri, nitentes; pedunculo albo, violaceoque vario. Antennae quatuor, tereti-ſetaceae. Superiores longiſſimae, digiti auricularis ad baſin craſſitudine, alternatim dilute rubentes, obſcureque violaceae, circellis non tot, quin pluribus, magis magisque attenuatis, annulatae, (nec, ut in Hommaro, verticillatim ſpinoſae) fulcro duntaxat baſeos aculeis ad latera exſtantibus, munito. Inferiores ſuperioribus ſimillimae, triplo tamen breviores, inermes et ipſae, ſimplices, nec ſemibifidae, atque una cum palpis, reliquisque oris tentaculis, ſive inſtrumentis, rubrae. Pedes utrinque quatuor (univerſim octo) rubri, ad latera ſolum nigroviolacei; articulis tribus oblongis, tereti-compreſſiuſculis, laevibus, muticis, intermedio duplo breviore, extimo villis hirto; ungue apicis ſimplice, ſubulato, laevi, nigricante. Brachia, ſive manus duae, pedibus breviores, ſed multo craſſiores, ad antica thoracis latera rubrae, articulis tribus, intermedio breviore, omnibus priſmaticis, triquetro-compreſſis, extrorſum aculeatis, margine lateris exterioris ſerrato-aculeato; omnibus praeterea apice, ad juncturam ſcilicet cum inſequente, aculeis tribus exſtantibus. Carent brachia haec, ſeu manus, communi cancrorum chela, nec tamen propterea, ut in Hommaro, adactylae, ejus enim loco, extimus earumdem articulus, binis praeciſe digitis, triquetro-ſubulatis, ad ſe mutuo longitudinaliter obtuſiſſime ſubincurvis, acuminatis, laevibus, forcipis inſtar, inſtruitur; exteriore duplo longiore. Venter ſub thorace, intra pedes, profunde introlabens, et concavus, circumſcriptione obtuſe ſubcordatus, tuberibus obtuſis albis, in quinque transverſas lunulas retrorſum concavas, et parallelas ſeriatis muricatus. Cauda longa, minimum ſpithamea, corpulenta, ſupra ſemi-

cylin-

draceo-convexa, laevis, nigro-violacea, punctulis albidis varia; ſuturis conſtat ſex, ſingulis poſtice ſulco transverſali exaratis; ſingulisque in medio lineolis duabus transverſis, in directum jacentibus, maculaque praeterea laterali utrinque majuſcula albentibus notatis; ſingulis denique et margine laterali utrinque, aculeis ſubquaternis, uno reliquis majore obtuſiuſculo, armatis. Pinna caudae extima foliis cruſtaceis magnis obovatis planis quinque, ſaturate, ſimulque obſcure rubris, ſuperne longitudinaliter multas per ſeries, ſpinulis acicularibus, retrorſum oblique erectis obſitis terminata. Eadem cauda ſubtus ſaturate rubens, laevis, articulis quatuor intermediis, ſingulis pari pinnularum natatoriarum magnarum ovatarum planarum integerrimarum laevium ſaturate rubrarum inſtructis; inter quas ovula affiguntur in ſexu altero. Caro caudae, artuumque duriuſcula, ſapida, nihilo inferior ea Cancri Gammari, et fere pretioſior.

54. *Cancer norvegicus.*

Cancer macrourus thorace ſupra tomentoſo; antice antrorſum aculeato, poſtice carinis tribus elevatis longitudinalibus ſubprismatico; manibus oblongis, tetragono-prismaticis; angulis ſerrato-ſpinoſis.

Cancer macrourus, thorace antrorſum aculeato, manibus priſmaticis, angulis ſpinoſis. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1053. N. 73. *Fabric.* Faun. Groen. p. 242. N. 219. *De Geer* Inſ. Tom. 7. p. 154. N. 3. Tab. 24. f. 1.

Aſtacus mediae magnitudinis prior. *Aldrov.* Cruſt. p. 113.

Vocaverunt Tergeſtini piſcatores: Scampo. Hic pro ratione aetatis minor, aut paulo major, quam Cancer Mantis. Totus ſuperne dilute ruber, ſubtus, pedibusque albus.

 Thorax

Thorax de more macrourorum cordatus quidem, ſed in cylindrum velut convolutus; id eidem peculiare, quod poſterior ejus pars ſuperne tribus longitudinalibus aequidiſtantibus carinis elevatis percurſa, ſemipriſmatica velut ſit; carinis lateralibus antice aculeo ſpinoſo, brevi, antrorſum verſo, armatis, intermedia vero binis. Anterior contra pars iiſdem quidem et ipſa carinis percurſa, ſed humilioribus, minusque bene diſtinguendis, at ſimul etiam aculeis ſpinoſis ſeriatis antrorſum verſis tribus, quatuorve munitis. Latera praeterea thoracis antica, in poſtica oculorum circumferentia aculeis ſpinoſis binis utrinque obſita. Etſi vero thorax quantus quantus eſt, ſuperne rubellus ſit, ob tomentum tamen breviſſimum, denſiſſimumque, et byſſino-caneſcens, aquoſe et ipſe canus, et opacus videtur, incarnata duntaxat rubedine transparente. Exit antice thorax in roſtrum oſſeum ſubulatum anguſtum longum album apice aculeatum et rubens, longitudinaliter ſupra canaliculatum marginibus exſtantibus, ſpinis aculeatis tribus utrinque dentatis; ſubtus ſub apice aculeo ſpinoſo breviore antrorſum verſo, munitum. Oculi ad latera baſeos roſtri exſtantes magni, baſi connati, vix pedunculati, craſſiſſimi, convexi, atri, nitentes, ſuperne macula ſemiorbiculata albida notati. Antennae utrinque duplicatae (ſimul quatuor) plus minus pollicares, ex rubro fuſceſcentes, annellis copioſiſſimis compoſitae ſetaceae; ſuperiores paulo longiores, et compreſſiuſculae. Cauda thorace longior, dilute rubra, ſuturis laevibus nitentibus, ſingulis ſulco utrinque transverſo, laterali, humili, byſſino-tomentoſo, albido-caneſcente. Pinna caudae extima pentaphylla, foliolis per oras piloſo-ciliatis. Pedes utrinque quatuor (ſimul octo) graciles, teretiuſculi, albi, laeves; ex his duo anteriores utrinque apice chelati, chelis albidis didactylis anguſtis; bini contra poſteriores utrinque apice unguiculati, ungue ſimplice acuto, obtuſe ſubincurvo. Brachia ſive manus binae, thorace, caudaque ſimul longiores, ſuperne

ſuperne dilute rubrae, ſubtus albae, articulis craſſioribus, oblongis, laevibus, triquetro-compreſſis, per angulos aculeato-ſpinoſis, apice cheliferis; chelis ſesquipollicaribus, et ultra, oblongis, aequabilibus, tetragono-prismaticis; angulis bifidis, duplicato ſerrato-dentatis; dentibus ſpinoſo-aculeatis; lateribus ſuperioribus byſſino-tomentoſis; inferioribus glabris. Chela quaevis didactyla, digitis longis, triquetro-ſubulatis, apice acuminatis, acuminibus ad ſe mutuo incurvis, introrſum longitudinaliter ſpinoſo-denticulatis.

55. *Cancer Gammarus.*

Cancer macrourus thorace laevi; roſtro acuminato-triangulari, lateribus dentato, baſi gibbo, dentibusque utrinque binis ſtipato.

Cancer macrourus, thorace laevi, roſtro lateribus dentato, baſi ſupra dente duplici. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1050. N. 62. *Baſter.* Subſ. II. p. 6. Tab. 1. fig. 1. 2. 3. etc. *Fabr.* Faun. Groenl. p. 236. N. 215. *Scopoli* Entomol. Carn. p. 407. N. 1127.

Aſtacus verus. *Aldrov.* Cruſt. p. 112. *Jonſt.* Exſang. p. 17. Tab. 2. fig. 2.

Sub Aſtiſche nomine notiſſimus in univerſo littorali. Magnitudine certat cum Cancro Locuſta; major, minorve alias pro aetatis diverſitate. Thorax ſubcordatus in cylindrum convolutus, antice non nihil attenuatus, in roſtrum denique acuminatum abiens; ſulco humili a roſtri apice ad caudam uſque longitudinaliter exaratus; foveolis admodum exiguis confertiſſimisque, pororum inſtar, undique obſitus; caeterum laevis; coloris ſupra, perque latera, primum eleganter caerulei, tum ex caeruleo (per maculas) ſenſim nigreſcentis, maculisque aliis inordinatis albentibus ſparſis, varius. Roſtrum iſoſcelico-triangulare, baſi ſuperne convexo-

vexo-gibbum, inde apicem verſus declive, planum, in ſpinam ſolidam rectam deſinit; ſubtus copioſe villoſum; marginibus laterum dentatis; dentibus utrinque quaternis. Baſin roſtri ſpinoſus utrinque ſtipat dens, pone quem lunaris oculorum ſinus introlabitur, ſpinoſo itidem utrinque armatus dente. Oculi brevi, craſſoque, et in omnem partem mobili inſiſtentes pedunculo, magni, convexi, atri, nitentes, macula ad periphериam ſuperiorem alba notati, ſi quidem microſcopio aſpiciantur, ſubtiliſſime reticulati videntur. Antennae duae corporis totius, una cum cauda, longitudine, tereti-ſetaceae, annellis non tot, quin pluribus, magis, magisque attenuatis conflatae, validae, lentae tamen, et flexiles, coloris rubri, alterneque ex rubro nigricantis; baſi inſiſtunt craſſae, teretiuſculae, aculeis binis ſpinoſis divergentibus armatae. Antennas has inter, altiore nihilominus tantisper loco, duae praeterea (ut in C. Locuſta) eaeque non ſimplices, verum duplicatae, ſeu ſemibifidae antennulae dicam? an tentacula antennaeformia? occurrunt antica in facie; hae et colore, et ſtructura reliqua antennis ipſis quam ſimillimae (ut quatuor admittere poſſis antennas) multo iisdem tamen breviores, ac ſubtus piloſo-ciliatae ſunt; laciniis in unaquavis inter ſe inaequalibus. Os inferum, labia, maxillae, palpique per oras ciliati, de more gentis. Cauda ſpithamam longa, corpulenta, ſuperne convexa, laevis, ſuturis ſenis, una cum pinna terminali flabelliformi, pentaphylla, eleganter caerulea, et ex caeruleo nigricans, punctulis ad latera albidis varia. Lobi, ſive folia pinnae caudalis cruſtacea, obovata, integra, plana, natatoria, margine (ut et oris lateralibus ſuturarum) piloſo-ciliata; extimis utrinque duobus baſi unitis. Suturae poſteriores quinque ſubtus, ſingulae duabus diphyllis pinnulis, ovalibus, planis, margine piloſo-ciliatis, natatoriis ſimul, et ad ovula, ne dilabantur, retinenda, inſtructae. Pedes utrinque quatuor (univerſim octo) craſſitudine digiti auricularis, teretes,

ſex

ſex conſtantes inaequaliter oblongis articulis, corpori concolores, laeves, villis tamen adſperſi; horum duo utrinque anteriores chela apice didactyla, ovato-attenuata, recta, villoſo-hiſpida, duo contra poſteriores, chelarum loco, ungue ſubulato, ſimplice, ex villis pariter hiſpido, inſtructi ſunt. Brachia ſive manus, antice duae, magnae, fortes, multo pedibus craſſiores, laeves, ſexarticulatae, articulis tereti-anguloſis, inaequalibus, aculeis ſpinoſis rariter ſparſis, obſitis, apice chelatis; chelis maximis, ovato-inflatis, laevibus, didactylis, latere interiore compreſſiuſculo, quadridentato, dentibus ſpinoſis, antrorſum ſubincurvis; digito forcipis utroque (mobili nempe et fixo) teretiuſculo, ad ſe mutuo tantiſper ſubincurvo, latere interiore gibberibus inaequalibus, obtuſis muricato. Corpus ſubtus albidum, maculis vireſcentibus ſparſis varium. Caro duriuſcula, ſapida, multis expetita.

56. *Cancer Aſtacus.*

Cancer macrourus, thorace laevi, roſtro lateribus dentato, baſi utrinque dente unico. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1051. N. 63. *Geofr.* Inſ. II. p. 666. N. 1. *De Geer.* Inſ. 7. p. 142. N. 1. Tab. 20. et 21. *Röſel.* Suppl. Tab. 55. et ſeq. *Scopoli* Entom. Carn. p. 407. N. 1128.

Aſtacus fluviatilis. *Aldrov.* Cruſt. p. 129. *Jonſt.* Exſang. p. 18. Tab. 3. et 4. fig. 1.

Communis in omnibus fluviis et rivulis auſtriaci littoralis; vocant Gambaro. Color ex olivaceo virore niger. Thorax laevis, ſubcordatus, in cylindrum, antrorſum conico-attenuatum, convolutus, roſtro terminatus acutiſſimo, iſoſcelico-triangulari, depreſſo, longitudinaliter ſulcato, dente laterali utrinque (ſub apice) inciſo, ſimplice, et acuto; tum baſi, itidem utrinque ſupra oculos dente altero

cuſpidato. Oculi pone roſtrum ad latera thoracis, ex infera parte corporis, hemiſphaerico-convexi, atri, nitentes, per microſcopium ſubtiliter reticulati, pedunculo oblongo, tereti, et mobili connati; ſub quibus antrorſum porrectus aculeus ſubtriqueter, concavo-convexus, acutiſſimus, baſi articulatae bicuſpidatae inſiſtens, lateribus villoſo-ciliatus. Antennae oculis anteriores, ex infera itidem corporis parte exortae, tereti-ſetaceae, corporis totius, una cum cauda, longitudine, circellis copioſiſſimis annulatae, duae; baſi inſiſtentes tereti, triarticulatae. Tentacula bina, contigua, duplicata, ſeu ſemibifida, antennaeformia (alius antennas ſecundarias, ut in Locuſta, dicat) tereti-ſetacea, circelliſque annulata, intra antennas (primarias) iisdem anteriora, multo tamen breviora, caeterum ſimillima. Os inferum, pone antennas, maxillis denticulatis inſtructum binis, oſſeis, palpiſque articulatis compreſſis, per margines piloſo-ciliatis, non chelatis. Membra praeterea bina, pedum aemula, iisdem graciliora, minoraque, antrorſum porrecta, medio inter os et brachia loco ſita, teretia, inaequaliter quadriarticulata, lateribus villoſo-ciliata, cuſpidula apice inſtructa ſimplice; an et haec, palpi? Cauda longa, reliquo corpori ſubaequalis, ſupra convexa, laevis, ſuturis quinque (infima duplicata,) ad latera exſtantibus, apice pinna natatoria pentaphylla inſtructa; foliolis cruſtaceis, planis, obovatis, margine piloſo-ciliatis; binis utrinque lateralibus baſi unitis; intermedio ad latera utrinque circa medium cuſpidulis binis munito. Suturae caudae ſubtus ſingulae, praeter primam, pinnulis? binis teretibus, apice bifurcis, ad ſe mutuo incurvis, quibus ovula in foemina adhaerent; an et natatoriis? Pedes octo, utrinque quatuor, aequales, teretes, nudi, articulis inaequaliter oblongis ſex compoſiti; primis utrinque duobus apice ſubchelatis, verius didactylis, digitis acuminatis, ad ſe obtuſe conniventibus villoſulis; poſterioribus utrinque binis apice ungue ſubulato villoſulo ſimplice.

plice. Brachia, ſive manus chelatae, pedibus craſſiores, articulis quinque inaequalibus angulatis ſubcompreſſis, perque angulos ſerrato-dentatis, et chela terminali conſtantes. Chela oblongo-ſubovata, tumida, latere interiore compreſſa, et longitudinaliter ſerrulata, tuberculis undique obſita, apice didactyla; digitis oblongis, ſubaequalibus, triquetro-ſubulatis, per angulorum oras ſerrulatis, apice acuminato-ſubincurvis, exteriore fixo, interiore mobili.

57. *Cancer Squilla.*

Cancer macrourus, thorace laevi; roſtro ancipiti-ſubulato, ſupra infraque ſerrato-dentato; pedibus duodecim, ſecundo tertioque pari breviter chelatis.

Cancer macrourus, thorace laevi; roſtro ſupra ſerrato, ſubtus tridentato, manuum digitis aequalibus. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1051. N. 66. *Fabr.* Faun. Groenl. p. 237. N. 216. *Scopoli* Entom. Carn. p. 408. N. 1129.

Squilla fuſca. *Baſter.* Subſ. II. p. 30. Tab. 3. fig. 5. etc.

Squilla gibba Rondeletii. *Aldrov.* Cruſt. p. 151. Item Squilla gibba Zoographi. *Aldrov.* p. 152. *Jonſton.* Exſang. p. 22. Tab. 4. fig. 5. et 10. *Geſner.* p. 127. b. et p. 128. anterior.

Maxima hic in copia divenditur piſcatorio in foro quotidie ſub nomine Gambarello. Ejus hiſtoria nondum ſatis elucidata. Veteres cum Grangone confudiſſe, aut permiſcuiſſe ſaltem, videntur. Cancellus hic communiter digiti auricularis longitudine, minor alias, quandoque et parumper major, ſemper cauda baſin verſus incurva, ſive gibba, extra aquam ſaltu ſe elibrans dum contingitur. Eſt vero totus cruſta tectus tenera, rigidula tamen, albido-ſubgriſeſcente, cum levi incarnatae rubedinis tinctura, atomisque (certis

 ſaltem

ſaltem temporibus) obſcurius rubentibus punctulata; aquoſe poſt mortem liveſcente, venisque vagis ſaturatioribus per thoracem percurſa; communiter plus minus transparente, ſeu ſubdiaphana. Thorax laeviſſimus, nitens, oblongus, ſubcordatus, in cylindrum, antice conico-attenuatum, convolutus, roſtro terminatus oſſeo, porrecto, ancipite, ſubtetragono-ſubulato, apicem verſus adſcendente, carinis lateralibus humilibus, muticis; dorſali contra, eique oppoſita infera, compreſſo-alatis, et antrorſum ſerrato-dentatis; ſerrae dentibus acutis, ſuperne a quinque ad octo, inferne plerumque tribus, ab invicem remotis; tamen et quinis, dum ſupra octo numerantur. Aculei praeterea breves cuſpidati ad antica thoracis latera ſub oculis utrinque duo, rarius unicus modo. Oculi ad latera baſeos roſtri proſtantes, atri, convexi, nitentes, longiuſcule pedunculati; pedunculo terete, aequabili, laevi, albo, antrorſum porrecto. Antennae duae ſub oculis, tereti-ſetaceae, circellis annulatae plurimis, corpore toto cum cauda, longiores, baſi inſiſtentes ex articulis teretiuſculis tantillo craſſioribus duobus, tribusve compoſitae. Tentacula bina (pro antennis ſecundariis alius habeat) antennis paulo altiora, ſingula plerumque biſeta, interdum etiam triſeta; ſetis rubentibus antennaeformibus, ex circellis pariter copioſiſſimis annulatis, multo tamen, quam antennae, brevioribus; et haec quoque baſi inſiſtunt ex articulis binis teretibus craſſioribus compoſitae. Os inferum maxilloſum palpigerum. Tentaculis accubat ad latus externum lamina membranaceo-folioſa elliptoidica, apice villis ciliata, latere exteriore unidentata. Pedes utrinque ſex (univerſim duodecim) graciles, teretes, albidi, ſemidiaphani, articulati, laeves. Ex his primum par reliquis brevius, apice unguiculo parvo ſimplice terminatur. Secundum par, poſticis longitudine aequale, apice chela didactyla exigua villoſula inſtruitur. Par tertium reliquis omnibus longius cum chela terminali didactyla oblonga villoſula. Tria

poſte-

poſteriora paria aequilonga, primis duobus pedum paribus, non item tertio, longiora, apice unguiculo ſimplice terminata. Alias etiam ſeptem pedum paria numeravi. Digiti chelularum, ubi occurrunt, breves, oblongi, recti, aequales. Cauda longa ſubcompreſſa, apicem verſus magis magisque attenuata, obtuſe incurva, baſi gibba, ſupra longitudinaliter teres, ſeu convexa, laevis; ſubtus canaliculata, ſuturis quinque, ſub quibus pinnularum pediformium bifurcarum brevium paria quinque. Apex caudae pinna natatoria pentaphylla terminatur: foliolis utrinque binis lateralibus planis oblongo-ovalibus, ſemidiaphanis, per oras piloſo-ciliatis, rachi longitudinali craſſiore percurſis, baſi unitis; extimo praeterea utrinque latere exteriore bidentato, denticulis ab invicem remotis, parvis, acutis. Foliolo intermedio pinnae caudalis oſſeo, ſubtriquetro-pyramidali, ſupra teretiuſculo, tribusque denticulorum acutorum paribus obſito, ſubtus canaliculato; apice obtuſe acutiuſculo, quinquedenticulato, denticulis porrectis brevibus, et aequalibus, qui utrinque extimi, et intermedius, duplo contra longioribus binis illis, qui cum tribus praedictis alternant.

58. *Cancer Bernhardus.*

Cancer macrourus paraſiticus, thorace antice obtuſiuſculo ſubtruncato; Chelis muricatis, ſubpiloſis, dextra majore.

Cancer macrourus paraſiticus, chelis cordatis muricatis, dextra majore. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1049. N. 57. *Baſter.* Subſ. I. p. 74. Tab. 10. Fig. 3. et 4. *De Geer.* Inſ. 7. p. 156. N. 4. Tab. 23. fig. 5. 6. 7. etc.

Cancellus. *Aldrov.* Cruſt. p. 215. fig. p. 218. *Jonſton.* Exſang. p. 31. Tab. 7. f. 6. 7. *Geſner.* p. 123.

Duos ego in Adriatico ad Tergeſtum mari, ſpecie inter ſe diverſos, ejusmodi paraſiticos frequentiſſime vidi cancel-

los; faceto, cumprimis intra aquam marinam, dum vivunt, ſpectaculo. Utrumque absque diſcrimine piſcatores Gambarudula vocant. Diverſitatem, ut ut attentiſſime inquirerem, aliam non inveni, quam in manuum chelis, et thoracis ſtructura. Horum uni, quem cum Linnaeo Bernhardum dico, dextra manus major, thorax vero antice obtuſiuſculus, rotundatus, fere truncatus, et muticus eſt; cum alteri, quem cum Linnaeo itidem, Eremitam dicere placuit, ſiniſtra contra manus major, atque thorax antice breviter ſubtrilobo-roſtratus, eſſe ſolet. Certe de Cancro Diogenes Linnaei, ne cogitare quidem fas eſt, tum quod Americanus, et Aſiaticus eſt, tum vero maxime, quod venenata forcipum compreſſione nocivus; dum tamen noſtri absque noxa manibus tractantur. Sunt ii, dum perſtat vita, uterque coloris maximam partem aquoſe triſteque olivaceo-ſubnigricantis, (poſt mortem rubri) unum, aut et ſemialterum longi pollicem, quales utplurimum hocce in littore intra teſtas pertinaciſſime hoſpitantur aut Muricis trunculi, aut Strombi tuberculati. Intra teſtas autem Buccinorum Echinophori, Doliique Linnaei (quamquam adſunt) nondum conſpexi; forſan, quia nondum adultae ſatis aetatis? Alienam porro, quam furtive ſemel ſubintravere domum, omni deinceps vitae tempore haud deſerunt, niſi dum adultiores facti, cum ampliore permutent. Cauda poſtremisque quatuor et minoribus pedibus intra teſtam latitantes uterque, quatuor et minoribus pedibus intra teſtam latitantes uterque, antico duntaxat corpore per aperturam ex parte proſtant porrectis parallele antrorſum, praeter chelatas manus, antennasque, anterioribus quoque quatuor, iisque longioribus pedibus; adeo meticuloſi, inermique ſuae, et molli conſulentes caudae, ut ad minimum tactum, ſtrepitumve, et fere halitum etiam, illico velociſſimeque toti intra miſeram ſuam ſeſe retrogradi recipiant eremum, ut jam nihil de iisdem videas amplius; prorepturi tardius, lenteque iterum; praeprimis cum marinam intra

aquam

aquam una ſuis cum teſtis eosdem repoſueris reverſos. Hic ubi aforis quaquaverſum quieſcunt omnia, anticorum unguiculis pedum, quae attingere poſſunt proxima arripiunt objecta, domunculamque vertunt, et revertunt tamdiu, dum per terram proni ad inquirendam eſcam prorepere, omneque teſtae pondus poſt ſe trahere valeant. Exiſtimat cum Vandellio Linnaeus Cancrum Eremitam, non Bernhardum (idem contra de Bernhardo Scopolius aſſerit) intra ſuberoſum neſcio quem? tophum, quem ſibi conficiat ipſe, ac in cujus centro cochlea lateat, habitare. Haec fruſtra meo poſtulantur judicio. Suberoſa haecce materies, non tophus, Zoophyti verius eſt genus, Alcyonium videlicet, cochleis paſſim, aliisque ſubmarinis innaſcens corporibus, quod Cancelli hi nec conficere valent, nec cur conficiant, ratio eſt, melius duro calcareorum teſtaceorum, quam ſtupoſo, coriaceove Alcyoniorum cortice protecti. An forſan ut augeant, quod poſt ſe trahant, pondus? nam id certe Alcyonii genus ſaturatiſſime extus ſanguineo-rubrum, vel eo, quod ſuberoſum, et aquae bibulum eſt, non adeo, dum recens ex mari educitur, leve eſt. Sed jam ad utriusque deſcriptionem: Perinde ac Cancrum Eremitam, eum quoque, quem Bernhardum dicimus, ſemper praedictas intra cochleas, jam nudas, jam topho? ſive Alcyonio commemorato ſuperinductas hoſpitantem inveni. Eſt Cancro Bernhardo thorax tenere cruſtaceus, oblongus, longitudinaliter ſubparallelogrammicus, poſtice tantillo latior, depreſſo-convexiuſculus, nudus, laevis, nitens, circa medium ſtria impreſſa transverſali, antrorſum lunato-concava, velut in duo ſegmenta partitus, quorum anterius oblongo-obovatum ſupra foveolis microſcopicis punctulatum, antice ad frontem obtuſe rotundatum, ſubtruncatum, muticumque eſt; poſterius contra ſubcordato-truncatum, antrorſum retuſo-concavum, ſtriis ſupra ſuperficialibus longitudinaliter ſubrugoſum. Sub media thoracis fronte, antrorſum horizontaliter porrecti,

et

et paralleli proſtant oculi bini contigui, longius pedunculati, atri, ſphaeroidici, nitentes, innati pedunculo tres lineas longo, tereti, aequabili, laevigato, aquoſe primum fuſco, tum rubro, baſi ſquamula (quovis ſua) exigua, ovata, plana, oris ciliata, incumbente, tecto. Accubat ad latus baſeos oculorum ſub antica exortus fronte utrinque, aculeus ſubulatus, ſubtriqueter, rigidis hiſpidus ciliis, oculorum pedunculo parallelus, ſed brevior; ac ſub eo illico exortae antennae utrinque ſimplices, thorace longiores, ſetaceae, circellis copioſiſſimis annulatae, ruberrimae, baſi inaequaliter triarticulatae, tereti, tantillo craſſiori inſiſtentes. Tentacula bina, maxime contigua, et parallela ſub oculis, antrorſum porrecta, ruberrima itidem, teretia, ex articulis aliquot oblongis, ad latera ciliatis conſtantia, apice ſubchelata, ſeu verius didactyla, oculorum pedunculo duplo longiora. Os inferum, maxilloſum, palpis articulatis, apice unguiculatis inſtructum. Pedes in thorace octo, utrinque ad ejus latera quatuor; quorum bini utrinque anteriores triplo poſticis longiores antrorſum parallele porrecti, ejuſdem cum corpore coloris, ſexarticulati, articulis inaequaliter oblongis, tereti-compreſſiuſculis, laevibus, nitentibus, foveolis exiguis punctulatis, piliſque raris, ſed longius exſtantibus, obſitis; acie tamen exteriore longitudinaliter piloſo-ciliatis; extimo longiſſimo, obtuſe ſubincurvo, triquetro-ſubulato, ſuperne lineis alterne rubris, caeruleiſque quinque percurſo, ſubtus caeruleſcente, apice unguiculo exiguo nigricante inſtructo. Pedes poſtici et ipſi cruſtacei, ac ſexarticulati, albido-rubentes, articulis brevibus, compreſſis, per oras ciliatis, apice unguiculo exiguo ſubuncinato terminati, ſemper intra teſtam una cum cauda latitantes, niſi dum copulae cauſa, aut teſtam permutaturus, eamdem deſerit ad tempus. Manus duae, anticae, corpori concolores, punctis caeruleo-glauceſcentibus variae, pedibus anticis breviores, multo tamen craſſiores, inaequaliter quadriarticulatae, apice cheli-

ferae;

ferae ; articulis, chelisque tuberculato-muricatis, pilisque hiſpidis, demum cadivis, adſperſis. Chelae ovato-ſubcordatae, tumidae, dextra majore ; utraque didactyla, digitis tam fixo, quam mobili, triquetro-compreſſis, brevibus, obtuſiuſculis, ad ſe conniventibus, introrſum crenulatis piloſo-barbatis, dum calveſcant denique. Cauda reliquo fere corpore longior, carnoſa, nuda, ex fuſco-rufeſcens, aequabilis, ſuperne convexa, ſeu teres, laevis, ſpuriis ſemitecta ſuturis ſex membranaceo-molluſcis ; baſi ſubtus pede utrinque ſolitario, brevi, quadri- aut quinquearticulato, et unguiculato inſtructa, apice vero, pinnae caudalis loco, appendiculata ſuturis tribus, brevibus, cruſtaceis, laevibus, albido-rubentibus, ſubincurvis ; quarum intermedia anguſtior, ad utrumque latus annexam habet pinnulam bipartitam, lacinulis inaequalibus, planis, ovalibus, margine ciliatis, communi baſi craſſiuſculae inſidentibus ; extima contra ſutura ovata, emarginata, per oras ciliata. De ſexu quid dicam? neſcio. Id obſervavi, nonnullos Cancellorum horum intra pedes thoracis intimos, ſquamulam habuiſſe ovato-ſubtrigonam, planam, oris ciliatam ; alios vero, ſquamulae ejus loco, binos pediformes, antrorſum parallele verſos ſtylos, teretiuſculos, apice ciliis velut barbatos. In his ſub cauda pedes intermedios, aut pinnulas natatorias nullas. In illis ad latera caudae rudimenta nonnulla pinnularum, ſetas videlicet per oras utrinque villoſulas.

59. *Cancer Eremita.*

Cancer macrourus paraſiticus, thorace antice ſubtrilobo-roſtrato ; chelis muricatis, ſubpiloſis ; ſiniſtra majore.

Cancer macrourus paraſiticus, chelis ſcabris, ſubaequalibus, anterioribus ſex-pollicatis ; (lege: chelis - - - -

una cum pedibus anterioribus exporrectis.) *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1049. N. 59.

Hunc Scopoli ſub nomine C. Bernhardi deſcribere videtur; uti verum C. Bernhardi L. ſub nomine C. Diogenis L. In neutro tamen magnitudinis reſpective Chelarum meminit. Dixi vero paulo ante, nullam, hunc inter, et antecedentem (ut ut attente vivos ſaepius conſideraverim) diverſitatem, a me reperiri unquam potuiſſe, praeterquam in Chelis, et ſtructura thoracis; ut adeo ab ulteriore iſtius ſuperſedere deſcriptione poſſim, ſi differentialium modo meminero characterum. Chela ſiniſtrae manus, totaque haec manus major aliquoties Cancro Eremitae, quam ejuſdem eſt dextra; idque ſemper. Thorax vero et ipſe longitudinaliter ſubparallelo grammicus, ita ſulco transverſo, antrorſum lunato-bicorni, pone medium, exaratus, ut in duo velut ſegmenta diviſus credi poſſit; quorum poſterius ex cordata baſi, antrorſum lunato-bicorne ſtriis duabus longitudinalibus parallelis profundius impreſſis, in tria rurſum ſubdividitur minora ſegmenta, lateralibus majuſculis, et aequalibus. Anterius contra ſimplex, obtuſe obcordatum, fronte antica ſubtrilobo-roſtrata, roſtro medio brevi, inſtar trianguli iſoſcelici, inter oculorum pedunculos parallelos antrorſum procurrente, ac baſi utrinque ſinu antrorſum concavo ſtipato; ora marginis frontalis tota parumper elevata, ſeu incraſſata. Suberoſo-fungoſam eam ſubſtantiam, quae Muricibus, Strombisque, quos Cancelli Bernhardus, et Eremita inhabitant, increſcere paſſim (non ſemper) noſtris in maribus, non item in Hollandico etc. ſolet, quaeque vel ideo Cancellorum opus non eſt, examinavi: Eſt ea fungoſo-ſubcoriacea; facie, textura, levitate, (dum ſicca) tenacitate, et helvolo interne colore, ſuberis; Magnitudine majoris Caſtaneae, aut et pomi minoris; Figura ſphaeroidica, aut ſubovati gibberis, ſeu ex-

creſcen-

creſcentis ſuper dorſali Muricis, Strombive longitudine, tophi; Extus nuda, ſubimpalpabilis, et dum recens e mari educitur, ſaturatiſſime ſanguineo-rubra; Tactui fungoſo-elaſtica; ſalito, linguae applicata, guſtu. Diſcidi eamdem, poſtquam probe deſiccata fuit; lenta, reſiſtentiam in cultrum exhibuit eamdem, quam ſuber, aut fungus quidam arboreus coriaceus; ſectio quoque et ipſa non niſi texturam internam ſuberis, aut panis exhibuit inaequaliter poroſam; ſparſa ſuo in ſinu foventem minutula teſtacea, (ut puta: exiguos Turbines, Tellinulas, Nautilos. etc.) Fruſtum reſectum, ut ut majus, in aquam injeci; ponderis velut expers, ſupernatavit eidem; brevi tamen ſitibunda eamdem imbibit aucto tantiſper volumine, tumque elaſtica reddita, in fundum praecipitata eſt fluidi, quod colore flavo-rufo inquinavit. Cum aqua forti, motum effervefcentiae prodidit nullum. Flammae candelae admota, accenſa quidem fuit; flammam nihilominus diu haud retinuit; diutius potius fumo fuſco, ingrato, crines accenſos redolente fumavit, aterrima facta, et intra digitos friabilis, in cineres abiit tactui molliſſimos, non tam pulverulentos, quam filamentoſos, nigros, aquae magnam partem ſubtiliſſimis ſtemmatibus innatantes. Nonne Alcyonium verius? quam Cancellorum labor? Materiei certe trunci, elegantiſſimi illius Alcyonii Exoſſis L. ſimillima.

60. *Cancer Mantis.*

Cancer macrourus articularis, manibus adactylis, compreſſis, falcatis, ſerrato-dentatis. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1054. N. 76. *Scopoli* Entom. p. 411. N. 1135.

Hippocampus Locuſtae genus. Matthiol. in Dioſc. p. 157.

Squilla Mantis. *Aldrov.* Cruſt. p. 158. *De Geer.* Inſ. 7. p. 194. N. 5. Tab. 34. *Jonſt.* Exſ. p. 23. Tab. 4. f. 9.
Cicada ſive Squilla Mantis. *Geſn.* p. 129.

Proſtat quotidie in foro piſcario venalis. Tergeſtinis Cannochia dictus, eſturque a pauperibus. Longitudine vix ſpithamali. Totus, dum vivit, albus, et ſemidiaphanus; cruſta tectus membranacea, ſat tenera, rigidiuſcula tamen. Thorax oblongo-cordatus; antice ſubtrilobus, roſtro brevi, oblongo ovato, obtuſo, planiuſculo, marginato, baſique utrinque emarginatura concavo-lunata, extrorſum ad latus in ſpinam brevem excurrente, ſtipato. Eſt is caetera depreſſo-convexiuſculus; margine, carinulisque quinque longitudinalibus, parumper elevatis, percurſus; undique laevis, et inermis; ſpinulam ſi modo brevem, in quam latus utrinque anticum proſtat, demas; artus antice vix tegens omnes. Oculi ex antica facie ſub roſtro exorti, proſtantes, oblongo-ovales, convexi, oblique innati pedunculis ſinguli ſuis oblongis, teretibus, craſſiuſculis, mobilibus, divergentibus. Aſſident roſtruli baſi utrinque ſub laterali antica emarginatura, tentacula? brevi craſſaeque baſi inſiſtentia, utrinque unum, ſed bipartitum; lacinia ſuperiore membranacea, plana, oblongo-ovali, margine toto ciliis longiuſculis fimbriata; inferiore vero ſetacea, triarticulata, antennaeformi. Antennae oculis illico ſubjectae, duae, approximatae, longae; ſingulae ſuper baſi oblongo-triarticulata, triſetae, etiam interdum quadriſetae; ſetis longis, meris e circellis, annulatis. Os inferum maxilloſum, palpis quatuor, binis brevioribus, ſingulis articulatis, ciliis, praeprimis apicem verſus, adſperſis. Poſtica corporis pars, ſeu abdomen, extra thoracem tota, caudae mentiens partem, eique continua, et ſimilis, ipſo brevior thorace, ſuturis conſtat quaternis, iis caudae ſimillimis, ſupra ſcilicet convexis, laevibus, longitudinaliter carinato-octangulis; carinis angulorum ſingulis, poſtice aculeo, re-

trorſum

trorſum verſo, terminatis. Cauda una cum hiſce abdominis ſuturis, quibus continua eſt, triplo thorace longior, undique aequabilis, nec uſpiam attenuata, ſuturis conſtans ſex, ſupra laevis, convexa, et ipſa quoque longitudinaliter carinato-octangula; carinis ſuturarum ſingulis poſtice in aculeum retroverſum exſtantibus. Pinna caudam terminans magna, circumſcriptione rotundata pentaphylla; foliolis binis utrinque lateralibus oblongo-ovalibus, planis, anguſtis, margine toto fimbria ciliorum piloſorum obſitis; fultis lamina communi oſſea, oblonga, in quatuor aculeos ſpinoſos divergentes abeunte; folio contra intermedio, caudae latitudine, toto oſſeo, circumſcriptione ſemiorbiculato, inferne plano, ſuperne declivi, ſtriato, carina longitudinali media, in ſpinam brevem terminata, percurſo, ocellisque binis magnis rotundatis contiguis, baſi carinae accubantibus, notato. Ocellorum pupilla atro-ruſa, iride caeleſtino-caerulea. Extimus folii hujus oſſei intermedii margo, apice ipſo emarginato-bifidus, ſerie duplici contigua, et concentrica ſerrulatus eſt, aculeisque praeterea ſpinoſis utrinque quatuor aequidiſtantibus (ſimul octo) armatus. Pedes inferne utrinque ſex (univerſim duodecim) et ii duplicis generis: tria ſcilicet antica paria ſub thorace; tria vero poſtica, ſub tribus poſticis abdominis ſuturis; illi, quinquearticulati; articulis quatuor inferioribus inaequaliter oblongis, per latera ciliatis, ſupremo ovato, tumido, unco hamato retractili armato. Hi graciliores, teretes, mutici, quadriarticulati; articulis binis intermediis oblongis, eorumque ſuperiore denticulo filiformi longo ad baſin appendiculato; extimo omnium, unguis inſtar, acutiuſculo piloſo-ciliato. Manus brachiorum in morem diſtentae, duae, ſub thorace, pedibus anteriores, multoque longiores, triarticulatae, articulis longis, compreſſis, infimo inflato; intermedio baſi bidentato, ac margine laterali interiore ſerrulato; extimo plano-compreſſo, falcato, introrſum inciſo-dentato, dentibus ſex longis incurvo-ſubulatis.

latis. Pinnulae natatoriae ſub caudae ſuturis, quinque parium, utrinque duplicatae, ovatae, planae, margine ciliatae.

61. *Cancer minutus.*

Cancer brachyurus thorace orbiculato, laevi, integerrimo, margine acutiuſculo; antennis breviſſimis.

Cancer brachyurus, thorace laevi integerrimo ſubquadrato, margine acutiuſculo, antennis breviſſimis. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1040. N. 8. Iter Weſtrog. p. 159. N. 137. Tab. 3. fig. 1. lit. a. b. *Osbeck.* It. Chin. p. 403. N. 307. *Kalm.* It. II. p. 154. 155.

Cancer thorace laevi orbiculato, pedibus hirſutis. *Baſter.* Subſ. II. p. 26. Tab. 4. fig. 1. 2. a. A.

Cancer Nutrix. *Scopoli.* Entom. p. 410. N. 1133.

Frequens in Fucis, Spongiis, etc. etiam intra Oſtream edulem L. majorem, Oſtreghe di palo, dictam, inveni. An vero, ut nonnulli aſſerunt, Oſtreas reipſa cuſtodiat? ab hoſtibus arceat? iisque cibum afferat? Ego ſane vehementer dubito. Forte fortuna in apertam inſilierit Oſtream, quae, ſe contrahendo, minutulum captivaverit hoſpitem, ut Dionaea muſcam. Nonne et in Hollandia in Mytilo eduli L. inventus eſt? an et hunc quoque cuſtodiat? tueatur? nutriat? Cur non potius ad eos obliguriendos in eorum inſiliat Conchas? qui teſte Osbeckii interprete germanico Clariſſimo Georgi Sepias, alioſque Cancros brachyuros devorare valeat? Thoracem ſubquadratum Linnaeus dixit, et plus quam ſubquadratum in itinere Weſtrogothico expreſſit, qui mihi et Baſtero magis, quam fere in ullo alio Cancro orbiculatus viſus eſt: Magis interim diſplicet magnitudo, quam men naturalem loco citato dicit eſſe. Et vereor, ut ſi tantus omnino ſit, ab Oſtrea, Mytilove hoſpes recipiatur.

Eſt

Eſt Cancro minuto (qualem examinatum deſcribo) thorax orbiculatus, antice tantillo procurrens, depreſſo-convexiusculus, laevis, nitens, ex albido-ſubrubellus, margine acutiuſculo, ſeu attenuato, diametri duarum, triumve linearum. Antennae breviſſimae, vixdum lineam longitudine excedentes, ſetaceae, circellis microſcopicis annulatae, baſi tantillo craſſiori inſiſtentes, duae duntaxat, in antica facie, oculis anteriores, non tamen approximatae. Oculi pone antennas, exigui, ex emarginatura retuſa thoracis proſpicientes, ſphaeroidici, nitentes, atri. Cauda oblongo-ſemiovata, ſuturis (in foemina) ſex, thorace fere longior, ſed ſub eo reflexa, abdomini incumbens, ad os fere uſque pertingens, oris ciliata, alba; pinnularum teretium bifurcarum ſubſetacearum paribus tribus, an et quatuor? Pedes utrinque quatuor, graciles, articulis inaequaliter oblongis, teretiuſculis per latera ciliatis, apice brevi unguiculo terminatis; poſtici adeo interdum breves, ut vix videantur, praeprimis cum reliquis altiores, et vere dorſales ſint, lateribus baſeos caudae accubantes, articulis binis ſuperioribus ad ſe mutuo appreſſis. Manus duae, et ipſae laterales, illico ante pedes anticos, iisdem breviores, ſed craſſiores, apice chelatae; chelis parvis, ſubovatis, didactylis; villis baſin verſus, ad latera, ciliatis; digiti mobilis fixusque ſubaequales, compreſſiuſculi, introrſum ſubcrenulati. Tentacula bina parva, quae nimis longa Baſterus mihi repraeſentaſſe videtur. Os ſubtus; palpulis apice unguiculatis.

62. *Cancer longicornis.*

Cancer brachyurus, thorace orbiculato, laevi, antice breviter trifido, antennis, manibusque longiſſimis.

Cancer thorace laevi orbiculato ſubdepreſſo, chelis validioribus, antennis longiſſimis; pedibus poſticis minutioribus. *Baſter.* Subſ. II. p. 26. Tab. 4. fig. 3. a. A.

Can-

Cancer brachyurus, thorace orbiculato laevi, chelis minore, antennis longiſſimis. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1040. N. 10.

Cancer brachyurus thorace orbiculato, laevi, integro; pedibus ſenis, antennis corpore longioribus. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1039. N. 7. hexapus.

Inter Spongias maritimas frequentiſſimus; adhaerens paſſim et Alcyoniis, Fucis etc. Bis hunc recenſuit Linnaeus; ſub nomine videlicet Longicornis, tum hexapi; re autem vera hexapus nunquam eſt; etſi poſticus utrinque pes caeteris, ut in priore, brevior, dorſalis, et dum capitur, illico contractus, articulis binis longioribus ad ſe mutuo appreſſis, in dorſi latus poſticum reclinetur, ut vixdum, in emortuo, videatur amplius. Certat hic parvitate cum antecedente; major tamen aliquantum cum tempore fit, praeprimis foemella. Thoracem habet et ipſe orbiculatum, poſtice nihilominus tantillo anguſtiorem; ut orbiculato-ſubquadratus dici poſſit; ſuperne depreſſo-convexum, laevem (unicum e majoribus vidi, villulis exiguis ſparſis obſitum) nitentem, coloris aquoſe ſubrubentis, aut e griſeo-bruneſcentis, poſt mortem obſolete rubri; fronte inter oculos depreſſa, latiuſcula, breviſſime trifida, ſive tridenticulata, denticulo intermedio, lateralibus ampliore, crenula inciſo. Oculi denticulo faciei laterali accubantes, atri, convexi, nitentes, ex ſinu retuſo thoracis prominentes, tota facie ab invicem ſejuncti. Antennae illico pone oculos, ſimplices, ſetaceae, ex annellis microſcopicis compoſitae, baſi tantillo craſſiori inſiſtentes, obſcure rubentes, longiſſimae, corpore ſcilicet toto duplo longiores. Thoracis latera integra, microſcopio tamen inſpecta, pone antennas denticulis tribus breviſſimis antrorſum ſerrulata, idque in majoribus, ſive adultioribus manifeſtius. Os, palpuli, tentaculaque, ut in antecedente; non tamen haec tantopere, ac Baſterus expreſſit, prominent

nent antice. Cauda brevis, reſpective videlicet, quia ſub thorace inflexa, abdomini incumbens, nihil ab ea antecedentis diverſa; et univerſim in omnibus brachyuris, foemellae ſemiovata, ſuturis ſex ſubaequalibus; mari obtuſe trigona, ſuturis quatuor, tertia reliquis omnibus majore, trapezina baſibus parallelis; ſed nec pinnulae ſubcaudales natatoriae, niſi aliter notetur, differunt umquam. Pedes octo, utrinque ſcilicet quatuor, nudi, tereti-ſubcompreſſi, articulis, praeter baſeos fulcrum craſſiuſculum, et unguem terminalem ſubincurvo-ſubulatum longiuſculum, tribus, oblongis. Tria horum paria antica thorace dempta cauda longiora; poſticus utrinque caeteris altior, dorſalis, reſpective breviſſimus, ut jam ſupra indicatum, et albus totus, cum caeteri in vivente inſecto, annulis alternatim albidis rubellisque faſciati ſint. Manus et ipſae laterales, pedibus anticis contiguae, thorace una cum cauda longiores, articulis tribus oblongis, duplo, quam pedes, craſſioribus, angulatis, introrſum compreſſis, et ſerrulatis; chela terminatae oblonga, ovata, ſubquadrangulo-ancipite, didactyla, digitis tam mobili, quam fixo, triquetro-compreſſis, rectiuſculis, ſubaequalibus. Color manuum ſaturatior, quam thoracis.

63. *Cancer agilis.*

Cancer brachyurus, thorace quadrato, laevi, depreſſo, transverſe ſtriato; lateribus antice tridentatis; fronte truncata, gibberibus quatuor depreſſis transverſe ſeriatis obſita.

Nuſpiam Cancrum hunc apud autores meos deſcriptum reperio. Vocaverat piſcator Tergeſtinus, qui eumdem attulit, Tatatogna, monuitque, ut ad peculiarem ſub aqua natandi indolem attenderem; eapropter eumdem cum pluribus aliis (Maenade, Depuratore etc.) in pelvem aquae plenam marinae injecit. Animal inquietiſſimum velociſſime

 alterno,

alterno, ac fere tremulo horizontali natatu, diſtentis pedibus, quaquaverſum ſe promovens, volitabat verius, quam currebat, indeſinenter irrequietum; agilem hac de cauſa dixi Cancrum. Proximus facie Cancro Barrelierii quadrato, ſeu rhomboidi Linnaei, non tamen macrodactylus. Cruſta per thoracem, pedesque tegitur, quamdiu vivit, minime dura, imo vero velut membranacea, tenſa quidem, attamen flexili elaſtica compreſſili; poſt mortem per exſiccationem rigida. Thorax ex ſuborbiculari-quadratus, latior, quam longus; anticeque magis, quam poſtice; lateribus vix, niſi obtuſiſſime rotundatis; verius oblique rectis; antice pone oculos dentibus tribus inciſo ſerratus; caetera laevis, nudus, nitens, ex olivaceo virore nigricans, ſupra depreſſus ſubconvexiuſculus, ſtriis, imo plicis potius tenerrimis transverſis copioſiſſimis, antrorſum imbricatis, per omnem longitudinem confertiſſime exaratus. Roſtro nullo; ejus loco, fronte, inter oculos ab invicem remotiſſimos, intercepta, truncata, latiſſima, membranacea, plano-depreſſa, ad lineae ſpatium per omnem thoracis latitudinem aequabiliter procurrente, nec retuſa; gibberibus ſuperne quaternis, in eadem transverſa, ac fronti parallela ſerie ordinatis, depreſſis, velut lobata. Oculi ad extimos utrinque antici thoracis angulos, inter ſe remotiſſimi, ex crena, ſeu emarginatura anguli proſpicientes, pedunculo, ut mos eſt, brevi, et mobili nixi, haemiſphaeroidici, atri, nitentes. Antennae oculis anteriores, et contiguae ſuper brevi, mobilique fulcro, tereti-ſetaceae, circellis annulatae, ſex ſeptemve lineas longae. Os cum tentaculis, palpisque, inferum. Pedes octo; utrinque quatuor; intermediis utrinque binis majoribus; poſtico utrinque dorſali. Omnibus, praeter baſeos fulcrum, quadriarticulatis; articulo infimo plano-compreſſo; reliquis longiore, transverſe plicis ſtriato, nudo, laevi, margine poſtico longitudinaliter ſerrulato; antico vero, poſticoque ſub apice dente inciſis. Articulis binis inſequentibus breviori-

bus,

bus, anguſtioribus, tereti-compreſſis, per margines pilis duriuſculis ciliatis; ungue terminali compreſſo-ſubulato, ſubincurvo, pilis exſtantibus hirto. Color pedum partem corporis ſequitur; ſupra, ut thorax, ex olivaceo virore nigricans; ſubtus, ut abdomen et cauda, obſolete albidus. Manus longitudine vixdum pedum anticorum, ſed craſſae, articulis tribus angulatis, intermedio majore, ac dente utrinque ad apicem terminato; omnibus nudis, laevibus. Chela terminalis craſſa, tumida, oblique ſubcordato-ovata, laevis, corpori concolor, didactyla; digitis obſcure rufeſcentibus; fixo breviore, recto; mobili incurvo, de ſe longiore, non tamen altius eminente, quia inferiore; utroque introrſum plus minus tuberculato-ſerrulatis. Cauda brevis glabra alba ventri ſubtus incumbens; pro ſexus diverſitate, figura et ſuturarum numero differens.

64. *Cancer Maenas.*

Cancer brachyurus, thorace laevi, convexo, inaequali, rotundato-ſubpentagono, lateribus antice inciſo-quinquedentato, unguibus pedum omnium longis, triquetro-ſubulatis.

Cancer brachyurus, thorace laeviuſculo, utrinque quinquedentato, carpis unidentatis, pedibus ciliatis, poſticis ſubulatis. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1043. N. 22. *Baſter.* Subſ. II. p. 19. et 23. Tab. 2. fig. 1. 2. 3. *Scopoli.* Entom. p. 405. N. 1123.

Cancer marinus Bellonii. *Aldrov.* Cruſt. p. 174.

Vulgatiſſimus in littorali Adriatico, vocaturque Maſinetta. Totus nudus, laevis, cruſta dura, ſupra partibus omnibus obſcure olivaceo-virens, ſubtus albidus. Thorax convexus, inaequalis, laevis, rotundato-ſubpentagonus; lateribus anticis rotundatis, inciſo-quinquedentatis, poſticis

 oblique

oblique convergentibus, rectis, integerrimis, eo baſeos transverſe truncato. Frons, inter oculos intermedia, (roſtri loco) ſemicircularis, rotundata, planiuſcula, velut ſinuato-ſubquinqueloba, lobulis exiguis, obtuſis, parum admodum prominulis. Oculi inter frontis finem, et anticum laterum anticorum dentem ſiti, brevi, mobilique pedunculo innati, hemiſphaerico-convexi, atri, nitentes. Antennae oculis anteriores, octo, decemve lineas longae, ſetaceae, annellis copioſis compoſitae, baſi tereti craſſiuſculae brevique inſiſtentes. Os inferum, palpuli, tentaculaque articulata, et apice forcipula bifida, ſeu breviſſima et didactyla inſtructa, nil ab antecedente, differunt. Sed et cauda brevis, et abdomini incumbens, proque ſexus diverſitate, ut dictum, diverſa, cum ea prioris, et reliquorum brachyurorum, eadem, et laevis. Pedes utrinque quatuor, articulis conſtantes quinque, una cum baſeos fulcro; infimus, ſeu ſecundus a baſi, reliquis longior, latiorque, et reſpective planior, apice utrinque in denticulum deſinit; reliqui graciliores, lateribus piloſo-ciliatis; extimo, ungue in omnibus longo, triquetro-ſubulato, obtuſe ſubincurvo, pilis ciliato. Pedes intermedii duorum utrinque parium, anticis et poſticis parumper longiores, poſtici altiores, utpote dorſales. Manus duae, pedibus anticis paulo breviores, et multo craſſiores, apice cheliferae, articulis tribus angulatis, intermedio in dentes utrinque procurrente. Chelae craſſae, laeves, oblique ſubcordato-ovatae, latere exteriore bicarinatae, didactylae; digitis ſtriatis, triquetro-ſubulatis, obtuſe ſubincurvis; fixo, mobilique introrſum tuberculato-crenulatis.

65. *Cancer depurator.*

Cancer brachyurus, thorace laevi convexo inaequali, rotundato-ſubpentagono, lateribus antice inciſo-ſubquin-

quinquedentato; unguibus pedum ſex anteriorum ſubulatis; poſticorum lamina ovali plana natatoria.]

Cancer brachyurus, thorace laevi, utrinque ſubquinquedentato; manibus apice compreſſis; pedibus poſticis ovatis. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1043. N. 23. *Scopoli.* Entom. p. 405. N. 1124. *Planc.* Conch. p. 34. Tab. 3. fig. 7.

Cancer marinus alius ab auctore obſervatus. *Aldrov.* Cruſt. p. 174. fig. p. 175.

Pagurus niger brachychelos, remipes. *Barrelier.* Tab. 1287. fig. 2.

Promiſcue cum C. Maenade convivens, adeo, ut et piſcatorum nonnulli rudiores ſexu duntaxat ab eodem differre credant. Audit iis Granci. Multum priori ſimilis, tamen nonnihil minus dura cruſta tectus. Thorax (ut et reliquum corpus) laevis, dorſo convexo, inaequali, obſcuro ex virore nigricans, rotundato-ſubpentagonus, poſtice transverſim truncatus, lateribus poſticis oblique rectis, retrorſum convergentibus, anticis contra rotundatis, in frontem confluentibus, dentibus quinque inciſo-ſerratis; fronte inter oculos intercepta, circumſcriptione ſemicirculari, dentibus itidem quinque ſerrata. Oculi inter dentem frontis poſticum, et laterum anticum intercepti, atri, convexi, nitentes, pedunculo brevi, mobili inſiſtentes; ut adeo, ſi dentem anticum lateris cujusque, et poſticum frontis utrinque, ad emarginaturam, ex qua oculi proſpiciunt, pertinere velis, latera tum antice non niſi quadridentata; frons contra futura ſit tridentata. Antennae breves, annulato-ſetaceae, brevi fulcro inſiſtentes, oculis in facie anteriores, octo, decemve linearum. Pars infera albida, ore, palpis, tentaculis, caudaque a Maenade nil differens. Pedes octo, utrinque quatuor, paribus duobus mediis tantiſper longioribus,

 ſingu-

ſingulis quinquearticulatis, articulis inaequaliter oblongis, per oras ciliatis; trium parium anticorum ungue terminali longiuſculo, triquetro-ſubulato, obtuſe ſubincurvo; poſticorum ſubdorſalium articulo extimo, unguis loco, pinna ſeu lamina cruſtaceo-membranacea plana ovali natatoria per margines piloſo-ciliata, inſtructo. Manus duae apice chelatae pedibus craſſiores, articulis tribus angulatis, ſummo ad juncturam chelarum bidentato. Chelis ipſis craſſis inflatis, ſubovato-heptagonis, apicem verſus compreſſiuſculis, didactylis; digito mobili, fixoque angulato-ſubulatis, compreſſis, introrſum ſerratis.

66. *Cancer Pagurus.*

Cancer brachyurus, thorace laevi convexo inaequali rotundato-ſubpentagono, lateribus anticis inciſo-ſerratis, ſtriisque oblique tranſverſis impreſſis, exaratis; fronte ſerrulato-denticulata; chelarum dactylis ex fuſco-nigris.

Cancer brachyurus, thorace utrinque obtuſe novemplicato; manibus apice atris. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1044. N. 27. *Scopoli.* Entom. p. 406. N. 1125.

Cancer Pagurus. *Aldrov.* Cruſt. p. 186. fig. p. 189. *Jonſton.* Exſ. Tab. 5. fig. 12. Tab. 6. fig. 3. 4.

Cancer marinus. *Jonſton.* Exſang. Tab. 5. fig. 2.

Magna in copia divenditur ſub nomine Grancipori. Magnitudine per aetatem admodum differt; ex altiore mari ingentes; magis rotundati, multo, quam longi, latiores; manibus decalvatis, obtuſe muricatis. Littorales minores, rotundato-ſubpentagoni, manibus muricato-ſubaculeatis, villisque rigidiuſculis hirtis. Thorax rotundato-ſubpentagonus, ut in C. Maenade, lateribus binis anticis, iisdemque multo lon-

longioribus, rotundatis, in frontem confluentibus, hinc et multo, quam longus, latior, praeprimis in majoribus. Eſt is, quamquam ſat gibbus, ob magnitudinem tamen depreſſo-convexus, inaequalis, laevis, coloris ex virore obſcure rubri, tandemque ex rubro velut nigricantis; latera ejus bina antica ſeptem plus minus dentibus inciſa, ſtriaque impreſſa, ſeu ſulco inter quosque binos dentes intercepto, et a margine verſus diſcum oblique tendente, exarata, ut plicata dici poſſint. Frons inter oculos latiuſcula, transverſe velut truncata, medio etiam fere retuſa, et crena brevi inciſa, antrorſum non nihil declivis, ſerrulato-denticulata, denticulis exiguis, duplicis, et parallelae ſeriei; inferioris decem, ſuperioris ſex. Oculi hemiſphaerici, atri, nitentes, pedunculo brevi mobili inſidentes, in confiniis faciei, et laterum anticorum. Antennae oculis anteriores, breves, obſcure rubentes, annulato-ſetaceae. Tentacula duo articulata, apice breviter forcipata, ex inferiore oris parte. Cauda brevis in ventrem reclinata, triplo longior, quam lata, fere lineari-ſubovata, pro ſexus diverſitate, pluribus aut paucioribus ſuturis, uti totum inferum corpus, ſordidius alba. Pedes octo, quovis ex latere quatuor, quinquearticulati, pilis exſtantibus rufis rigidis hiſpidi; articulis oblongis, extimo ſubulato, ungue brevi ſubincurvo laevi terminali. Manus duae craſſae fortes, pedibus caetera ſubaequales, articulis tribus inaequalibus angulatis ſpinoſo-muricatis, rufisque et rigidis pilis, hiſpidis; apice cheliferae; chelis craſſis tumidis didactylis, ſubtus laevibus, ſupra tuberculis acutis piliferis muricatis. Digitis, mobili fixoque, laevibus, introrſum longitudinaliter tuberculoſis, primum caſtaneo-fuſcis, tum atris. Manus chelaeque cum tempore decalvatae, laeves, tuberculis obtuſis. Varietatem ejus vidi ſupra undique ſaturate olivaceam, manibus chelisque laevibus, nec tuberculoſo-muricatis; pedibus quoque non piloſis, ſed nudis.

67. *Can-*

67. *Cancer hirtellus.*

Cancer brachyurus thorace convexo, inaequali, rotundato-ſubpentagono, villis hirto, antice ſpinuloſo; lateribus quinquedentato; manibus hirtis, muricatisque, dactylis ex fuſco-nigris.

Cancer brachyurus, thorace hirto, utrinque quinquedentato, manibus extus muricatis. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1045. N. 32.

Cancer hirſutus prior, et poſterior Rondeletii? *Aldrov.* Cruſt. p. 192.

Hic adeo Paguro (dempta magnitudine) ſimilis, ut niſi Linnaei, a Paguro ſeparantis, obſtitiſſet autoritas, reclamaviſſentque piſcatores, alio (cujus jam non memini) quam Grancipori, compellantes nomine; Paguri praeciſe dixiſſem varietatem. Sed bonos caetera duces cur deſeram? Eſt certe Hirtellus vel ipſo minor Maenade, nec ad Paguri umquam excreſcere magnitudinem piſcatores aſſerunt, ſubtus albus, ſupra ex fuſco ruber. Quae ſi momenta aliis haud ſufficiant, Paguri, pace mea optima, varietatem dicant; mihi altercari nec vacat, nec, ſi vacaret, animus eſt. Thorax Hirtello eſt rotundato-ſubpentagonus, convexus, inaequalis, poſtice depreſſiuſculus, antice frontem verſus, gibbo-declivis, ſpinulis exiguis muricatus, ſupra pilis undique rigidulis arrectis rufis hirtus, quibus (cum non adeo conferte addenſati ſint) non obſtantibus, et color, et nitor cruſtae thoracicae durae obſervari poſſunt. Latera thoracis antica, ut in Maenade, aut Depuratore, rotundata, in frontem confluunt, dentibus inciſa quinque, ac ſulcis inter dentes exarata, ſubplicatave transverſis. Frons, oculos inter, latiuſcula ſubtruncata ſpinuloſo-ſerrulata, ſulco brevi longitudinali impreſſo velut retuſa. Oculi frontis latitudine ab invicem ſejuncti, iis Paguri ſimiles, pedunculo duntaxat eorum villu-

villulis hirto. Antennae itidem oculis anteriores, rufae, breves, annulato-ſetaceae. Pedes octo, utrinque quatuor; intermediis duobus paribus aliquantum longioribus; quinque-articulatis; articulis oblongis, ad latera compreſſis, ſupra undique, praeprimis ad margines, pilis rigidis exſtantibus rufis hirtis; articulo extimo compreſſo-ſubulato, apice unguiculo ſubincurvo laevi terminato. Manus duae, pedum anticorum longitudine, at multo iisdem craſſiores articulis tribus inaequalibus obeſis angulatis apice chelatae; chelis oblique ſemicordato-ovatis, craſſis, tumidis, didactylis, una cum articulis binis ſuperioribus, ſupra muricato-ſubaculeatis, villisque exſtantibus rigidis rufis hirtis. Digiti breves craſſi introrſum tuberculato-ſerrati; fixus reapſe brevior, rectus, ſtria longitudinali exaratus; mobilis inferiore ortus loco fixum attingens ad eumdem incurvus; uterque nudi, laeves, caſtaneo-fuſci, tandem nigri. Cauda brevis, abdomini incumbens; anguſta, linearis, obtuſa, alba, longior, quam lata.

68. *Cancer perſonatus.*

Cancer brachyurus ſubgloboſus, thorace convexo inaequali hirto-tomentoſo, antice utrinque quinquedentato; fronte ſubroſtrata quinquedentata; chelarum digitis nudis laevibus roſeis.

Cancer brachyurus, thorace hirto inaequali utrinque quinquedentato, roſtro quadridentato. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1046. N. 37.

Cancer heracleoticus alter hirſutus prone, et ſupine. *Aldrov.* Cruſt. p. 188. fig. p. 191. *Jonſt.* Exſang. T. 5. fig. 7.

Vocaverunt piſcatores Tergeſtini Grampo. Magnitudo pomi Punici. Tolle pedes, manusque et globoſum dices. Cor-

Corpus omne ſupra ſubtusque, cum cauda, pedibus, manibusque obſcure, et ſaturate rubrum; totum nihilominus villo tomentoſo rigidiuſculo bruneo erecto unam duasve lineas alto denſiſſime hirtum, ut color ruber, niſi decalvetur teſta, vixdum transpareat. Thorax gibbo-convexus, ſuperne (quod ob hirſutiem obiter modo diſcernitur) ſulcis introlabentibus gyroſo-ſinuatis transverſis, longitudinalibusque, inaequalis; obovato-ſubpentagonus; baſi nempe transverſe truncatus; lateribus poſticis integris, oblique rectis, retrorſum convergentibus; anticis contra rotundatis, inciſo-quinquedentatis, in frontem confluentibus. Frons, inter oculos intercepta, parumper antrorſum, velut in roſtrum, procurrens, quadruplo latior, quam longa, videtur quidem emarginato-bicornuta, re autem vera, quinquedentata et ipſa eſt; dentibus ſuperne quatuor, (intermediis duplo, quam lateralibus, altioribus, majoribusque et craſſioribus) quinto ipſius apicis, reliquis humiliore, ſub intermediis binis inter eorumdem emarginaturam, non nihil proſpiciente. Omnes vero, ut totum reliquum corpus, villo denſo hirti ſunt. Oculi atri convexi nitentes, reſpective parvi, pedunculati, medii inter confinia frontis, et laterum anticorum thoracis, ſub dente ejusdem primo reclinandi verius, quam retractiles. Antennae reſpective breves, ſemipollicares, oculis anteriores, ſetaceae, rufae, circellis annularibus ciliato-piloſis plurimis compoſitae, fulcro baſi cruſtaceo, oblongo, compreſſo, bruneo, hirto, inſiſtentes. Tentacula articulata, apice forcipata, ſeu absque chelis didactyla, antrorſum porrecta ſub fronte. Os inferum, cum palpulis apice unguiculatis hirtis. Cauda reſpective brevis, abdomini ſubtus ad manus usque cheliferas incumbens, ovali-oblonga, apice obtuſa, rotundata, et ipſa, ut reliquum corpus, hirto-tomentoſa, et concolor, percurſa longitudinaliter per ſuturas omnes carina elevata craſſa teretiuſcula, utrinque ſulco introlabente parallelo ſtipata; ſubtus ſuturis quatuor intermediis ſingulis

pari

pari pinnularum bipartitarum natatoriarum inſtructis (quibus ovula in foemina adhaerent) lacinia pinnularum exteriore ſimplice falcata compreſſa marginibus pilis longis ciliata; interiore terete biarticulata incurva apicem verſus piloſo-ciliata. Setam ad caudae utrinque baſin (cujus Linnaeus meminit) non vidi. Pedes octo, quovis in latere quatuor, articulis tereti-compreſſis, hirto-tomentoſis, apice ungue ſimplici ſubulato-ſubincurvo, acutiſſimo terminatis. Poſtici duo reliquis parumper breviores, ſimulque altiores, ſeu dorſales, incumbentes velut pedibus tertii paris. Manus duae pedibus caetera cum proportione ſimiles, ſed apice chelatae; chelis oblique ſubcordato-ovatis incraſſatis, hirto-tomentoſis, didactylis; digitis nudis laevibus roſeis; fixo rectiuſculo, mobili verſus fixum obtuſe incurvo; utroque introrſum longitudinaliter ſerrato-novemdentato, denticulis craſſis obtuſis, infimis minimis. Erat longitudo thoracis tota trium pollicum; latitudo inter dentes laterum penultimos (quae maxima) trium itidem, et linearum quatuor.

69. *Cancer lanatus.*

Cancer brachyurus, thorace ſubcordato, gibbo, inaequali, hirto, poſtice aculeo dorſali utrinque ſimplice; lateribus aculeis ſex utrinque; frontis, ſub roſtro bicorni, quinque; manibus teretibus, laevibus.

Cancer brachyurus, thorace hirto rugoſo, utrinque unidentato, roſtro bidentato. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1044. N. 29.

Cancer ſagittatus, aut et cordatus, vulgo Fachino. *Planc.* Conch. p. 36. Tab. 5. fig. 1.

Duplex Cancri, quem deſcribo, noſtros inter piſcatores, promiſcue uſitatum comperi nomen, Vantrino videlicet,

 et

et Cuſchmatino. In limoſis vitam agere, veri quam ſimillimum eſt; certe non niſi limo copioſiſſime obſitum in piſcario vidi foro. Sed eum vel ideo praeprimis emebam ſemper, quod numquam non ſylvulas increſcentium elegantium fucorum in dorſo circumferre videbam. His aeque, ac hiſpidis thoracis villis irretitus limus, vix aqua elui ſatis valet, ut naturalis dorſi color diſtincte cernatur; ex rufo tamen nigricare videtur fuſceſcens, ſubtus albidus. Inter Heracleoticos Veterum quaerendum non dubito. Heracleotici enim, ut Rondeletius apud Aldrovandum Cruſt. p. 180. inquit: Aculeos in fronte habent, et in lateribus; pars teſtae prona aculeis aſpera eſt, et hirta colore fuſco. Quid? ſi noſter hic Aldrovando ſit Cancer Majae congener alius aſperitate tomentoſa? Cruſt. p. 185.? Sed mihi Apollo ſit, Veterum e figuris deſcriptionibusque, qui doctus evadat ſatis. Divinare perſaepe licet, certum, non niſi raro, eſſe. A Planco (loco citato) ſub Cancri ſagittati nomine recenſitum fuiſſe, certus ſum, licet deſcriptio praeclariſſimi caetera autoris manca, et fere nulla ſit, figuraque, ut vel ipſe ingenue fatetur, perquam imperfecta. Latera ſane Cancri Planciani antrorſum nimis convergunt acute, nec ſenis armata ſunt, aut certe non ſatis exſtantibus aculeis; deeſt praeterea aculeus dorſi poſticus utrinque! ut taceam reliqua. Hac de cauſa, cum praeprimis et Linnaei quoque Cancri lanati deſcriptio minus, me judice, bona ſit, viſum eſt, genuinam ſpecificorum Cancri iſtius characterum hic dediſſe adumbrationem. Eſt Cancro lanato, dempta cauda, longitudo Thoracis trium fere pollicum; latitudo pone aequilibrium, duorum. Thorax ex ovato ſubcordatus, egregie convexus (Linnaeus depreſſam dicit teſtam!) inaequalis, tuberculoſus, villis fuſco-ferrugineſcentibus rigidulis hirtus, baſi ſubtruncatus, lateribus paulo ſupra baſin rotundatis, indeque antrorſum, non tamen ſub angulo admodum acuto, convergentibus in roſtrum, fronti imminens, aculeato-bicorne, id eſt, bifi-

bifidum, aculeis nempe duobus conſtans magnis, validis, exſtantibus, ab invicem divergentibus; latera thoracis convergentia, ſenis utrinque aculeis exſtantibus armata; de quibus nihil Linnaeus! nonne, quia et a Planco non, aut parum expreſſi? Aculeus praeterea ſolitarius utrinque aliquantum brevior, non ipſis in lateribus, ſed in dorſo ſupero poſtico, ante lateralem aculeum ultimum. Frons roſtro bicorni illico ſubjecta, transverſa, aculeis horret quinque validis, exſtantibus, ſurſum non nihil incurvis, et velut adſcendentibus, in eadem transverſa ſerie ordinatis. Oculi frontem inter, et roſtrum, ad hujus latera baſeos accubantes, longe pedunculati, pedunculo mobili terete laevi oblique verſus latera reclinando. Sunt hi (oculi) non ſphaeroidici, nec apici pedunculorum ſuorum inſidentes, ſed oblongo-ovales, convexi, rufi, nitentes, pedunculis ſuis inferne ſub. apice longitudinaliter accreti. Antennae reſpective breves, ſetaceae, annellis compoſitae plurimis, fuſcae, oculis ad latus externum adſitae. Pedes octo, utrinque quatuor, longiuſculi, quinquearticulati, teretes, villis rigidis hirti, apice unguiculo acuminato inſtructi; antici reliquis partumper longiores; caeteri ſucceſſive longitudine decreſcentes. Manus duae, pedibus anticis aliquantum longiores, articulis et ipſae oblongis teretibus, ad latera ſubcompreſſis, glaberrimis, laevibus, nigro-rufis, ſeu ex maculis nigris, rufisque copioſe aggregatis, variis. Chelae manus terminant longae, tereticompreſſiuſculae, muticae, laeves, didactylae, concolores. Digiti, tam fixus, quam mobilis, tereti-ſubulati, longiuſculi, recti, introrſum vix denticulati, ex albo ſubroſei. Tentacula articulata, forcipulis terminata. Palpuli apice unguiculati. Cauda brevis, ventri ſubtus incumbens alba villis hirta, pro ſexus diverſitate, acutiuſcula, aut rotundata.

70. *Cancer Araneus.*

Cancer brachyurus, thorace ſubcordato, gibbo, inaequali, tuberculato, ſubhirſuto, in roſtrum bipartito-ſubulatum attenuato; oculis antennisque roſtralibus; pedibus filiformibus, longiſſimis; chelis manuum lineari-ſubovatis.

Cancer brachyurus, thorace hirſuto ovato tuberculato; roſtro bifido, manibus ovatis. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1044. N. 30.

Aranea marina Rondeletii. *Aldrov.* Cruſt. p. 202. *Geſn.* p. 122. b.

Cancri minutioris, et brachycheli ſpecies prona et ſupina. *Aldrov.* Cruſt. p. 205.

Cancer minutior. *Jonſton.* Exſang. Tab. 6. fig. 13. et 14.

Nec hujus hiſtoria Cancri perſpecta videtur ſatis. Veteribus notiſſimus, figurisque, quod pene mireris, ſat accommodis adumbratus, ſed nullis, aut certe macerrimis illuſtratus deſcriptionibus, quid mirum? ſi vel nuper a Fabricio in Fauna Groenlandica, cum neſcio quo Cancro homuncionis, Turcarum more pileati, figuram referente, pedesque non niſi mediocres habente confundi, et Cancro Rondeletii cordis figura (etſi, ut caetera perſpicaciſſimus eſt, ipſe ſubdubitet,) aggregari potuerit. Hac de cauſa Virum, de Entomologia caeteroquin meritiſſimum, non citavi. Vocant noſtrum piſcatores communi pluribus nomine Aragna di mare; eſtque e minoribus unus, utpote cujus longitudo thoracis ab extimo roſtri apice, caudae ad usque initium, non niſi ſex, ſeptemve ſit linearum, latitudine baſeos, eaque maxima, trium, quatuorve. Color corporis totius, ſingularumque partium aquoſiſſime fuſceſcens, ſeu terrae pulverulentae deſiccatae, griſeſcens. Thorax ſubcordato-acuminatus, in roſtrum

roſtrum antrorſum porrectum ſubulatum attenuatus; roſtro, non tam ſulco longitudinali exarato, quam reipſa plus quam ſemibifido, ſegmentis tereti-ſubulatis, parallelis, mutuo appreſſis, ut inſtar unius indiviſi appareant. Dorſo thorax idem eſt admodum gibbo, inaequaliter convexo, lateribus circa medium velut ſtrangulatus, pube brevi exſtante rigidula concolore (magnam demum partem cadiva) hirtus, tuberculisque ſubſpinoſis ſenis obſitus, quorum tria in eadem transverſa, et thoracis baſi parallela, contiguaque linea (intermedio majore) ordinata; tria vero antica ante roſtri initium in triangulum aequilaterum, verſus roſtrum hians, et apertum (poſtico-majore) diſpoſita. Latera thoracis baſi rotundata, inde antrorſum in roſtrum convergentia, integerrima undique, mutica, nec ullis ſpinis, aculeis, dentibusve armata. Os inferum, una cum palpis, in confiniis roſtrum inter, et thoracem. At oculi, antennae, tentaculaque roſtro, ex pube hirſutulo, circa mediam ejus longitudinem, innata; atque haec quidem ſubtus, oculis poſitione poſteriora, articulata, ciliata, apice forcipata; oculi contra ex lateribus enati, intra tubulum obliquum exſtantem, pedunculati; pedunculo tereti ſubclavato oblique divergente, ſub apice antice oculifero, oculo ipſo oblongo-ovali, convexo. Antennae oculis contiguae, et anteriores, rufae, ſetaceae, ex annellis compoſitae, villulis, ſive ciliis adſperſae, baſi tereti craſſiuſculae inſidentes, duplo roſtro longiores. Manus duae cheliferae, pedibus breviores, corpore tamen duplo longiores, et concolores; articulis duplo, quam pedum, craſſioribus, ternis; intermedio duplo reliquis longiore, tereti-compreſſis, apice bidenticulatis, margine interiore ciliatis, caeterum nudis. Chelae oblongae, lineari-ſubovatae, velut tereti-ſubcompreſſae, marginibus ſcilicet laterum in aciem compreſſis, villoſo-ciliatis; didactylae; digitis mobili, fixoque, ſubtriquetro-ſubulatis, leniter ſubincurvis, aequalibus, margine extus villoſo-ciliatis, introrſum

ſub-

ſubtiliſſime denticulatis. Pedes quovis e latere quatuor (ſimul octo) filiformes, aequabiliter teretes, admodum graciles, craſſitudine acus, nudi, corpori concolores, manibus duplo, corpore vero triplo, quadruplove longiores; primis longiſſimis, et ſic ſenſim longitudine decreſcentibus, (Linnaeus in Muſaeo Louiſae Ulricae, poſticos longiſſimos, ſed id minus vere, aſſerit) omnibus apice ungue longiuſculo ſubulato ſubincurvo inſtructis. Cauda brevis, inflexa, abdomini incumbens; foeminae latiuſcula, rotundata, ſerie tuberculorum longitudinali per medium dorſum obſita, ovulis ſubtus rubro-aurantiacis; mari anguſtior, obtuſe trigona tuberculis ſerie itidem ſimplice longitudinaliter ordinatis.

71. *Cancer tribuloides.*

Cancer brachyurus, thorace cordato, inaequali, gibbo, ſubhirſuto, ſpinuloſo-tuberculato, in roſtrum breve planiuſculum, crenato-ſemibifidum excurrente; pedibus filiformibus longiſſimis.

Cancro brachychelo congener. *Aldrov.* Cruſt. p. 204. *Jonſton.* Exſang. p. 29. Tab. 6. fig. 15.

Cancer tribulus? brachyurus, thorace ſpinis octo, pedibus filiformibus, roſtro bifido. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1045. N. 35.

Hic plurimum antecedenti ſimilis, eodemque ſub nomine Aragna di mare piſcatoribus notus; ſpecificis nihiloſecius ab eodem diverſus caracteribus, idem plane eſt, quem cum Aldrovando Jonſtonus, locis citatis exhibuerunt; Tergeſtino in mari minime rarus. An reipſa, ut equidem ſuſpicor, et cum Cancro Linnaei Tribulo unus, idemque? non definiam; praeſtat enim, non decidere, quam perperam, aut temere ſaltem, decidere. Et ſane cur Linnaeus? aut F. Logier ad minus, praedictos non citaſſent autores? Convenit

venit ei cum Cancro Araneo magnitudine, colore, villis hirtis cadivis. Thorax lagenae, ſive et ampullae ſimilis, obtuſe cordatus eſt, ſupra convexiuſculus, inaequaliter gibbus, villulis brevibus rigidulis, tandem cadivis hirtus; tuberculisque inaequalibus, et ſubſpinoſis octo obſitus; antice in breve, antrorſum porrectum, declive, plano-depreſſum, oblongo-ovatum, apice crena acuta inciſum, et hinc ſemibifidum abit roſtrum. Spinuloſorum porro tuberculorum ſitus ea ordinatus eſt lege, ut in antica convergente thoracis parte tria in triangulum antrorſum hians, et apertum diſpoſita ſint, duobus anticis minimis, poſtico, apicem trianguli formante, maximo. In poſtica contra, diſtentaque ejusdem thoracis parte, quatuor in trapezium transverſum parallelarum baſium (antica longiore) ordinata, anterioribus duobus maximis, binis poſterioribus minoribus; unico denique majuſculo, medio in centro trapezii praedicti. Latera thoracis caeterum mutica, unicam ſi modo utrinque demas ſpinulam ad anticum ejusdem ſinum, pone roſtri baſin, exſtantem. Oculi non ipſo in roſtro, ſed ad ejusdem utrinque baſin proſtantes, hemisphaeroidice convexi, atri, nitentes, pedunculo brevi innati. Antennae oculis anteriores, et accubantes, roſtro tantiſper longiores, ſetaceae, ex annellis compoſitae. Os maxilloſum inferum, unguiculatis inſtructum palpulis, tentaculaque apice forcipulata, ut aliis cum proportione in Cancris. Pedes octo corpori concolores, utrinque quatuor, triplo corpore longiores, anticis longiſſimis, tum ſecundis, tertiis, et quartis ſenſim decreſcentibus, omnibus quinquearticulatis, ſubpiloſis, gracilibus, teretibus, demptis primi paris, qui duplo fere craſſiores, compreſſi, lineares, magisque villis ciliati ſunt. Ungue terminantur ſinguli longiuſculo ſubulato ſubincurvo pilis ciliato. Manus duae, corpore tantiſper longiores, at pedibus duplo minimum breviores, ſimulque craſſiores, pilis cadivis hirtae, articulis oblongis angulatis, perque angulos ſerrulato-denticu-

latis, apice cheliferae; chelis oblongo-ſubovatis, introrſum compreſſiuſculis, villis cadivis hirtis, per oras ſubtiliſſime ſerrulatis, didactylis; digitis ſubtriquetro-ſubulatis, introrſum ſerrulatis; fixo recto; mobili ad fixum ſubincurvo. Cauda nihildum ab ea Cancri Aranei, differente; pro ſexus diverſitate, diverſa.

72. *Cancer Maja.*

Cancer brachyurus, thorace convexo, ſubcordato-biroſtri, aculeis dorſo, lateribusque exſtantibus obſito; pedibus, manibusque corpore longioribus; illis piloſo-hirtis; his nudis; chelis cylindraceis.

Cancer brachyurus, thorace aculeato; manibus ventricoſis ſpinoſis; digitis penicillato-hirſutis. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1046. N. 41. *Scopoli.* Entom. p. 406. N. 1126.

Cancer Maja alius. *Aldrov.* Cruſt. p. 182. 183. 184. *Jonſton.* Exſang. Tab. 5. fig. 5.

Sub nomine Grancevoli plurimus paſſim in foro divenditur; minime nocivus; imo exquiſiti ſaporis menſis nobiliorum infertur, facto ex carne pedum, brachiorumque, et ovulis foeminae, additis uvulis paſſis, et neſcio quibus aliis aromatibus, jure pulmentaceo, quod intra thoracem inverſum depurgatum, cum limoniorum ſucco, ſuper carbonibus coquitur. Variat Cancer hic egregie pro aetatis ſexusque diverſitate; altiore praeprimis e mari mas maximus, manibus non modo tuberculatis, ſed tuberculato-etiam ſpinoſis, faſciculisque pilorum adſperſis. Hinc nec Hippocarcinum Veterum ab eodem ſpecie differre judico. Littorales, ut ut nec ipſi parvi, illis tamen ex alto mari, minores. Color ſupra ruber, in mare ſaturatior, et ex rubro ſubnigricans, ſub-

tus

tus una cum pedibus albus. Thorax ex ovata baſi ſubcordato-biroſtris, convexus, inaequalis, villis rigidis exſtantibus adſperſus, aculeisque undique craſſis ſpinoſis validis erectis obſitus; lateralibus utrinque ſeptem, et iis, qui mediam dorſi longitudinem percurrunt, majoribus. Roſtrum aculeato-bicorne, ſeu verius thorax ipſe antice convergens, in aculeos duos magnos fortes, ſurſum adſcendentes, et incurvos procurrit. Fronte, ſub hoc roſtro, transverſa, aculeis quinque, non minus magnis, antrorſum porrectis, armata; quorum intermedius et ipſe ſurſum adſcendendo incurvus; laterales utrinque bini oblique in latera horizontaliter divergunt. Oculi duo oblongo-ovales, convexi, atri, accreti pedunculis longis, oſſeis, teretibus, mobilibus, albis, ſupra hirto-villoſis, ſub eorumdem apice inferne; exſtantque oblique utrinque ad roſtri baſin, paulo fronte ſuperiores; adſitasque ſibi introrſum habentes antennas, reſpective quidem breves, roſtri tamen aculeis nihilo minores, ſetaceas, rubras, circellis annulatas, egregie villoſas; baſi oſſeae, craſſiuſculae, tereti, villoſaeque inſidentes. Tentacula duo teretia, articulata, apice forcipata, ſeu didactyla, paulo ſub aculeo frontis intermedio. Os ſubtus antice, ut in congeneribus, laminis nempe binis, magnis, albis, denticulatis. Palpi pediformes, apice unguiculo ſubulato inſtructi. Pedes octo, utrinque quatuor, corpore longiores, antici caeteris longiores, et ſic retrorſum ſenſim decreſcentes; articulis ſinguli quinque oblongis, teretibus, digitum fere auricularem craſſis, albis, copioſe hirto-piloſis, ungue apice forti, ſubulato, nigro terminati. Manus duae, reliquo corpore, ipſisque pedibus longiores, articulis longis, teretibus, (in littoralibus) nudis, laevigatis; (in pelagicis contra alti maris, praeprimis maſculis) tuberculato-ſpinoſis; in utrisque apice cheliferis. Chelae littoralium craſſiuſculae cylindraceae, longae, nudae, laevigatae; pelagicorum turbinato-cylindraceae, longiſſimae, latera verſus com-

preſſae, nudae, tuberculato-muricatae, ſpinuloſaeque; utrorumque ſemper didactylae; digitis tereti-ſubulatis, longis, laevibus, ſubaequalibus, ex livido fuſceſcentibus, apice albis. Vidi in maſculo digitum mobilem, ad fixum rectum, non nihil curvari, et introrſum ſerrulatos, apicibus aquoſe violaceis; forſan in pelagicis etiam faſciculato-villoſi ſint? Cauda ſub thorace inflexa, abdomini incumbens, alba, tuberculis rufeſcentibus hirto-villoſis obſita; in foemina ſemiovalis, marginibus denſe villoſo-ciliata; ſubtus nuda, ſuturis, praeter extimas, ſingulis pari pinnularum cartilaginearum, longarum, compreſſo-ſubulatarum, ad invicem arcuatarum, margine interiore villis ciliatarum, quibus ovula ruberrima adhaerent. In mare cauda anguſtior, linearis, apice obtuſa, margine ciliata, ſubtus pinnulis nullis; harum loco, pone pedes ultimos, ſtylis binis longis linearibus, hinc canaliculatis, inde teretiuſculis, apice cuſpidula uncinata piloſa terminatis.

73. *Scorpio Europaeus.*

Scorpio nigro-piceus, laevis, pedibus teſtaceis; chelis ſubcordato-ovatis, angulatis; pectinibus novemdentatis; aculeo caudae ſimplice, uncinato.

Scorpio pectinibus octodecim dentatis, manibus angulatis. *Linn.* Syſt. N. T. I. P. 2. p. 1038. N. 5. *Scopoli* Entom. p. 404. N. 1122. *Röſel.* Inſect. Suppl. T. 66. fig. 1. 2. *Schrank.* Inſ. Auſtr. p. 534. N. 1113. *Aldrov.* Inſ. p. 572. fig. p. 579. 1.

Nefas ſit inſecti non meminiſſe, quod Tergeſti, Goritiaeque per omnes paſſim domos, cubiculaque innoxium diſcurrit. Dubitaſſem vero, num de noſtro loqueretur Linnaeus, niſi Europaeum conſtanter dixiſſet, Röſeliique citaſſet ipſe figuram, quae neque duplice armatum unco aculeum caudae

caudae habet, nec pectines octodecim inciſos dentibus. Hac quoque de cauſa, nec De Geerii citavi ſcorpionem T. 7. p. 134. N. 5. Tab. 41. fig. 5. qui Surinamenſis Sebae eſſe poteſt, a noſtro diverſus Europaeo. Longitudo corporis in noſtro una cum cauda (demptis manibus cheliferis) ſemialterius, quandoque et duorum eſt pollicum; dantur tamen et minores; juvenes nempe; forſan ii mares? Corpus omne, demptis pedibus dilute teſtaceis, piceum, ſeu nigro-fuſcum, nudum, laeve, nitens; ſubtus pallidius, absque nitore, ſuturis abdominis quatuor, interioribus ſingulis pari macularum rotundarum flavicantium, quas Röſelius exprimere neglexit. Thorax longitudinaliter parallelogrammicus, depreſſo-convexiuſculus, antice rotundatur obtuſiſſimus; a capite indiſtinctus; ora faciei marginali ſubretuſa. In eo videas lineolam ſubtiliſſimam tantillum elevatam medium ejus dorſum longitudinaliter percurrere; tum oculos octo atros nitentes ſphaericorum inſtar tuberculorum; e quibus duo in medio dorſo contigui, utrinque lineae illi elevatae accubantes; terni contra utrinque in acie marginis lateralis thoracis antico, contigui, longitudinaliter ſeriati, intermedio reliquis duplo majore. Porro pedes octo, utrinque quatuor, duasque manus cheliferas; nullas tamen antennas. Pedes corpore breviores, graciles, teretes, articulis ſex teſtaceis, oblongis, pilis adſperſis; tarſo uncinulis duobus capillaribus. Manus frontales ſub oculis exortae, longiores, craſſioresque pedibus, corpori concolores triarticulatae, articulis angulatis, lateribus ſerrulatae, apice cheliferae; chelis ſubcordato-ovatis, tumidis, longitudinaliter angulatis, nudis, didactylis; digitis oblongis, ſubtriquetro-ſubulatis, introrſum denticulatis, ſubaequalibus, ſubincurvis; interiore (contra quam in Cancris) fixo. Os inferum, ſub fronte antica, palpulis? an tentaculis? binis breviſſime cheliferis. Pectines duo oblongi, foemoribus pedum poſticorum accubantes, et paralleli, albidi, ſive luteoli, dentibus

tibus inciſi novem, quandoque non niſi octonis, numquam vero octodecim. Abdomen oblongo-ſemiovale, thoracis latitudine, eique ſubcontinuum, depreſſo-convexiuſculum, ſuturis ſeptem. Cauda corpore longior, multo tamen gracilior, eidem caetera concolor, villulis adſperſa cadivis, ſubteretiuſcula, articulata, articulis ſex, quorum quatuor inferiores obovati, ſuperne canaliculati, ſubtus convexi, aequales, quintus reliquis longior; ſextus ſive extimus, ſphaeroidico-oblongus, villis adſperſus, aculeo ſimplice, extrorſum uncinato, aciculari, terminatus; quo adeo numquam ſe ipſum, ut fabula fert, occidere, alios ad ſummum laedere, poteſt.

INDEX

ſpecialis ad praecedentem obſervationem.

A.	pag.
Actinia equina	260
felina.	262
judaica.	264
ſenilis.	261
Aphrodita ſquamata.	275
Argonauta Argo.	254
Aſcidia adipoſa.	257
inteſtinalis.	258
papilloſa.	256
Aſterias aranciaca.	286
leptocnemos.	289
paraſitica.	291
rubens.	284
ſanguinolenta.	292

C.	pag.
Cancer agilis.	337
Araneus.	350
Aſtacus.	321
Bernhardus.	325
depurator.	340
Eremita.	329
Gammarus.	319
hirtellus.	344
lanatus.	347
Locuſta.	314
longicornis.	335
Maenas.	339
Maja.	354
Mantis.	331

	pag.
Cancer minutus.	334
norvegicus.	317
Pagurus.	342
perſonatus.	345
Pulex.	312
Squilla.	323
tribuloides.	352
E.	
Echinus Cidaris.	298
eſculentus.	296
lacunoſus.	301
ſaxatilis.	293
ſpatagus.	300
H.	
Hirudo adriatica.	255
Holothuria tremula.	267
I.	
Julus ſubmarinus.	303
L.	
Laplyſia depilans.	266
M.	
Meduſa fimbriata.	276
Monoculus roſtratus.	310
N.	
Nautilus Acicula.	252
Beccarii.	238
Nautilus Calcar.	245
criſpus.	243
Faſcia.	251
Granum.	248
littoreus.	241
navicularis.	241
obliquus.	249
Planci.	246
Radicula.	253
Raphaniſtrum.	247
Raphanus.	248
Scapha.	242
Sertum.	240
umbilicatus.	239
Nereis adriatica.	272
cirroſa.	270
pellucida.	273
O.	
Oniſcus Armadillo.	303
Aſilus.	305
littoreus.	308
S.	
Scorpio Europaeus.	356
Sepia Loligo.	281
octopodia.	278
officinalis.	279
ſepiola.	283

Klagenfurto Erlangam miſſ.
Menſ. Apr. 1791.

OBSER-

OBSERVATIO LII.

Dn. D. JO. CHRISTIANI DANIELIS SCHREBERI

ſiſtens

Spicilegia obſervationum de Cacto hexagono Linn.

Plures in Ephemeridibus Academiae Caeſareae Naturae Curioſorum exſtant obſervationes, quibus *Cactorum* hiſtoria naturalis haud parum fuit illuſtrata. B. Trewius enim, pro inſigni ſuo de re herbaria bene merendi ſtudio, in iis *Cacti hexagoni* et *grandiflori* Linn. vegetationem et florem graphice deſcripſit a). Idem *triangularis* florem, Altdorfii obſervatum, ibidem pulchra icone exprimi curavit b). Perilluſtris et generoſiſſimus Academiae Praeses vero, cujus attentionem nihil, quod ad diſciplinarum medicarum naturaliumve campum excolendum et amplificandum aliquid conferre poteſt, effugere ſolet, ejusdem *Cacti hexagoni*, de quo jam Trewius praeclare fuerat meritus, hiſtoriam memorabili auxit obſervatione. Docuit enim, quomodo caudex, quem e tenero ſurculo Ipſe educaverat, ex inopinato totus congelatus, et poſtea, decennio elapſo, putredine correptus, Ipſius cura, ab interitu fuerit vindicatus c).

Non ingratum itaque rei herbariae cultoribus fore confido, ſi et ego, in his Novis Academiae Actis, ad perficiendam *Cactorum*, et quidem inprimis hujus hexagonis, cognitionem

a) Vid. *Acta Acad. Nat. Cur. Vol. III. p. 393. tab. VII. VIII. — Vol. IX. app. p. 179. tab. XI. XII. XIII.*

b) *Vol. IX. app. p. 199. t. X.*

c) Vid. *Nova Acta Acad. Nat. Cur. Tom. VI. p. 214.*

tionem aliquid conferre conatus fuero. Occaſionem mihi praebuit idem iſte caudex, quem obſervatio Perill. PRAESIDIS notabilem reddidit. Viguit ille ex eo tempore, quo ſanatus fuerat, et crevit, usque ad annum 1778, quo nova adfligebatur calamitate. Quum enim d. VIII. Junii horrenda tempeſtas agrum Erlangenſem devaſtaret, ſegetes everteret, arboresque conquaſſaret, grando, magna vi et copia irruens, etiam illi multa graviaque incutiebat vulnera. At vero et haec non modo ſanata fuere, ſed etiam is inde exſtitit fecundior. Paullo poſt enim e lateribus propullulavit ſuboles, et anno 1782. ſub initium menſis Auguſti, ex uno angulorum tenellus erupit floris alabaſter, qui, ut in hac planta fieri ſolet, cito increſcens, d. 23 Auguſti veſpere, jucundo ſpectaculo, pulcherrime explicabatur. Quibusdam quoque annis ſequentibus protulit flores, et quotannis nova cepit incrementa, ita, ut nunc, ex dono Perilluſtris quondam Poſſeſſoris horti botanici Univerſitatis noſtrae literariae ornamentum, ſtatura duodecim aequet pedes Pariſinos.

Non quidem Cactus hexagonus ex iis ſpeciebus eſt, quarum flores rariſſime apparent: longe rarius tamen florere ſolet Cacto grandifloro, ſerpente, Opuntia, Ficu indica, rel. Primum in vicinia noſtra illum vidi florentem Uttenreuthae, anno 1773. menſe Septembri, in horto eximii ſcientiae naturalis cultoris, mihi, dum viveret, amiciſſimi, et poſt fata quoque cari, Jo. FRID. ESPERI, tum eccleſiae Uttenreuthenſis Paſtoris, poſtea dioeceſeos Wonſidelenſis Superintendentis optime meriti. Poſtquam vero caudex, de quo ſupra loquutus ſum, in hortum botanicum Erlangenſem veniſſet, tam hic, quam alii, aliunde allati, aliquoties floruere. Quum ergo icones floris, ſupra allegatae, quas b. TREWIUS fieri curaverat, nec ſatis affabre factae, neque iis internae floris partes ſufficienter expreſſae ſint; viſum eſt Perill. Praeſidi, ut artificioſa periti plantarum pictoris, Jo. CHRISTOPH. KELLERI, artis pictoriae in Univerſitate literaria

 Erlan-

Erlangenſi magiſtri, manu, novae et accuratae floris ejusque partium icones pararentur. His nunc — utinam pari artificio, atque a pictore elaboratae erant! — aeri inciſis, adjiciam, quae de hoc flore in adverſaria mea congeſſi.

Non immorabor iis, quae de radice et caudice b. Trewius, vere et pulchre, diſſeruit, utpote a ſcopo meo alienis. Hoc ſaltem, ut ne in icones noſtras errorem irrepſiſſe aliquis exiſtimet ignarus, adnotabo, Cactos hexagonos, quos in horto botanico colimus, tantum non omnes ſenis plures habere angulos, et plerosque quidem octonos. Hanc ob cauſſam fieri poſſet, ut aliquis ſuſpicaretur, illos non ad Cactum *hexagonum*, juxta definitionem *ſex* angulis diſtinctum, ſed potius ad *repandum*, quem in definitione *octangularem* dixit Linnaeus, vel ad *peruvianum* quem *ſuboctangularem*, vel ad *lanuginoſum*, quem *ſubnovemangularem* eſſe tradidit, referri debere. At enim vero, quicumque *repandi* iconem, a b. Ehretio pictam et a Trewio evulgatam d), *peruviani* deſcriptionem, cujus auctor eſt celeb. Swartzius e), et *lanuginoſi* iconem deſcriptionemque, quas Hermanno debemus f), cum deſcriptione et icone Trewii ff), ad hexagonum ipſo Linnaeo indicante referendis, quibus noſtri caudices ex aſſe reſpondent, contulerit, differentiam facile inveniet. Praeterea jam ante Trewium notaverat Hermannus, angulorum numerum haud raro in eodem caudice variare g).

Neque etiam hic me immiſcebo liti, dudum inter Botanicos agitatae, utrum corolla Cacti cum Tournefortio, Adan-

d) *Pl. ſelect. tab. XIV.*

e) *Obſ. botan. p. 199.*

f) *Parad. batav. p. 115. tab. 115.*

ff) *A. N. C. Vol. III. t. VII. VIII.*

g) *Parad. batav. p. 116.*

Adansonio, Fabricio, aliisque monopetala, an cum Rajo, Hermanno, Boerhaavio, Linnaeo, Jussievis, Lamarkio pluribusque Botanicis polypetala ſit habenda. Priorem ſententiam primum tuitus eſt Trewius in deſcriptione Cacti hexagoni h), poſtea autem eamdem fere deſeruit, dum in deſcriptione grandiflori i) ſegmenta corollae adpellavit petala. Fateor quidem, ſatis gravem eſſe hanc litem, quum ab ea pendeat locus, quem in ſyſtemate b. Linnaei occupare debet Cactus. Quoniam vero inſtituti mei ratio non exigit, ut illam jam meam faciam, in medio rem relinquo, et ad meas me converto obſervationes.

Prodeunt flores e caudice, nunc radici, nunc caudici propiores; ſaepius unus tantum in tota planta, interdum plures. Equidem ultra ſeptem nondum numeravi, Hermannus autem aliquando ſeptem et viginti; qui tamen non uno omnes effloreſcunt tempore, ſed ita, ut alter alteri ſuccedat; et non raro ultimi, antequam adoleſcant, emoriuntur. Unusquisque flos ſemper ex quodam caudicis angulo, e medio unius e faſciculis ſpinarum, ad baſin lanugine cinctarum, quibus acies angulorum ſunt obſitae, erumpit, ſetis quidem circumcirca cinctus, ſpinis vero, (plerumque ternis,) ad baſin tantum munitus; quae ſpinae tamen ad proxime inferiorem faſciculum potius, quam ad illum e quo flos oritur, pertinent. Directio floris fere eſt horizontalis; reapſe tamen ſub angulo, recto aliquot gradibus minore, e caudice egreditur. Primum adparet ſub forma noduli, qui vero celeri augetur incremento, et indies magis formam induit clavatam, quemadmodum *Fig.* 1. depictus exhibetur.

h) *A. N. C. Vol. III. p. 396.*

i) *Vol.* IX. et in *Pl. ſelect.*

Flos apertioni proximus, quem d. 7 Auguſti 1785. deſcripſi, longitudine aequabat 6″ 3‴ menſ. Pariſinae, et ingruente nocte expanſus, latitudine ultra 5″ 6‴. In hoc flore obſervabantur

CAL. *Perianthium* monophyllum, infundibuliforme: *tubo* cylindraceo, baſi paullo ventricoſiore, ſubincurvato, angulato; *limbo* patulo, multifido. In tubo anguli 9. inaequales, rotundati, ſulcis minus profundis ſeparati, (ceu totidem foliola calycina inferiora conglutinata,) in quibus, inaequali a baſi diſtantia, tubercula obtuſa, parum vel nihil a ſuperficie tubi ſecedentia, (foliolorum cal. velut apices;) tum, verſus limbum, ſquamae 3, apice ſolutae, vireſcentes, ad marginem parca purpura tinctae; ad limbum ſquamae vel ſegmenta ſ. foliola 6, linearia, apice rotundata cum acumine ex apice, dorſo vireſcentia, ora purpurea; tum 5 majora, obtuſa, quorum unum longitudine fere intimorum; tandem 10 intima, limbum ipſum proprie efficientia, lanceolata, a baſi ultra medium anguſtiora, antrorſum lateſcentia, tum contracta et angulo acuto terminata, apice acuminata, margine leviter ſerrulata, virentia, externe apice et ad marginem rubedine plus minusve infecta, ad purpureum colorem declinante; interne magis alba.

COR. Segmenta ſ. *Petala* 15, foliolis calycinis intimis forma fere ſimilia, paullo tamen longiora et latiora, (long. 2″ 6‴, lat. 8‴,) margine ſerrato-lacera, alba ſ. pallidiſſime flavicantia, ſub apice purpuraſcentia, tenera, patula.

STAM. *Filamenta* 654, tubo interne multiplici ſerie - in parte inferiore numeroſius - adnata, corolla (pollice fere)

fere) breviora, (long. 1″ 6‴ — 2″,) ſuperiora ſummitate adſcendentia; ſubulata, apice (ſub anthera) capillari; ex albo vireſcentia. *Antherae* oblongae, dorſo adfixae, ſulcatae, pro magnitudine floris parvae, flavae. *Pollen* ſubgloboſum, hinc ſulco exaratum, pellucidum, laeve.

Pist. *Germen* ovatum, uniloculare, album, baſi calyce incruſtatum. *Stylus* cylindraceus, ſtaminibus brevior, (long. 3‴ 9‴,) albido-vireſcens. *Stigmata* XIV, aequalia, divergentia, (long. 7¼‴,) ejusdem coloris.

Pericarpium non vidi.

Seminum *rudimenta* in Germine ovata, alba, diaphana, parieti germinis filo longo, curvo undique inſerta.

In alio flore, d. 8 Auguſti examinato, cujus aperti longitudo erat 5″ 6‴, latitudo transverſa 5″ 6‴, verticalis 5″, deprehendi petala ſ. ſegmenta corollae 11. foliola ſ. ſegmenta calycina intima 9. exteriora, his proxima, 5. Stamina non numeravi. Stigmata aderant XV. Formam et diſtributionem partium ceterum eamdem.

In flore d. 25 Aug. 1790. diſſecto, inveni petala et ſegmenta calycina, corollae proxima, 28. ſtamina 747. ſtigmata XIV. In alio, d. 27. ejusdem menſis et anni, long. 6″, petala cum proximis ſegmentis calycinis connumerata, 25. ſtamina 718. ſtigmata XIV.

k) l. c. p. 116.

Stamina ſemper ita numerabantur, ut ſingula evellerentur forcipe, tum dena in acervos congererentur, horumque numero computato quae ſupererant, adderentur. Hac ratione error irrepere non potuit.

Hermannus menſe Julio 1691. in Cacti hexagoni floribus numeravit petala 44, ſimul computatis, ut facile adparet, ſegmentis calycinis, exceptis extimis non dehiſcentibus; ſtigmata XVI. ad XVII. Flores illi longitudine aequarunt digitum humanum integrum cum ſemiſſe l).

Trewius ſegmenta calycis et corollae reperit ultra 40; iſtorum, quae corollam efficiunt, 13 fuiſſe teſtatur. Stamina numerare neglexit; ſtigmata vidit tantum XIII m).

Fabricius numeravit lacinias calycis circiter 24, nempe in exterioribus ſeriebus, ſimul ſumtis; corollae 28, ſimul additis ſcilicet laciniis calycis intimis, corollae proximis; ſtamina 773, ſtigmata XV. Etiam hic flos fuit magnus n).

(Hac occaſione liceat mihi commemorare, me curaſſe, ut et *Cacti grandiflori* Linn. floris, d. 8 Aug. 1785. explicati, ſtamina et ſtigmata accurate numerarentur. Staminum numerus tum erat 602, ſtigmatum XXII. B. Trewius numeravit ſtamina ultra 380; an recte? ſtigmata vero XXI p). Sed ad Cactum hexagonum redeo.)

Ex

l) *p. 117.*

m) *Act. Vol. III. p. 400. 401.*

n) *Enum. plantar. horti Helmſtad. p. 339.*

p) *Act. vol. IX. app. p. 193.*

Ex dictis colligitur, numerum partium non in omnibus floribus eumdem; in majoribus paullo majorem; differentiam vero haud magnam eſſe. Contra forma et diſtributio earumdem ſatis conſtans deprehenditur.

Ceterum petala ſuprema ſunt adſcendentia, infima fere perpendicularia. Floris vertex quaſi depreſſus.

Petala oblique plicato-undulata, non foliola ſ. ſegmenta calycis.

Stamina infima patenti-declinata, a tubo ſub angulo acuto divergentia; ſuprema adſcendentia, petalis ſummis adplicata.

Antherae in flore nondum penitus aperto adhuc clauſae, parallelepipedae, tetragonae, $1\frac{1}{3}'''$ longae; dum flos expanditur, curvantur et dehiſcunt.

Stylus, ab initio petalis ſuperioribus adpreſſus, ſenſim deſcendit, flacceſcens, tandemque petalis inferioribus incumbens. — Stigmata, modice divergentia, numquam recurvantur.

Ex dictis ſequitur, florem hujus Cacti non eſſe regularem, qualis Ruppio eſſe viſus eſt.

Odor ejus ab initio eſt acris (Raphani) cum admixta fragrantia non valde ſenſibili (Polianthis.)

In adjectis tabulis X. et XI. *Fig.* 1. ſiſtit Floris nondum explicati alabaſtrum.

Fig. 2. eſt flos expanſus, caudicis portioni inſidens.

Fig. 3.

Fig. 3. idem, poſtridie expanſionis mane contractus; in quo conſpiciuntur

a b Tubus calycis, ſulcatus et tuberculatus. Tubercula diſtinctius cernuntur Fig. 1.

c Squamarum ſub limbo prima, *d* altera, *e* tertia, *f* intima ſeries ſ. limbus proprius calycis.

g Segmenta corollae ſ. petala.

Fig. 4. Flos per longitudinem ſectus.

a Germen.

b Stylus, e germinis vertice prodiens.

c Calycis ſegmenta exteriora.

d Segmenta intima petalis proxima, ſ. limbus.

e Segmenta corollae, ſ. petala.

f Stamina, e pariete tubi interno pluribus ſeriebus ſub angulis acutis prodeuntia.

Fig. 5. Unum e Segmentis calycis exterioribus Fig. 3. *d* ſeparatum.

Fig. 6. Unum ex intimis.

Fig. 7. Segmentum corollae ſ. petalum.

Fig. 8. Tria ſtamina, a parte anteriore, poſteriore et latere.

a Filamentum.

b Anthera.

Fig. 9. Stylus.

a Stigmata quatuordecim.

APPENDIX
AD
TOMVM OCTAVVM
NOVORVM
ACTORVM
MEDICO-PHYSICORVM
ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOLDINO-
CAROLINAE
NATVRAE CVRIOSORVM IN GERMANIA.

CONTENTA APPENDICIS.

I. D. *Caroli Petri* THUNBERG Deſcriptiones Meſembryanthemorum quorundam in Capitis bonae ſpei Africes interioribus regionibus A. MDCCLXXIV. detectorum. pag. 1
II. *Adolphi* MODEER Tentamen ſyſtematis Meduſarum ſtabiliendi, pag. 19
III. M. *Ioannis Hieronymi* CHEMNITZ Obſervationes de Teſtaceis multivalvibus nonnullis. pag. 35
IV. D. *Maximiliani Iacobi* DE MAN Cogitationes de ſanguinis et aquae profluvio ex perfoſſo Chriſti latere. pag. 43
V. *Iuſti Chriſtiani Henrici* HEYER Experimenta nonnulla chemica cum ſpeciebus duabus minerarum plumbi Carinthiacarum inſtituta. pag. 55
VI. *Adolphi* MODEER Illuſtrationes quaedam in R. D. *Ambroſii Soldani* opus egregium, *Saggio Orittografico* dictum. pag. 85
VII. *Iuſtus Chriſtianus Henricus* HEYER de minera plumbi Carinthiaca, molybdaenae acido mineraliſata. pag. 95
VIII. Memoria D. *Ferdinandi Iacobi* BAIERI. pag. 117
IX. D. *Henrici Friderici* DELII Philyra, qua de nupero et praeſenti Academiae Nat. Cur. ſtatu breviter agit. pag. 131
X. Memoria D. *Chriſtiani Andreae* COTHENII. pag. 145
XI. D. *Henrici Friderici* DELII *Notitia Legati Cotheniani*, adjuncto Themate primo, ad praemium impetrandum; cum *ulteriori notitia*. pag. 183. 191
XII. Memoria D. *Maximiliani Iacobi* DE MAN. pag. 197

DESCRIPT-

DESCRIPTIONES
MESEMBRYANTHEMORUM
QUORUNDAM
IN CAPITIS BONAE SPEI AFRICES INTERIORIBUS
REGIONIBUS ANNO MDCCLXXIV.
DETECTORUM

A

CAROLO PETRO THUNBERG,
MED. DOCT. BOTANICES PROFESSORE UPSALIENSI EQUITE
AURATO REGII ORDINIS WASAEI.

Nulla regio Globi hujus terraquei tot ditata reperitur ſucculentis plantis, ac ſicciſſima illa et arida Africa, cujus Campi, vaſtiſſimi ſaepe, per plurimos anni menſes, ne gutta quidem aquae minima vel coeli rore irrigantur. Nihilo tamen minus, dum viventium animalium individuum fere nullum, praeter nonnullos mures, haec deſerta incolere valet, in hiſce viget numerus, quem vix crederes, maximus plantarum, foliis et caulibus ſaepe carnoſis et ſalſo ſucco repletis, ut Cacaliae, Craſſulae, Meſembryanthema, Portulacae, Cotyledones, Othonnae, Stapeliae, Aloë, cetera.

Cumque aditum Peregrinatori non facilem praebeant hae regiones, non mirum, Botanicis ſero innotuiſſe earum e regno vegetabili incolas pinguefactas.

 Con-

Contigit mihi, ante, Actis Societatis Deſcriptiones CRASSULARUM novarum inſerere *); jam plures novas Generis Meſembryanthemi ſpecies, deſcriptas communico, ea ſpe ac fiducia, fore, ut aeque ac priores benigne hae excipiantur.

ME-

*) Conf. Nov. Act. Nat. Cur. Tom. VI. p. 328, ſq.

MESEMBRYANTHEMI
NOVAE SPECIES.

* Corollis albis:

1. M. *Spathulatum:* acaule foliis ovatis.
Creſcit in intermedio Roggeveld.
Defloruit Novembri.
Radix craſſa, carnoſa, fibroſa, ſuperne diviſa (in plures cauliculos), perennis.
Caulis nullus.
Folia radicalia, circiter ſex, approximata, alternatim oppoſita, connata, ovata, obtuſa cum acumine; inferne attenuata, laeviuſcula; ſuperne papilloſo-ſcabra; intus concaviuſcula, extus convexa; integra, erecta, viridia margine rubro, ungvicularia; infima duo emarcida.
Flores e centro foliorum, radicales, pedunculati, ſolitarii, albi.
Pedunculus foliis brevior; uniflorus.
Perianthium 5-phyllum foliolis ovato-lanceolatis.

2. M. *Truncatum:* acaule foliis conicis truncatis.
Creſcit in rupibus in Camenaſie, in Carro infra Bockland, in collibus montium prope Hexrivier et alibi.
Floret Ianuario, Februario.
Radix fibroſa, perennis.
Caulis ſaepius nullus; rarius e foliis emarcidis annotinis articulatus, pollicaris.

Folium extimum digitiforme, ſubtruncatum, rima transverſa fiſſum, emarcidum, includens unum vel duo folia, craſſa, carnoſa. Si unicum, illud eſt digiti-forme, ſubretuſo-truncatum, ſaepius pulpoſum, interdum aliud folium intra ſe includens, tuncque apice rimula fiſſum. Si duo, latere interiori plana, ceterum ſimilia ſunt; viridia, punctata, ſemiunguicularia.

Flos terminalis, ſolitarius, pedunculatus.

Pedunculus compreſſus, membranaceus, per rimam folii exiens, longitudine folii.

Perianthium 4-fidum.

Singulare eſt, quod folium alterum intra alterum includitur.

Synon. Lycoperdaſtrum ſoboliferum, altius radicatum, glabrum, oblongum, viride. Burman. Decad. Pl. African. p. 22. Tab. 10. fig. 2.

3. M. *Teſticulare:* acaule foliis deltoideis.

Creſcit in collibus aridiſſimis prope Olyfants-rivier verſus ſeptentrionem.

Defloruit Octobri.

Radix perennis.

Caulis nullus.

Folia radicalia, plerumque quatuor, raro ſex, oppoſita, connata, deltoidea ſeu interius lateribus duobus planis, extus convexa, obtuſa, valde craſſa, laevia, glabra, albida, pollicaria. Anguli integri.

Flos e centro foliorum, ſolitarius, pedunculatus, albus.

Pedunculus anceps, uniflorus, bracteis binis oppoſitis connatis vaginatus, vix unguicularis.

4. M. *digitiforme:* acaule foliis teretibus laevibus.

Creſcit in Carro inter Olyfants-rivier et Bocklandsberg.

Floret Octobri, Novembri.

Radix perennis, faſciculata.

Caulis

Caulis nullus vel ſubnullus, rudimentis foliorum praeteritorum cinctus, fuſcus, decumbens.

Folia radicalia, alterna, circiter tria, approximata, vaginantia baſi latiori et craſſiori, tereti-digitiformia, obtuſa, glabra, laevia, mollia, pulpoſa, ſubditalia. Pollicem cum thenare ſuo omnino referunt.

Flos ex axillis foliorum, ſolitarius, ſeſſilis, albus.

Perianthium 5-phyllum: foliola ovata, margine membranacea, obtuſa.

Corolla polypetala: petala linearia, nivea, patentia.

5. M. *moniliforme:* ſub-acaule foliis linearibus.

Creſcit in collibus prope Olyfantsrivier verſus ſeptentrionem.

Defloruit Octobri.

Radix perennis.

Caulis fruteſcens, totus ex annulis annotinis moniliformibus compoſitus, brevis. ramoſus, fuſcus.

Rami oppoſiti alternique, toti ex annulis annotinis emortuis inſtar monilis conſtantes, breves, nudi, fuſci, ſubdiſtichi, vix digitales.

Folia terminalia, bina, baſi connata in globum viridem, teretia, ſupra planiuſcula, molliſſima, obtuſa, tenuiſſime pubeſeentia, dependentia, digitalia et ultra. *Baſis* folii in divaricatione folia inſequentis anni emittit inque annulum ſiccum abit.

Flores e centro baſeos foliorum, pedunculati.

Pedunculus angulatus, uniflorus, erectus, ſeſqui-digitalis.

Ex illis foliis, e quibus flores proveniunt, utrobique a latere pedunculi, prodeunt folia bina minuta, ramos duos inſequentis anni datura.

6. M. *faſtigiatum:* foliis connatis ovatis papuloſis, ramis erectis faſtigiatis.

Creſcit

Creſcit in collibus ſicciſſimis juxta Olyfants-rivier verſus ſeptentrionem.

Floret Octobri.

Radix tenuis, fibroſa, annua.

Caulis ſubnullus ſed rami ſubradicales, bini, oppoſiti, vel quatuor decuſſati, ramuloſi, faſtigiati, ſenſim incraſſati, purpurei, papuloſi, pollicares usque digitales et ultra.

Ramuli ſimiles, breviſſimi.

Folia ſub ramis et ramulis oppoſita, baſi connata, ovata, obtuſa, erecta, papuloſa, ſemiunguicularia usque pollicaria.

Flores in apicibus ramulorum terminales, ſeſſiles, faſtigiati, ſolitarii, bini et terni, albi.

Perianthium 5-phyllum, papuloſum, viride: foliola ovata, obtuſa, purpurea.

Corolla polypetala. *Petala* linearia, nivea.

7. M. *ovatum:* foliis connatis obovatis papuloſis, caulibus erectis ſimplicibus.

Creſcit prope Cap, in collibus ſabuloſis, vulgare.

Floret Auguſto.

Radix tenuis, fibroſa, annua.

Caules radicales, plures, erectiuſculi, teretes, aphylli vel in medio parum folioſi, ſimplices, papuloſi, cryſtallinis ſquamis tecti, unguiculares vel pollicares.

Folia caulina, oppoſita, rariora; radicalia plura, majora; connata, obovata, inferne attenuata, baſi iterum latiora, obtuſa, integra; ſupra papuloſa; ſubtus papuloſa et hyalinis ſquamis tecta; viſcida, plana, unguicularia vel pollicaria, viridia vel purpurea, carnoſa.

Flores terminales, ſolitarii, albi.

Perianthium carnoſum, viridi-purpuraſcens, papuloſum, cryſtallino-ſquamoſum, 5-partitum: foliola ovata, obtuſa, tribus paulo longioribus, lineam longa; margine tenuia, membranacea, concava.

Petala

Petala numeroſa, linearia, integra, alba, calyci inſerta eoque longiora.

Filamenta plurima, filiformia, diſtincta, glabra, alba vel purpurea, calycis baſi inſerta eoque breviora.

Antherae ovatae, didymae, flavae.

Nectarium: Sertum margini calycis affixum, germen coronans, crenulatum, viride.

Germen depreſſum, 5-ſulcatum, glabrum.

Styli 5, ſubulati, erecti.

Stigmata ſimplicia, acuta.

Capſula carnoſa, depreſſo-conica, 5valvis, 5locularis.

Semina plurima.

Planta humilis, diffuſa.

8. M. *emarcidum:* foliis connatis, ovatis, extimis emarcidis, caule erectiuſculo ramoſo.

Hottentottis: Kanna et Kon.

Creſcit in Bockland regione montoſa.

Floret Novembri, Decembri.

Radix perennis.

Caulis frutefcens, erectiuſculus, teres, glaber, ramoſus, ſpithamaeus.

Rami cauli ſimiles, alterni vel oppoſiti.

Folia connata, plana, ovata, acuta, emarcida, membranacea, venoſo-reticulata, erecto-patentia, unguicularia. *Axillae* onuſtae foliis carnoſis, punctatis, ovatis. oppoſitis, connatis, acutis, planis, plus duplo minoribus,

Flores terminales, ſubterni, pedunculati, albi.

Pedunculi incraſſati, uniflori, punctati, foliis breviores.

Perianthium punctatum, 4-partitum, rarius 5-partitum: laciniae inaequales, ovatae, acuminatae, punctatae, erectae.

Petala plurima, linearia, patentia, nivea.

Styli 4, ſubulati, erecti, calyce breviores.

Stigmata ſimplicia, acuta.

Planta tota contuſa, ſacculo indita ibique fermentata maſticatur ab Hottentottis, qui inde parum ebrii evadunt. *Sic* etiam praeparata diu ſervari poteſt, et imprimis ad ſitim exſtinguendam adhibetur ab Hottentottis in itinere quodam conſtitutis.

9. M. *articulatum:* foliis connatis lineari-lanceolatis, caule erectiuſculo ramoſo, floribus ſecundis.

Creſcit in Carro prope Olyfants-rivier usque ad Bocklandsberg, in Swartland et alibi.

Floret Octobri, Novembri.

Radix perennis.

Caulis teres, glaber, fuſcus, ramoſiſſimus, erectiuſculus, fruteſcens, pedalis et ultra.

Rami et *Ramuli* oppoſiti, ultimi alterni, baſi divaricati, inde patenti-erecti, teretes, ſecundi, articulati, glabri, virides, punctato-ſcabri, faſtigiati, ſpithamaei ultimis ſenſim brevioribus. *Articuli* ſemiunguiculares.

Folia connata, ſemiteretia ſeu ſupra plana, ſubtus convexa, obtuſa, integra, punctata, — emarcida, longitudine internodiorum.

Flores in ultimis ramulis terminales, ſeſſiles, rubri vel albi in eodem vel diſtincto frutice.

Perianthium punctato-ſcabridum, 5 fidum: laciniae ovatae, acutae, erectae, margine membranaceae.

Petala linearia, patentia.

Styli 5, ſubulati, erecti, vireſcentes,

Stigmata ſimplicia, acuta.

Varie-

Varietas: α. Major et altior, foliis deciduis, floribus albis.
β, Mediocris ſeu minor, floribus albis.
γ. Major floribus albis et purpureis,
δ. Major procumbens, punctato-ſcabra, floribus purpureis.

10. M. *faſciculatum:* foliis connatis teretibus glabris, caule articulato radicante.

Creſcit prope Söndagsrivier, longe repens.

Floret Decembri.

Radix fibroſa.

Caulis longus, repens, teres, radicans, articulatus, cinereus, glaber, ramoſus, craſſitie vix pennae, pedalis,

Rami breves, erecti, folioſi, floriferi.

Folia ſubteretia, vel triquetra, oppoſita, connata, obtuſa, in ramulis approximata, erecta, ſubincurva, impunctata, glabra, unguicularia.

Flores terminales, ſolitarii, pedunculati, albi.

Perianthium 4-fidum.

11. M. *ciliatum:* foliis connatis cylindricis, baſi barba reflexa, caule erecto ramoſo.

Creſcit in Carro inter Olyfants rivier et Bocklandsberg.

Floret Octobri, Novembri.

Radix perennis,

Caulis fruteſcens, teres, ramoſiſſimus, pedalis.

Rami et *Ramuli* teretes, articulati, alterni, ſecundi, erecto-patentes, faſtigiati, papuloſi; ultimi ſenſim breviores. Articuli ſemiunguiculares.

Folia oppoſita, connata, baſi barbata barba alba, longa, reflexa; ſubcylindrica, ſupra baſi parum plana, obtuſiuſcula, cryſtallino papuloſa, cryſtallino-ſubciliata, erecta, internodiis paulo longiora; inferiora emarcida.

Flores in ultimis ramulis terminales, pedunculati, faſtigiati, albi.

Pedunculus uniflorus, breviſſimus, ſemilineam longus.

Perianthium cryſtallino-papuloſum, albidum, 5-partitum: laciniae ovatae; extus convexae, papuloſae; intus planae, glabrae, obtuſae, erectae.

Corolla polypetala. *Petala* linearia, nivea.

Styli 5, capillares, erecti, flavi, calyce longiores.

Stigmata ſimplicia, ſubulata.

Simile M. articulato; ſed tamen ſatis differt:

1. articulis barbatis barba reflexa.
2. foliis papuloſis, ciliatis.
3. tota planta papuloſa.

12. M. *corallinum:* foliis oppoſitis teretibus glabris, caule ſtricto ramoſiſſimo.

Creſcit in collibus aridis prope Olyfantsrivier verſus ſeptentrionem.

Floret Octobri.

Radix perennis, lignoſa.

Caulis lignoſus, fruticoſus, ſtrictus, ramoſiſſimus, digitum craſſus, ſpithamaeus.

Rami et *Ramuli* alterni oppoſitique, toti ex articulis conſtantes, erecti, vix digitales, ſuperiores vix pollicares. Articuli tereti-ovati, virides, lineam longi, craſſitie pennae columbinae.

Folia e commiſſura articulorum, oppoſita, teretia, ſupra parum plana, obtuſa, diſtincta, erecto-incurva, articulis paulo longiora, glabra.

Flores ex apicibus ramulorum terminales, ſolitarii, ſeſſiles, albi.

Perianthium viride, 5-partitum: Laciniae teretes, erectae.

Corolla polypetala. Petala linearia, patentia, nivea.

** Corollis rubris.

13. M. *cordifolium:* foliis oppoſitis cordato-ovatis, caulibus laxis.

Creſcit in ſylvâ juxta Zeekoriuier.

Floret Novembri, Decembri.

Caulis herbaceus, angulatus, laxus, erectiuſculus, articulatus, papuloſus, glaber, ramoſus, ſpithamaeus et ultra.

Rami cauli ſimiles, breves, oppoſiti.

Folia decuſſata, petiolata, cordato-ovata, acuta, integra, carnoſa, papuloſa, ſupra ſulco, ſubtus carina notata, unguicularia usque pollicaria; ſuperiora minora.

Petioli ſubtrigoni, breves.

Flores terminales, ſolitarii, petiolati, rubri.

Perianthium 4-fidum, carnoſum, patens.

14. M. *capillare:* Foliis connatis ſubgloboſis, caule rigido ramoſo, ramulis filiformibus, floribus pedunculatis.

Creſcit in collibus prope Olyfantsrivier, verſus ſeptentrionem, juxta Camtous rivier, et alibi.

Floret Januario et ſequentibus menſibus.

Radix perennis.

Caulis teres, fruticoſus, rigidus, nudus, cinereus, ramoſus, erectus, pedalis et ultra.

Rami oppoſiti, teretes, rigidi, aphylli, ramuloſi, divaricato-patentes.

Ramuli ſuboppoſiti, breves, folioſi.

Folia connata, ovato-ſubgloboſa, ſupra parum planiuſcula, obtuſa, impunctata, glabra, viridia apice ſaepe purpuraſcente, lineam longa, ſaepiſſime quatuor approximata.

Flores e centro foliorum terminales, pedunculati, ſolitarii, erecti, minuti, rubri.

Pedunculus teres, ſesquilineam longus vel paulo ultra.

Alia eſt hujus varietas foliis magis teretibus, ſubpapuloſis.

15. M. *ſeſſile:* foliis connatis trigono-globoſis glabris, caule erecto tereti ramoſo, floribus ſeſſilibus.

Creſcit in Carro inter Olifants rivier et Bocklands Berg.

Floret Octobri.

Radix perennis.

Caulis fruticoſus, glaber, cinereus, ramoſus, pedalis.

Rami oppoſiti, cauli ſimiles, flexuoſi, divaricati, nudi, ramuloſi.

Ramuli oppoſiti, capillares, patentes, folioſi, glabri, breviſſimi.

Folia in ultimis ramulis oppoſita, connata, trigono-globoſa, extus gibba, intus planiuſcula, obtuſa, integra, impunctata, lineam longa.

Flores terminales, ſeſſiles, rubri.

Perianthium 5-partitum: laciniae rotundatae, obtuſae, aequales.

Capſula conica, ſupra obtuſa, pentagona, purpuraſcens.

16. M. *trichotomum*: foliis connatis trigonis, caule ſtricto ramoſo angulato, floribus ſeſſilibus.

Creſcit in Carro inter Olyfants rivier et Bocklandsberg.

Floret Octobri, Novembri.

Radix perennis.

Caulis fruticoſus, ramoſus, nudus, angulatus, cinereofuſcus, rigidus, ſubpedalis.

Rami oppoſiti, divaricati, inflexi, ramuloſi, cauli ſimiles.

Ramuli oppoſiti, faſtigiati.

Folia

Folia connata, obſolete trigona, obtuſa, integra, laevia, ſemiunguicularia. Duo folia ſub ramis exſiccata; quatuor axillaria articulum circumſtantia viridia.

Flores terminales, ſeſſiles, rubri.

Perianthium 4-partitum, inaequale: laciniae duae majores, foliis ſimiles; duae oppoſitae duplo breviores, ovatae, membranaceae, dorſo carinatae, obtuſae.

Corolla polypetala. Petala linearia, ſaturate purpurea, patentia, interioribus brevioribus albidis.

Styli quatuor, erecti, breviſſimi, purpurei.

Stigmata ſimplicia, patentia, flava.

Differt a M. *geniculifloro*: foliis non papuloſis, connatis, floribus terminalibus, rubris.

*** Corollis luteis:

17. M. *pinnatum*: foliis obovatis pinnatifidis.

Creſcit in montibus Roode Sand inque Paardeberg.

Floret Septembri, Octobri.

Radix ſubfuſiformis, fibroſa, annua.

Caules radicales plures, teretes, diffuſi, ramoſi, papuloſi, purpurei, ſubdigitales.

Rami alterni oppoſitique, pauci, breves, cauli ſimiles.

Folia oppoſita, ſeſſilia, ſubconnata, lyrato-pinnatifida, integra, cryſtallino-papuloſa, obtuſiuſcula, viridia margine purpuraſcente, ſubtus pallidiora, inaequalia, pollicaria: laciniae alternae, obtuſae, inferne ſenſim minores.

Flores axillares, pedunculati, ſolitarii.

Pedunculus teres, purpureus, foliis brevior.

Perianthium 5-phyllum: laciniae lanceolatae, obtuſae, inaequales, perſiſtentes, papuloſae, virides margine purpuraſcente.

Corolla polypetala, lutea.

Cap-

Capſula conica, ſubtus viridis, ſupra umbilicata, 5-gona, 5-ſtriata, purpurea, papuloſa, calyce coronata, 5-locularis.
Semina in ſingulo loculamento plura.

18. M. *aureum:* foliis connatis teretibus papuloſis, caule erecto fruticoſo.
Creſcit in Carro inter Olyfants-rivier et Bocklandsberg copioſe.
Floret Octobri, Novembri.
Radix perennis.
Caulis fruticoſus, ramoſiſſimus, bipedalis.
Rami oppoſiti, divaricato-patuli, teretes, articulati, cryſtallino-ſcabridi, ramuloſi.
Folia ad articulos, oppoſita, connata, ovato-teretia ſeu baſi plana, apice teretia, obtuſa, patentia, granulato-papuloſa, decidua, unguicularia, internodiis breviora. *Axillae* onuſtae foliis duobus vel quatuor, exacte teretibus, erectis.
Flores terminales, pedunculati, ſolitarii, flavi.
Pedunculus ſuperne craſſior, papuloſus, uniflorus, unguicularis.
Perianthium papuloſum, 5-partitum: laciniae inaequales tribus majoribus, teretes, obtuſae, baſi dilatatae, erectae.
Petala linearia, aurea.
Styli 5, ſubulati, erecti.
Stigmata ſimplicia, acuta.

19. M. *laeve:* foliis connatis trigono-teretibus, caule decumbente articulato.
Creſcit prope Söndags rivier.
Floret Decembri.

Caulis

Caulis filiformis, decumbens, articulatus, cinereus, glaber, ramoſus, craſſitie dimidia pennae, pedalis.

Rami erecti, breves, folioſi.

Folia decuſſata, connata, approximata, ſubteretia, ſupra planiuſcula, obtuſa, impunctata, glabra, erecta, pollicaria.

Flores in ramulis terminales, ſolitarii, flavi.

Perianthium 4-fidum: laciniae duae oppoſitae breviores.

20. M. *pruinoſum:* foliis connatis trigonis papuloſis, caule decumbente fruteſcente.

Creſcit prope Luris rivier et in Canna land.

Floret Decembri, Januario.

Radix perennis.

Caulis fruteſcens, procumbens, filiformis, ramoſus, palmaris.

Rami oppoſiti, flexuoſi, rigidi.

Folia oppoſita, ſeſſilia, obtuſe trigona, obtuſa, craſſa, approximata, cryſtallino-papuloſa, patentia, unguicularia.

Flos terminalis, ſolitarius, ſubpedunculatus, luteus.

21. M. *ſabuloſum:* ſubacaule foliis oblongis planis integris.

Creſcit in arenoſis Swartland et Saldanabay.

Floret Septembri, Octobri.

Radix fuſiformis, fibroſa, annua.

Caulis nullus.

Folia oblonga, acutiuſcula, inferne attenuata, ſupra ſulco longitudinali concaviuſcula, ſubtus convexiuſcula nervo longitudinali, integra, carnoſa, papuloſa, pollicaria vel ultra.

Flores terminales, majuſculi, flavi.

Pedunculi ſeu ſcapi filiformes, erecti, uniflori, papulis cryſtallinis recurvatis ſcabri, digitales.

Perianthium 5-partitum: laciniae oblongae, obtuſiuſculae, erecto-patentes.

Petala plurima, lanceolata, acuta.

Color corollae pallide luteus, nitidus.

Filamenta plurima, calyci inſerta, capillaria, inaequalia.

Antherae ovatae, didymae, rubrae.

Germen inferum.

Styli 5, ſtaminibus breviores, ſubulati, erecti.

ADOL-

ADOLPHI MODEER

SOCIET. REG. PATR. SVEC. SECRETAR. PRIMAR. ET ACAD.
REG. SCIENT. HOLMIENS. MEMBR. SOCIET. PETROPOL. NORWEG.
LOND. GOTHOBURG. FLORENT. LIPS. HASS. HOMBURG.
ET CASSEL. BAVAR. ACAD. IMPER. NATUR.
CURIOS. SODAL.

T E N T A M E N
S Y S T E M A T I S
M E D U S A R U M
S T A B I L I E N D I.

Fundamento, quod poſuit ad Naturae cognitionem Summus a LINNE, idem ac aliis ab Architectis maxime inſignibus exſtructis accidit: ſpatio temporis nova acquirunt augmenta, novisque indigent emendationibus. Ipſa Ejus aetate dudum Genus, ab Eo formatum, Meduſae, quoad Species, inter numeroſiora fuit. Numerus illarum, in praeſenti mihi tantummodo cognitarum, ad quadragenarium adſcendit. Quantus adhuc incognitarum etiamnum exiſtere poſſit!

Adeſt idcirco tempus, proſpiciendi, ne nimia magnitudine, tota obſcurata et degravata ruat caterva. Dicto igitur Generi non parandae ſolum et accommodandae ſunt ſubdiviſiones, ſed etiam Specierum, jure meritoque ſeparabilium, nova conſtruere oportet Genera.

Omnes illas claris oculis perſpectus Species, quae hoc usque ad tempus Generi adnumeratae ſunt Meduſae, in tria ad minimum dividi poſſe Genera, luculenter reperitur. Primum ergo Genus ſuis cum characteribus atque Speciebus, novis correctisque Synonymis, undique ſtudio indefeſſo conquiſitis et additis, fiat:

BEROE: Corpus gelatinoſum ſubovato-campanulatum longitudinaliter coſtatum; Subtus cavum, Ore centrali: Coſtae ſaepius ciliatae. Tentacula Cirrive quibusdam vix ultra duo, quibusdam nulla.

α) Tentaculatae.

7. B. *cucullus:* Tentaculis duobus ciliatis; Corpore hemiſphaerico, Coſtis 6 ciliatis.
Martens Spitsb. R. p. 131. t. P. f. g. *Mutzener Rotzfiſch.*

 Ade-

Adelung Geſch. p. 412. t. 17. f. 9. Nom. id.
O. Fabricius Fn. Gr. p. 361.

1. B. *Tintinnabulum:* Tentaculis duobus paribus, ſubaequalibus, exciliatis; Corpore oblongo ſubquadrangulari, Coſtis 2? laevibus.
   Slabber Phyſ. Beluſt. p. 65. t. 14. f. 1. *Die zweite Carminrothe Beroë.*
2. B. *Ovum:* Tentaculis duobus paribus, altero breviſſimo; Corpore ovato, Coſtis 8 ciliatis.
   Crantz Grönl. Hiſt. p. 135. *Manäte.*
   Fabricius Fn. Gr. p. 362. *Beroë Ovum.*
3. B. *Hexagona:* Tentaculis 2. tripartitis, exciliatis; Corpore ſemiglobulari hexagono, vertice producto flabelliformi, Coſtis 8 ciliatis.
   Slabber Phyſ. Beluſt. p. 28. t. 7. f. 3. 4. *Die ſechseckigte Beroë.*
4. B. *Laevigata:* Tentaculis duobus, exciliatis; Corpore oblongo-globoſo, Coſtis rufeſcentibus laevigatis.
   Slabber Phyſ. Beluſt. p. 47. t. 11. f. 1. 2. *Die glatte Beroë.*
5. B. *Denſa:* Tentaculis duobus; Corpore oblongo-globoſo, Coſtis - - - - rufeſcentibus, ciliatis.
   Forskål Deſcr. p. 111. *Meduſa Beroë denſa.*
6. B. *Pileus:* Tentaculis duobus ciliatis; Corpore ſubgloboſo, coſtis 8 ciliatis.
   Gronovius Act. Helv. 4. p. 36. t. 4. f. 1-5. *Beroë.*
   Baſter op. 1. p. 124. t. 14. f. 6. 7. *Altera Beroës ſpecies.*
   Linn. S. N. XII. p. 1325. *Volvox bicaudatus* *) *Houttuyn et Stat. Müller* Nat. Syſt. 6. p. 911. t. 37. f. 1.

β) Ten-

*) Volvox propriae Claſſis (mihi *Cryptozoa* dicendae) diſtinctum eſt Genus, cujus characteres ſint: *Vermis ſimpliciſſimus, pellucidus, ſphaericus; Sobole nidulante, ſaepius tranſparente.*

β) Tentaculis nullis.

8. B. *rufeſcens:* Tentaculis nullis; Corpore ovato-oblongo rufeſcente, coſtis - - - -

Forskål Deſcr. p. 111. *Meduſa Beroë rufeſcens.*

9. B. *albens:* Tentaculis nullis; Corpore parum oblongo-ovato, colore igneo albido, coſtis - - - ciliatis, albis.

Forskål Deſcr. p. 111. *Meduſa Beroë albens.*

10. B. *Infundibulum:* Tentaculis nullis; Corpore ovato, coſtis 9 ciliatis.

Baſter op. I. p. 123. t. 14. f. 5. *Beroë ovata.*

Gronovius Act. Helv. 5. p. 381. *Beroë.*

Linn. S. N. XII. p. 1324. *Volvox Beroë.*

Houttuyn et Stat. Müller Nat. Syſt. 6. p. 910. *Volvox Beroë.*

O. Müller Prodr. n°. 2816. *Beroë infundibulum.*

Fabricius Fn. Gr. p. 360. *Beroë infundibulum.*

11. B. *Cucumis:* Tentaculis nullis; Corpore oblongo, coſtis depreſſis 8, lanceolato-ciliatis.

Fabricius Fn. Gr. p. 361. *Beroë Cucumis.*

12. B. *Scaturigo:* Tentaculis nullis; Corpore ovato, coſtis 8 ciliatis.

Martens Spitzb. R. p. 131. t. P. f. h. *Springbrunnen Rotzfiſch.*

Adelung Geſch. p. 412. t. 17. f. 8. idem.

Browne Hiſt. Jam. p. 384. t. 43. f. 2. *Beroë.*

Linn. S. N. X. p. 660. *Meduſa Beroë.*

PHYLLIDOCE: Corpus gelatinoſo-cartilagineum, ſaepius orbiculatum, depreſſum; ſupra radiatim concentriceque ſtriatum, plerisque in medio elato-umbonatum quibusdam Criſta perpendiculari velatum. OS inferum centrale, ſubtubuloſo prominulum. TENTACULA conferta ſubretractilia apice acetabuliformia, Os cingentia Diſcumque ordinibus plurimis quaſi

Vel-

Vellere veſtientia. Cirri numeroſi filiformes, Tentaculis contermini, ſaepius Glandulis minutis pedicellatis obſeſſi.

1. Ph. *Velella:* Corpore orbiculato-ovali, Umbone dorſi Criſta ſub-obcordata explanata; Cirris infra Limbum ſubulatis, ſimplicibus.
   Imperati H. N. L. 28. C. 1. t. p. 912. *Velum marinum.*
   Columna Ecphr. p. 20. t. 22. *Velella.*
   Carburi nuov. Racc. 3. *Armeniſtari.*
   Allgem. Magaz. der Nat. 10. p. 143. f. 1-3. *Armeniſtari.*
   Bohadſch Zooth. p. 132.
   Dana Act. Taurin. 2. p. 206.
   Rozier Journ. 1. p. 3.
   Brovvne Hiſt. Jam. p. 387. t. 48. f. 1. *Phyllidoce.*
   Forſkål Deſcr. p. 104. t. 26. f. k. *Holothuria ſpirans.*
   Löfling It. Hiſp. p. 104. *Meduſa Velella.*
   Linn. S. N. XII. p. 1098. *Meduſa Velella.*
   Blumenbach Handb. p. 418. idem.
   Leſke Anf. Gr. 1. p. 514. *Die Segelqualle.*
   Houttuyn et *Stat. Müller* Nat. Syſt. 6. p. 127. *Meduſa Velella.*
2. Ph. *denudata:* Corpore orbiculato, Dorſo ſub-umbonato, Criſta nulla; Cirris infra Limbum, filiformibus, glanduliferis.
   Act. Angl. nro. 301. p. 2051. *Animalculum ex Tvica.*
   Forſkål Deſcr. p. 103. t. 26. f. L. l. *Holothuria denudata?*
3. Ph. *Porpita;* Corpore orbiculato, Dorſo undique aequali excriſtato; Cirris marginalibus filiformibus, glanduliferis.
   Linn. Amoen. 4. p. 255. t. 3. f. 7. 8. *Meduſa Porpita.*
   — S. N. XII. p. 1196. idem.
   — Muſ. Teſſ. p. 96. *Porpita.*
   König Beſchäft. der Berlin. Geſellſch. 2. p. 295. t. 9. f. 2. 3. *Meduſa umbella.*

Hout-

Houttuyn et *Stat. Müller* Nat. Syſt. 6. p. 123. t. 6. f. 1. *Meduſa Porpita.*

MEDUSA: *Corpus gelatinoſum, orbiculatum, ſupra convexum, ſubtus cavum. Os inferum, centrale, labiatum. Tentacula plerisque marginalia, ſaepius retractilia.*

α) Stipitatae.

1. M. *Proboſcidalis:* Corpore hemiſphaerico, ſupra marginem Tentaculis ſex; Stipite proboſcidali longiſſimo, apice membrana plicata fimbriato.
   Forskal Deſcr. p. 108. t. 36. f. F. *M. Proboſcidalis.*

2. M. *Digitale:* Corpore hemiſphaerico-ſubconico, margine ciliis tentaculato; Stipite penicillato.
   Fabricius Fn. Gr. p. 366. *M. Digitale.*
   O. Müller Prodr. nro. 2824. idem.

3. M. *Perla:* Corpore campanulato ſupra tuberculoſo, Limbo laevi, margine Tentaculis 8 teretibus capitatis; Stipite longiore plicato, apice penicillato.
   Slabber Phyſ. Beluſt. p. 58. t. 13. f. 1. 2. *M. Perla.*

4. M. *noctiluca:* Corpore orbiculari depreſſo, verrucis punctisque brunneis, margine Tentaculis 8 rubris; Stipite extus varie plicato.
   Forskal Deſcr. p. 109. *M. noctiluca.*
   Brovvne Hiſt. Jam. p. 385. *M. minor verrucoſa?*

   β. Corpore ſubopaco puniceo, verrucis Piſiformibus ſuperne pleno.
   Forskal Deſcr. p. 109.
   Browne l. c. *M. minima ſubfuſca verrucoſa?*

5. M. *ſanguinolenta*: Corpore oblongo-ovato, vertice ſimplici, margine Tentaculis 18; Stipite brevi apice bilobo, medio in roſtrum infundibiliforme producto.

Slabber Phyſ. Beluſt. p. 59. t. 13. f. 3. *Die Karminrothe Beroë.*

6. M. *Pileata*: Corpore ovato campanulato vertice globo hyalino, margine Tentaculis numeroſis, Stipite longitudinaliter lobato.

Forskal Deſcr. p. 110. t. 33. f. D. *M. Pileata.*

7. M. *cacuminata*: Corpore ſubconico-campanulato, cruce a vertice ad Limbum tendente rufeſcente, margine ſubtus Tentaculis numeroſis, Stipite Brachiis quatuor.

Forskal Deſcr. 110. t. 33. f. A. a. 1. 2. *M. cruciata.*

8. M. *Cymbaloidea*: Corpore campanulato, Inteſtinis 4 teretibus pedunculatis e vertice ad Limbum cruciatim exeuntibus, margine Tentaculis 18, Stipite longiore piſtilliformi.

Slabber Phyſ. Beluſt. p. 53. t. 12. f. 1-3. *M. cymbaloidea.*

9. M. *hemiſphaerica*: Corpore hemiſphaerico, Inteſtinis e vertice ad Limbum cruciatim exeuntibus 4 clavatis, margine Tentaculis ſedecim; Stipite breviſſimo quadrilobato.

Gronovius Act. Helv. 4. p. 38. t. 4. f. 7, 5 p. 379. *M. hemiſphaerea.*

Linn. S. N. XII. p. 1098. *M. hemiſphaerica.*

Houttuyn et Stat. Müller Nat. Syſt. 6. p. 127. *M. hemiſphaerea.*

O. Müller Prodr. n. 2822. *M. hemiſphaerica.*

— — Zool. 1. p. 13. t. 7. idem.

10. M. *unguiculata*: Corpore hemiſphaerico vertice truncato, longitudinaliter ſedecim radiato, margine ſedecies ſubemarginato, Tentaculis totidem unguiculiformibus;

Stipite

Stipite longitudine corporis octies ſtriato, apice ſubquadrilobato.

Swarz Act. nov. Holm. 9. p. 198. t. 6. f. 1.

11. M. *ocellata:* Tentaculis nullis; Corpore orbiculari planiuſculo, Limbo deflexo pendente, ſupra undique maculis niveis fuſco annulatis; Stipite brachiis 8 lanatis, cirratis.

Ex Oceano - - - Magnitudinis mediae 1. diametro 2. pollicum. Ut mihi videtur Stipes quadripartitus; unicuique parti Brachia 2 villoſa pollicaria, apice Cirro 2 pollicum. E centro diſci, una cum Limbo undique dictis aliquo ſpatio ornati Ocellis, ſignum Corollae quadripetalae rubrum translucet. In ſuo Genere pulcherrimam Muſeis Ac. R. Holm. et Societ. Nat. Berolin. obtuli.

12. M. *Cephea:* Tentaculis nullis; Corpore ſubhemiſphaerico, tuberculato, fuſco-rufeſcente, margine crenato; ſubtus centro cirrato, Stipite Brachiis 8 ramoſis, lanatis.

Forskal Deſcr. p. 108. t. 29. *M. Cephea.*

13. M. *octoſtyla:* Tentaculis nullis; Corpore hemiſphaerico tuberculoſo, radiis confertis pellucentibus; ſubtus centro cirrato, Stipite Brachiis 8 ramoſis multifidis.

Forskal Deſcr. p. 106. t. 30. *M. octoſtyla.*

14. M. *undulata:* Tentaculis nullis; Corpore orbiculari convexo, margine repando; Stipite Brachiis 8 teretibus, ad baſin imbricato-ſubfoliatis.

Aldrovandus Exſangu. L. 4. t. 18. f. 18. *Pulmo marin. Mathioli.*

Ionſton Exſangu. L. 4. t. 19. idem.

Reaumur Act. Pariſ. 1710. p. 479. t. 11. f. 27. 28. *Gelée de Mer.*

Borlaſe nat. Hiſt. p. 257. t. 25. f. 15. *Urtica marina.*

Pennant Brit. Zool. 4. p. 58. *M. undulata.*
Kalm It. Amer. 2. p. 117.
Martens Spitsb. p. 129. *Zackener Rotzfiſch.*

15. M. *Perſea:* Tentaculis nullis; Corpore orbiculari-convexo, Inteſtinis 4 lunatis albis; Stipite Brachiis 4 lanceolatis.
Forskal Deſcr. p. 107. t. 33. f. B. b. *M. Perſea.*

16. M. *minima:* Tentaculis nullis; Corpore orbiculari, ſupra punctato-florifero petalis octonis extus bilobis, centro macula quadriloba; ſubtus Stipite ſubclavato, integro.
Baſter Op. 2. p. 62. t. 7. f. 5. A. B. *M. minima.*

β) Brachiatae.

17. M. *brachiata:* Stipite nullo; Corpore orbiculari, margine Brachiis novem, apicibus novem, extimo Tentaculis novem †.
Linn. S. N. XII. p. 1098. *M. brachiata.*
Houttuyn et Stat. Müller Nat. Syſt. 6. p. 127. idem.

18. M. *marginata:* Stipite nullo; Corpore orbiculari convexo, ora marginato, margine Tentaculis plurimis diſco duplo longioribus; ſubtus Brachiis 4 laciniatis, diſcum non excedentibus.
Baſter Op. 2. p. 55. t. 5. f. 2. 3.
Houttuyn et Stat. Müller Nat. Syſt. 6. p. 124. *M. aequorea.*
Leske Anf. Gr. 1. p. 514. *Die rothgeſaumte Zwalle.*

19. M. *purpurata:* Stipite nullo; Corpore orbiculari-convexo, margine ciliis innumeris tentaculato; Cruce, radiis Inteſtinisque 4 lunatis, purpureis; Subtus Brachiis 4 teretiuſculis, longitudine diſci.

Borlaſe

Borlaſe Nat. Hiſt. p. 257. t. 25. f. 9. 10.
Pennant Brit. Zool. 4. p. 51. *M. purpura.*
Aldrovandus Exſangv. L. 4. C. 2. t. 17. f. 17. *Urtica 6. Rond.*
Browne Nat. Hiſt. p. 385. *M. minor annulis quatuor?*
Rondelet Piſc. L. 17. p. 533.
Ionſton Exſangv. L. 4. C. 1. t. 19. f. 1. idem.

20. M. *aurita:* Stipite nullo; Corpore orbiculari-convexo, margine ciliis innumeris tentaculato; Inteſtinis quatuor lunatis, ſubtus brachiis totidem laciniatis longitudine diſci.

Linn. It. Oel. p. 160. *Manätt.*
— Fn. Sv. 2. n. 2109. *M. aurita.*
— It. Weſt. p. 172. t. 3. f. 2. idem.
— It. Scan. p. 312. 328. *Manätt.*
— S. Nat. XII. p. 1097. *M.* aurita.
Baſter Op. I. p. 123. t. 14. f. 3. 4. *M. cruciata.*
Gronovius Act. Helv. p. 380. *M. orbicularis cruce alba.*
Kalm It. Bahuſ. p. 78. *Maniet.*
Loefling It. Hiſp. p. 5. 105. *M. aurita.*
Blumenbach Handb. p. 418. idem.
O. Müller Prodr. n. 2820. — Ic. t. 76. 77. idem.
Fabricius Fn. Gr. p. 363. idem.
Ström Söndm.
Bomare et *Aphelen* Dict. H. N. 3. p. 112. n. 2.
Houttuyn et *Stat. Müller* Nat. Syſt. 6. p. 125. t. 6. f. 2. *M. aurita.*
Dahl Trangr. Act. p. 64. *Manet.*
Olaſſen It. Isl. p. 715. *Köbmandshuer.*
Ioh. Fabricius Reiſe p. 256. *M. aurita.*
Pontoppidan Nat. Hiſt. p. 194. *Brändebole.*

21. M. *Campanula*: Stipite nullo; Corpore diſco gibbo, Limbo ampliato margine ciliis tentaculato; Brachiis quatuor piloſo-cirratis.
Fabricius Fn. Gr. p. 366. *M. Campanula.*

22. M. *Corona*: Stipite Tentaculisque nullis; Corpore hemiſphaerico, Brachiis 8 cultratis, infra utrinque dentatis, longitudine diſci.
Forskal Deſcr. p. 107. *M. Corona.*

23. M. *Lunulata*: Stipite Tentaculisque nullis; Corpore orbiculari convexo, Brachiis 8 ſimplicibus depreſſis trifariam ſubfoliatis, longitudine diſci.
Borlaſe Nat. Hiſt. p. 258. t. 25. f. 16. 17. *Urtica Marina octopedalis.*
Pennant Brit. Zool. p. 58. *M. lunulata.*

24. M. *Andromeda*: Stipite Tentaculisque nullis; Corpore orbiculari convexo; Brachiis 8 teretibus ramoſiſſimis, inferius ſparſim foliaceis, diſco longioribus.
Forskal Deſcr. p. 107. t. 31. *M. Andromeda.*
Pallas Spicil. X. p. 29. t. 2. f. 1-3. *M. frondoſa.*
Scopoli Introd. p. 381. idem.

25. M. *capillata*: Stipite Tentaculisque nullis; Corpore orbiculari-convexo, margine ſedecies emarginato, ſubtus radiis 16, Brachiis 4 diſco longioribus confertiſſime piloſo-cirratis.
Martens Spitzb. p. 130. *Roſener Rotzfiſch.*
Linn. Muſ. Ad. Fr. I. p. 94. *M. crinita.*
— Fn. Sv. n. 2108. *M. capillata.*
— It. Weſt. p. 172. t. 3. f. 3. a. b. idem.
— S. N. XII. p. 1097. idem.
Müller Prodr. n. 2821. idem.
Fabricius Fn. Gr. p. 364. idem.
Baſter Op. 2. p. 60. t. 5. f. 1.

Pon-

Pontoppidan H. N. Norv. 2. p. 294 *Manäte.*
Gronovius Act. Helv. 5. p. 379. *M. hemiſphaerica.*
Ström Söndm. I. p. 172. *Rödgople.*
Bomare et *Aphelen* Dict. H. N. 3. p. 112.
Kalm It. Amer. l. p. 107. *Maniet.*
Act. Holm. 9. p. 195. idem.
Loefling It. Hiſp. p. 5. *M. capillata.*
Schwartz upfoſtr. Sällsk. Fidn. 1784. p. 203. *M. pelagica.*
Houttuyn et *Stat. Müller* Nat. Syſt. 6. p. 126. t. 6. f. 3. 4. *M. capillata.*

26. M. *hyſoſcella:* Stipite Tentaculisque nullis; Corpore orbiculari-convexo, radiis e margine verſus centrum ſedecim triangulo-hyſoſcelis; Brachiis 4 laciniatis, diſco longioribus.

Linn. S. N. XII. p. 1097. *M. hyſoſcella.*
Borlaſe Nat. Hiſt. p. 256. t. 25. f. 7. 8.
Pennant Brit. Zool. 4. p. 57. *M. fuſca.*
Browne Hiſt. Jam. p. 385. *M. major fimbriata?*
β) *Borlaſe* l. c. p. 257. t. 25. f. 11. 12.
Pennant l. c. p. 58. *M. tuberculata.*

γ) Brachiis Stipiteque nullis.

27. M. *duplicata:* Brachiis Stipiteque nullis; Corpore orbiculari bitabulato, tabulis aequalibus tubo centrali connexis, ſuperiore ſuperne cruciatim quaſi diſſecta, inferiore Tentaculis 7 marginalibus.

Gronovius Act. Helv. 5. p. 380. *M. Corpore ſuperne cruciatim diſſecto.*

28. M. *conifera:* Brachiis Stipiteque nullis; Corpore orbiculari, medio dorſi in Conum capitatum elevato, Limbo mar-

marginato, Tentaculis 16; Subtus forniculo abdominali quadrangulari, cavitatibus 4 cincto diſtantibus.

Slabber Phyſ. Beluſt. p. 40. t. 9. f. 5-8. *M. marina.*

29. M. *Pilearis:* Brachiis Stipiteque nullis; Corpore orbiculari, diſco capitato, Limbo foraminibus 8, Tentaculis---; Subtus forniculato-piloſa.

Linn. S. N. XII. p. 1097. *M. pilearis.*

Houttuyn et *Stat. Müller* Nat. Syſt. 6. p. 126. idem.

30. M. *Bimorpha:* Brachiis Stipiteque nullis; Dorſo eminente, margine Limbi ciliis tentaculato; Subtus cruce minuta, foraminibus 5 cincta.

Fabricius Fn. Gr. p. 365. *M. Bimorpha.*

Müller Prodr. n. 2823. idem.

31. M. *mollicina:* Brachiis Stipiteque nullis; Corpore orbibiculari fere depreſſo, foraminibus intra Limbum 12 Tentaculisque totidem; ſubtus annulo centrali radiato.

Forskal Deſcr. p. 109. t. 33. f. C. c. *M. mollicina.*

32. M. *Coelum penſile:* Brachiis Stipiteque nullis; Corpore orbiculari-planiuſculo, Tentaculis infra Limbum, diſco triplo brevioribus, ſeptendecim; Limbo ſubtus confertiſſime radiato.

Forskal Ic. t. 28. f. B.

33. M. *Patina:* Brachiis Stipiteque nullis; Corpore orbiculari-planiuſculo, margine inflexo Tentaculis plurimis Diſco duplo longioribus; Limbo ſubtus radiis confertis, fuſcis.

Forskal Deſcr. p. 110. t. 32. *M. aequorea.*

34. M. *marſupialis:* Brachiis Stipiteque nullis; Corpore ſemiovato, margine Tentaculis quatuor.

Linn. S. N. 1097. *M. marſupialis.*

Houttuyn et *Stat. Müller* Nat. Syſt. 6. p. 127. id.

Plancus de Conch. p. 41. t. 4. f. 5.

35. M.

35. M. *Pelagica:* Brachiis Stipiteque nullis; Corpore hemiſphaerico-concavo, margine incurvato crenato, Tentaculis octo.

Loeſling It. Hiſp. p. 105. *M. pelagica,*
Linn. S. N. XII. p. 1098. idem.
Houttuyn et *Stat. Müller* Nat. Syſt. 6. p. 127. idem.

36. M. *globularis:* Brachiis Stipiteque nullis; Corpore hemiſphaerico, margine ciliis tentaculato.
Fabricius Fn. Gr. p. 364. *M. aequorea.*

37. M. *aequorea:* Brachiis Stipiteque nullis; Corpore orbiculari-planiuſculo, margine inflexo Tentaculis plurimis.

Loeſling It. Hiſp. p. 105. *M. aequorea.*
Houttuyn et *St. Müller* N. Syſt. 6. p. 123. *M. cruciata.*
Linn. S. N. X. p. 659, XII. p. 1097. *M. aequorea.*
Jeske Anf. 1. p. 514. *M. cruciata.*

38. M. *Reniformis:* Brachiis, Stipite, Tentaculisque nullis; Corpore orbiculari-Reniformi convexiuſculo, venis undique per Diſcum ſordide flaveſcentibus ramoſis e Globulo ſubverticali exeuntibus.
Slabber Phyſ. Beluſt. p. 33. t. 8. f. 45. *Nierenneſſel.*

39. M. *tetraſtyla:* Brachiis, Stipite, Tentaculisque nullis; Corpore hemiſphaerico, Tubulis Limbi inferioris 4 prismaticis.
Forskal Deſc. p. 106. *M. tetraſtyla.*

40. M. *cruciata:* Brachiis, Stipite, Tentaculisque nullis; Corpore orbiculari, cruce alba.

Linn. Fn. Sv. 2. n. 2110. *M. cruciata,*
— S. N. XII. p. 1196. idem.
Ström Söndm. Beskr. 1. p. 172. idem.
Müller Prodr. n. 2818. idem.

41. M. *ſimplex*: Brachiis, Stipite, Tentaculisque nullis; Corpore orbiculari-convexo, Inteſtinis 4 oblongo-ſubrotundatis difformibus.

Borlaſe Nat. hiſt. p. 257. t. 25. f. 13. 14.
Kalm It. Amer. 2. p. 109. *Hafsdjur.*
Pennant Britt. Zool. 4. p. 58. *M. ſimplex.*

Stockholmia Erlangam miſſa d. xx. Jul.
1789.

M.

M. JO. HIERONYMI CHEMNITZ

ECCLESIAE PRAESIDIARIAE GERMANICAE HAFNIENSIS PASTORIS ACADEMIAE IMPERIALIS NATURAE CURIOSORUM COLLEGAE SOCIET. SCIENT. REG. DANICAE ET ARCTOAE DRONTHEIMENSIS ELECTORAL. MOGUNTIN. ERFORD. GEDANENS. NATUR. SCRUTAT. BEROL. PHYSIOGR. LUND. ET SVEC. PRO FIDE ET CHRISTIANISMO SODALIS.

OBSERVATIONES

DE

TESTACEIS MULTIVALVIBUS

NONNULLIS

CUM

COLLECTIONEM HORUM

MUSEO ACADEMIAE NATURAE CURIOSORUM

DONO MITTERET.

Studium Conchyliologicum mihi ab ineunte aetate in deliciis fuit et adhuc ſenectutem — nam fere ſexagenarius ſum — valde delectat. Quare veniam dabunt Lectores, quando et in praeſentiarum de cochleis et conchis quaedam propoſiturus ſim. Navita de ventis de tauris narrat arator. Sic etiam Cultori Conchyliologiae et huic Studio maxime dedito Amatori hoc concedendum erit, ut de Scientia ſua, quae illi tamdiu curae cordique fuit, imo poſt negotia graviora ſemper dulciſſimum otium, et in triſtioribus fatis atque adverſis rebus, ſaepius ſolatium praebuit, verba, in his Ephemeridibus, facere et de re ſua Conchyliologica *munuſculum Muſeo Academiae Naturae Curioſorum*, quod Erfordiae aſſervatur, per manus multis nominibus a me ad cineres usque devenerandi *Praeſidis* DELII, quem nominaſſe eſt ampliſſime laudaſſe, offerre, et conſecrare liceat.

Hac vice tantum de Claſſe prima Conchyliologiae, quae *Teſtacea multivalvia* continet, et in ſe complectitur, pauca diſſerere animus eſt. Si Deus vitam et ſalutem mihi in proximo anno benigniſſime conceſſerit, tunc ex unoquoque genere Teſtaceorum *bivalvium* quasdam Species Muſeo Academiae Nat. Curios. quaſi pro decima transmittendas curabo. Denique de eo ſollicitus ero, ut ex Teſtaceorum *univalvium* Claſſe, atque iterum ex quolibet genere huius ordinis, de Scriniis meis Conchyliologicis ſelecta et numeroſa Cochlearum Colonia ad Muſeum Academiae tranſeat et transmigrare poſſit.

Teſtacea multivalvia a Gallis *Coquilles multivalves, polyconques*, ab Anglis *multivalve Shells*, a Danis *Mangeskallede*, a Belgis *Veelſchalige Schulpen*, appellantur. Hae conchae multivalves pluribus quam duabus valvulis inſtructae, vel ex portionibus teſtaceis, non quidem cardine, ſed tantum carti-

lagine et ligamento cohaerentibus quaſi conflatae ſeu compoſitae ſunt.

Claſſis teſtaceorum multivalvium ſecundum Linnaeum, communem Doctorem Naturae Curioſorum, tribus generibus abſolvitur. Primum genus Chitones, alterum Lepades, ultimum Pholades comprehendit.

Chitones plerumque octo valvulis, rarius ſeptem, rariſſime ſex valvulis longitudinaliter digeſtis conſtant. Nonnulli quondam de eo dubitaverunt, num Chitonibus jure meritoque locus inter Teſtacea tribuendus ſit. Unus e Sociis noſtris, Dominus FRANKENAU, jampridem pie defunctus, ſingulari errore deceptus in *Actis antiquioribus Academiae Nat. Curioſ.* Vol. I. Norimb. 1727. *Obſerv* 21. ex Chitonibus noſtris teſtaceis coronas ſerpentium, ſeu galeas illius animantis diadematas formavit et procreavit.

„Siſtimus heic, inquit, in appenſa figura (nempe tab. I. „fig. 2. qua Chiton ſquamoſus tabulis aeneis inciſus cer„nitur) galeam aut calvam Serpentis Americani capite „detractam rariſſimam, quam ſi quis coronam ſerpentis „aut galeam diadematam illius animantis appellare ma„luerit, per me liberum erit. Coloris eſt extus glauci „cineracei et ſubviridis, multisque punctulis obſcure „virideſcentibus in margine inferiore diſtincti, intus „vero ſubfuſci. Subſtantia ejus fere eſt oſſea, dura, „glabra et fornicata inſtar conchae venereae, unde ali„quot nudo ſaltem adſpectu deceptos concharum claſſi „calvam hancce annumerare non puduit.„

Sed Linnaeum ſagaciſſimum Naturae Scrutatorem et de Hiſtoria naturali immortaliter meritum, non puduit Chitones Teſtaceis adnumeraſſe, et me id nunquam pudebit. *)

Porrigo

*) Uberius, et eleganter, egit de *Chitonibus* ipſe Rev. et doctiſſimus harum literarum ſcriptor, in Tract. *von einem Geſchlechte vielſchaligter Conchylien mit ſichtbaren Gelenken, welche beym LINNE Chitones heiſſen.* Nürnberg, 1784. bey Raspe.

DELIUS.

Porrigo Muſeo Academ. Nat. Curios. hac occaſione centum et octo Exemplaria Chitonum, et quidem

Imo Quinquaginta Chitones ſquamoſos limbo ſquamuloſo. Habitant in India Occidentali. Viginti ſunt natu majores, viginti natu minores, et decem minimi tenerrima aetate. Colore, forma, magnitudine notabiliter differunt. Confer. de hac Specie Linnaei Syſt. Nat. Edit. 12. Spec. 5. pag. 1107, et in Opere a nobis exhibito Conchyliologico Syſtemat. tom. 8. tab. 94. fig. 788-791. pag. 171.

IIdo quinque Chitones ſcabros variegatos ab Inſula Sancti Thomae Indiae Occidentalis hic advectos. Videatur jam ſupra a nobis allegata Conchyliologia noſtra Syſt. tom. 8. fig. 792-793.

Quodſi aliis viſum fuerit hoſce Chitones non pro nova, a praecedenti penitus diverſa ſpecie, ſed rectius tantum pro ſingulari varietate Chitonum ſquamoſorum habendos eſſe, ego non diſſentiam.

III. quinque Chitones denticulares, quorum carinae triangulares ſcaberrimae ſubdenticulatae apparent. Limbus ſquamulis cineraſcentibus lentiformibus veſtitus eſt. Rupibus Danicam Inſulam crucis Indiae Occidentalis circumjacentibus inſtar patellarum affixae reperiuntur. Hi Chitones ceteris multo rariores ſunt. Vide uberiorem deſcriptionem illorum in Syſt. noſtro Conchyliologico tom. 10. tab. 173. fig. 1689. pag. 372.

IV. Decem Chitones laeves variegatos, ex India Occidentali mihi allatos, limbo ſquamulis unionum inſtar obſito et exornato. Vid. Syſt. noſtr. Conchyl. tom. 8. tab. 95. fig. 803. ſeq. pag. 282.

V. Decem Chitones piceos granulatos corpore ſeu limbo aculeato. Accepi ab Inſulis ditioni Regis Daniae in India Occidentali ſubjectis, nimirum ab Inſula ſanctae cru-

crucis, Sancti Thomae, et Sancti Johannis. Vid. Conchyl. noſtra Syſtematica tom. 8. tab. 96. fig. 806-810.

VI. Decem Chitones ex rubro et albido nitidiſſime marmoratos. Corpus ſeu limbum coriaceum ſaepius rubicundum, ſed nunquam nec ſquamulis nec aculeis contectum inveni. Hi Chitones in portu Grönlandiae cui nomen eſt Julianenshaab (id eſt Spes Julianae) vitam vivunt. Amicus, antiqua fide et religione de re mea conchyliologica optime meritus eos transmiſit.

VII. Decem Chitones nigri Aſellis cellariis (*Kellerwürmern*) ſimillimi. In Vicinia mea, nempe in ſinu Codano, vitam degunt. In plantis marinis, et in ſuperficie concharum, cancrorum aliorumque corporum marinorum frequenter deprehenduntur. Sunt tantum perexigui et nunquam, quantum ego ſcio, in noſtri maris fundo ad notabiliorem magnitudinem adoleſcunt.

Multis in hoc centenario Chitonum numero ineſt molluscum exſiccatum, ſeu Larva illius incolae et animalis, quod in hujuscemodi valvulis conchaceis vivere ſolet. In ore quorundam adhuc quaedam veſtigia tubuli illius ſingularis obſervantur, quem Chitones more conſueto ut proboſcidem in unaquaque cordis pulſatione et oris reſpiratione emittunt et rurſus retrahunt. Quibusdam ſpeciebus horum Chitonum corpus animalis carnoſum ac coriaceum, et limbum alias ſquamulis mirifice coloratis, vel aculeis obſitum prorſus detraxi, quo eo melius atque facilius ex forma hac ſceletata, ſeu ex octo a me adjectis Chitonum Sceletis, ſubſtantia valvularum conchacea ſeu teſtacea cognoſci, et commune vinculum chitonum cum teſtaceis, imo intima et arctiſſima cognatio cum illis, a quibusdam in dubium vocata, extra omnem dubitationis aleam poni poſſit.

Appendicis loco ſubjunxi

Imo duos turbines, qui in Syſtemate Nat. Linnaeano Picarum nomen obtinuerunt (vid. Linnaei Syſt. Nat. Edit. 12.

Spec.

Spec. 622.) In dorſo horum turbinum Chitones tam firmiter ſe agglutinarunt, ut vi non mediocri opus eſſet, quando eos nunc a ſede ſua fixa, quam elegerunt, divellere vellemus.

IIdo quatuor concreta Chitonum in quibus unus et alter alteri arctiſſimo nexu conjunctus et quaſi copulatus animadvertitur. Num haec copula carnalis coitus ineundi gratia, aut ex aliis rationibus facta ſit, peritiores dijudicabunt. Ego haec ignoro cum ignariſſimis.

Poſſideo in mea Collectione triginta ſpecies diverſas Chitonum. Quidam horum Chitonum in Oceano Indiae orientalis, alii in mari remotiſſimo Auſtrali, rurſus alii in oris Guineenſibus Africae, denique nonnulli in littore maris Mediterranei inventi ſunt. Occaſione famigeratiſſimi itineris Coockſiani a Chitonibus, in Freto Magellanico repertis et detectis, quidam ad meos uſus pervenerunt. Sed de hiſce ſpeciebus rariſſimis Orientalibus, Auſtralibus, Guinaicis, Magellanicis etc. tantum perpauca Exemplaria, uti id quilibet, me non monente, conjicere poterit, ad mei notitiam et haereditatem tranſierunt. Qua de cauſa aequiores judices hoc facile mihi condonabunt, quando jam ſolummodo de Copia Chitonum meorum, ex India Occidentali et Grönlandia acquiſitorum, neutiquam vero de inopia et penuria mea partem debitam Muſeo Academiae noſtrae transmiſerim et obtulerim.

In Ciſtula a me Muſeo Academiae noſtrae donata et lubentiſſime dicata collocavi praeterea ex fecundo Multivalvium genere

I. Sex Lepades de illa Specie, quae in Syſtemate Linnaeano Tintinnabulum vocatur. Sunt praegrandes.

II. Sex Lepades rariores echinatas ſeu ſpinoſas, Tubulis ſeu ſpinis undique circumſtipatae ſunt. Hanc ſpeciem accuratius deſcripſi in Conchyliologia mea Syſtematica tom. 8. fig. 840-841. pag. 317.

III. Tres Lepades pereximiae magnitudinis de illa Specie, quae apud Linnaeum nomen Diadema gerit. Fruſtra in Balaena vulgari Myſticeto et in Ceto Phyſalo quaeruntur. Sed habitant in Balaena Boope maxime in ſulcis pectoris et pinnis pectoralibus.

IV. Binas Lepades Pollicipedes, Gall. Pouſſepieds, quoniam, ex multorum ſententia, ſimilitudinem pollicum in pedibus habent. Pedunculus, cui adnatae ſunt, ſquamulis granulatus conſpicitur. Hae Lepades conſtant ex viginti et pluribus valvulis, forma et magnitudine valde inter ſe diſcrepantibus, et tantum cartilagine connexis.

V. Sexaginta Lepades anatiferas, et unam anſeriferam inſigniter ſtriatam. Unaquaeque quinque valvulis conſtat, et pedunculo membranaceo ſeu cartilagineo adhaeret.

Denique ex tertio genere teſtaceorum multivalvium adjunxi

I. Sex Pholades puſillos ex quinque valvulis, partim laevibus, partim ſtriatis et reticulatis, compoſitos. Exedunt cum Teredine ligna, trabes, tabulas navium, ideoque Pholades lignorum a quibusdam appellantur.

II. Septem Pholades crispatos. Omnes ſub cardine unico dente curvo elongato in utraque teſta inſtructi ſunt. Tertiam teſtam acceſſoriam hujus ſpeciei, quae ſupra valvularum cardinem locata eſſe ſolet, nunquam hucusque obtinere potui. Haec concha degit in limo portus Islandiae Vidör.

Hafniae
Pridie Calendarum Novembris
Anno MDCCLXXXIX.

I. H. Chemnitz.

MAXI-

MAXIMILIANI JACOBI DE MAN
COGITATIONES
DE
SANGUINIS ET AQUAE PROFLUVIO
EX
PERFOSSO CHRISTI LATERE.

Apud Veteres Romanos, in ſingulis legionibus, certus erat numerus, qui, primi in acie, haſtis dimicantes, *haſtati* dicebantur, Graecis λογχόφοροι.

Horum unus fuiſſe videtur Miles, qui, fidem faciente Evangeliſta JOANNE *) haſta lata cuſpide (id enim vocabulum λογχη deſignat) exanimis in cruce JESU transfixit latus, prorumpente protinus ſanguinis et aquae ſacro flumine.

Faceſſit, ab omni tempore, multum negotii, et Eruditorum ingenia mire torſit *ſanguinis* iſthoc *et aquae profluvium.*

Plurimi ad miracula, ceu ad fidam aut ignorantiae, aut ſuperſtitionis anchoram, confugêre: BLASIOS volo **), NIFANOS ***), THEOPHYLACTOS ****), RITTEROS *****), TARNOVIOS ******), POSNEROS *******), et, quos omnes recenſere nil attinet, ſexcentos alios.

At vero hoc eſt Alexandri gladio ſecare, non ſolvere, nodum: Et, quamvis divinam providentiam circa hanc rem vel maxime verſatam fuiſſe, venerabundus agnoſco, miraculorum tamen numerum haud temere ampliandum, arbitror.

*) Cap. XIX. v. 34. ubi haec verba leguntur: ἀλλ' εἷς τῶν ϛρατιωτῶν λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε, καὶ ἐυθὺς ἐξῦλθεν αἷμα καὶ ὕδωρ.

**) *in Veslingii Syntagm. Med.* cap. X.

***) *Comment. in h. l. Joann.*

****) *in Joann.*

*****) *de aqua ex Chriſti latere profluente.*

******) *in Evangel. Joann.*

*******) *in Diſputat. de ſingularibus et mirandis.*

Fallor? an aliquis mihi objicit, „ illam tamen triplicem „ JOANNIS aſſeverationem: *qui vidit teſtatus eſt — et verum „eſt ejus teſtimonium — et ille novit, quod vera dicit* *), „tergeminam (inquam) hanc aſſertionem plus ſatis indicare, „ hîc ſingulare quid, ac vere miraculoſum obtigiſſe? „

Reſpondeo, vix verſus proxime ſequentes inſpici, quin ex eorum nexu protinus palam fiat, longe aliud Evangeliſtae conſilium fuiſſe, ut ſcilicet, his verbis, pondus adderet ac robur prophetarum vaticiniis **); *Acciderunt enim haec* (inquit) *ut ſcriptum illud comprobaretur; nullum ejus os frangetis — itemque aliud ſcriptum ait: intuebuntur, quem compunxerunt.*

His et alia e Theologicis addi poſſent; ſed falcem nolo mittere in meſſem alienam, ſat arbitratus, ſi dicta oſtenderint, ex ſacri Scriptoris verbis, quod pro miraculis militet, eliciendum nihil.

Rectius hinc alii rationis viam ingreſſi fuerunt; ſed ita in diverſa tracti, ut, quot capita, tot tantum non ſenſus hîc numerentur: Atque utinam ex tot modo unam licuiſſet opinionem reperire, cui fidenter ſubſcriberem!

Non vero cum BARTHOLINO ***) facio, qui, loco ſanguinis et aquae, ſerum putat cruentum ex ipſo Thoracis ſpecu promanaſſe.

Etenim eſto! rubellum cruore ſerum, in omnium (quod ait) Thorace, conſtanter poſt mortem inveniri; eſto! idem illud, ob corporis animique cruciatus ac turbas, praeſertim, imo majori, quam ſolet, copia, penes JESUM obtinuiſſe; altius tamen penetraſſe mucronem, atque adeo et interiora magisque nobilia laeſiſſe, docet ipſa illaque propria vis verbi ἐκκέντειν ****), docet lente lateſcens haſtae figura, com-

*) cap. XIX. v. 35.

**) *Exod.* XII, 42. *Pſal.* XXXIV, 21. et *Zachar.* XII, 10.

***) *Epiſt. Med. Cent. 1. Ep. 72.*

****) *Joann.* XIX, 37.

comparata cum notabili illa cicatrice, quae increduli THOMAE manui, non digito tantum (ſicut de manibus ſuis praemiſerat JESUS) excipiendae deinceps apta cenſetur *).

Quid quod, ſumma niſi urgeat neceſſitas, ſacrae ſcripturae ſenſus nudus deſerendus non ſit, nec a ſimplicitate literae recedendum unquam: Quis autem, qui hanc ſerio mecum inſpexerit, non ultro fatebitur, ſanguinem et aquam ſeorſum prodiiſſe, et ita quidem, ut primo ſanguis, dehinc aqua proruperit?

Atque et eapropter (ut alia taceam) BAPTISTAE **) fidem non habuerim, quando confuſum aquis cruorem, haſtilia circum, militis in digitos oculosque delapſum, aſſeverat, canendo:

Tu caecus, non mente minus, quam corpore, Sanctum
Lancea et admoto pectus mucrone petiſti:
Inde cruor, confuſus aquis, haſtilia circum
In digitos lapſus, tetigit cum lumina, morbum
ſuſtulit;

et quae plura illius generis ſequantur.

Nec tua moveor auctoritate AMBROSI! qui cum HIERONYMO, DAMASCENO, RUFFINO, TERTULLIANO, aliisque ***), myſterio baptiſmatis elicitus, hinc religioſe quidem, ſed temere, profluentium liquorum ordinem invertere non dubitas.

Et quid referam de LAURENTIO ****), et quotquot idem cum eo opinantur?

Aquam (largior, quemadmodum et pluribus infra patebit) aquam a Pericardio recte deducunt. Sed unde ſanguis? ex cute, aut muſculis cuti ſubjectis? Nae! illa, in cadavere, rigido ferro transfixa, cruorem, notabili ſaltem ea copia,

*) *Joann.* XX, 27.

**) *Libr. Faſtorum.*

***(videatur VOETIUS *Part. II. Selectar. Diſputat. Theolog. de perfoſſo Chriſti latere.*

****) *Hiſtor. anatom. de organ. vitalibus, libr.* IX.

copia, quae ſingularem ſpectantis ad ſe rapiat attentionem, fundere recuſant:

Imo vero, majori e profunditate ſanguineum de vulnere exiliiſſe torrentem, quae ſuperius jam dicta, ac vel ipſum verbum ἐξῆλθεν, plus ſatis indicant.

An ideo ex vulnerata Pulmonum ſubſtantia? Non videtur: Quippe, qua ratione Pulmoneus ſanguis, cui, poſt mortem vis nulla, nullus proſiliendi impetus, collapſo et praeterea, ob aërem per vulnus ingreſſum, hoc viſcere, ſicque amplificata inſigniter pectoris capacitate, exiiſſet de latere, nec in inferiorem potius ac poſticam Thoracis partem fuiſſet delapſus, ſane nulla ratione aſſequor.

Quid quod et tunc verarum per coſtarum interſtitium lancea pectus introiviſſet; at huic reclamat, reclamat fortiſſime, inſignis illa cicatrix, in quam non digitum, ſed manum immittere (uti ſuperius animadverſum) juſſus deinceps THOMAS fuit: Quali profecto cicatrici, has inter coſtas, nullus, ſi non frangatur ſimul coſta, atque adeo ſine prohibita, cum per legem *), tum per promiſſum **), oſſis fractura, locus relinquitur:

Tantum igitur ab umbilico horum adhuc diſtat difficilioris hujus problematis ſolutio!

Venio ad Chirurgiae Batavae verè decus, dexterrimum ac amiciſſimum J. VAN DER HAAR.

Laetarer, ſi, quam ante aliquot annos, ſuper hoc themate evulgavit ***), opinionem amplecti liceret: Sed prohibent, quibus et haec premitur, difficultates.

Mor-

*) *Exod.* XII, 46.

**) *Pſalm.* XXXIV; 21.

***) *vide Holl. Maatſchappië VI. Deel 2 Stuk* p. 923, quibuscum conferantur, quae, ob eodem prodita, leguntur *Algemeene vaderlandſche Letteroeffeningen V. Deel 2 Stuk* p. 288.

Mortui Salvatoris ſanguinem, credit, in dextro cordis ventriculo, aut in Vena Cava, non ſecus ac in vaſe fictili, poſt ſectam venam, aſſolet, in duas partes ſeceſſiſſe: alterum coagulum, ſerum dixerunt alterum.

Pertuſo hoc cruoris et ſeri communi receptaculo, Cor fuerit aut Vena Cava, ſanguinem putat prodiiſſe, ſerum ſubſecutum.

At enim (verba ſunt BARTHOLINI *)) „Frigus non „ſtatim Chriſti corpus invaſiſſe, norunt illi, qui morituris „adeſſe ſolent, integro ſubinde die, poſt animae exilium, „permanere in cadavere calorem ſuperſtitem, confirman„tes; ut nulla congelatio liquorum, in Chriſti corpore, po„tuerit induci.„

Verum dabo (quamvis invitus) dabo, tot poenarum agitationibus inflammatum (quod urget) ac tenebricoſi inſuper trihorii frigore condenſatum JESU ſanguinem, ſecedente ſero, vere coiviſſe: Haud facile tamen mecum quiſpiam intellexerit, qui fieri potuerit, ut coagulata ejusmodi maſſa non in inferius ac poſticum pectoris cavum delapſa fuerit, ſed *Lateris de vulnere* egreſſa, quid? Sero citius ſe proripuerit.

At mitto controverſias; et, quid ego opiner, *Lector Benevole!* dum ſciſcitaris procul dubio curioſior, tuam ne patientiam fallere videar, mox expedio.

Agedum! per cuncta et ſingula eundo, reminiſcere quaeſo mecum, quae in horto *Gethſemane*, dehinc coram ANNA, CAJAPHA, in Judaeorum ſynedrio, penes PILATUM, HERODEM, ſed imprimis in horrendo ſupplicii loco, *Golgotha*, perpeſſus fuerit JESUS! Quid animi preſſo tanta poenarum mole divino Redemtori fuiſſe putas?

Facile

*) *Epiſtolar. Cent.* I. *Epiſt.* 72. Conferri et meretur MORGAGNUS *de ſedib. et cauſ. morbor. Epiſt.* XIX. *Art.* 17.

Facile mecum fateberis, nullam naufragam puppim tot unquam procellis jactatam, tot maris undis verberatam, tot ſcopuli ictibus colliſam, quam angoris, doloris, horroris procellis, undis et ictibus agitata fuerit, concuſſa et veluti contrita pacifici Soſpitatoris anima.

Sed idem illi, ac nobis, animae nexus cum corpore fuit. Par mobile Corpus.

Non igitur miraberis, tot tamque violentis in Mente agitationibus, et Machinam ipſius Corpoream miſere quaſſatam fuiſſe.

Eſt rationi, eſt experientiae conſonum, ſub eiuſcemodi mentis turbis, quamdiu illud irritabile principium in corpore regnat, quod omnium motuum cauſa et vere θεῖον nuncupatur, vaſa arterioſa minora conſtringi; tantoque fortius et plura, quanto mentalium commotionum et violentia et numerus ſunt majores.

Maximam proinde concludo et multorum canalium hîc fuiſſe conſtrictionem.

At eadem haec conſtrictio immanet, quantum aucta fuerit infando ipſius corporis dolore: Quem JESUM ſubiiſſe, negaverit nemo, ſi lividam alapis faciem, lacerum flagellis dorſum, ſaucium ſpinis caput; ſi acuminatum e cruce proſtans ſedile, ferocem omnium artuum extenſionem; ſi ferreos reſpexerit ac trabales, per tendineas manus pedesque adactos, clavos.

Aucta fuerit a repentino aëris, nudum corpus alluentis, frigore, dum trium horarum tenebrae atro noctis tegmine terram obvolverent.

Aucta denique a vinculis, quibus brachia, ſi non et crura, maledictae trabi adſtricta ſaeviter; atque ita non minores tantum arteriae compreſſae, ſed et majores oppido anguſtatae fuerunt.

Tot vaſis arctatis et inter haec inſignioribus, quantus circulantibus humoribus obex! quanta cordi reſiſtentia! quan-

quantus in momenta, pro gliſcentium poenarum pondere, adjectus utrique cumulus!

Ergo purpureus ſanguis, in vaſis liberis congeſtus, non potuit non inſignem ibi produxiſſe et expanſionem et attritum.

Id autem in Aorta cum vel maxime obtinuerit, dubium non eſt, quin arteriae coronariae multum dilatatae fuerint, ac ſanguinis plus ſolito per cordis detulerint parenchyma.

Major hinc ſecretio liquoris illius roridi, qui intra Pericardium iugiter exhalat, Cordi ſuam lubricitatem mobilitatemque ſervaturus.

Verum enimvero! eadem illâ Aortae plenitudine, ex circulationis lege, factum fuerit, ut cor ſiniſtrum non expedite ſatis ſe potuerit evacuare; conſequenter nec venae pulmonales, nec ejusdem nominis Arteria, neque cor dextrum.

Haeſerit itaque et ante dextrum ventriculum, in Auricula dextra et Vena Cava, accumulati ſanguinis copia; illaque tanto inſignior, quanto magis et procul dubio tremulae prae doloribus Muſculares Fibrae acceleraverint humorum per venas ad cor reditum.

Sic igitur congeſto ſanguine, uti memorata Vena, ita et Auricula haec dextra referta inſigniter et expanſa fuerit*):

g 2 Sed

*) Quantopere interdum, impedito per Pulmones libero ſanguinis circuitu, vena cava expandatur, patet ex MORGAGNO (*de ſedib. et cauſ. morbor. Ep.* XIX. *art.* 17.) qui, in ſuſpenſo, venam cavam deſcendentem cruore valde extenſam reperit. Idem de Auricula dextra et venae cavae ſinu, poſt aſthma, memorat C. M. FORLANUS, *Rarior. obſ. decad.* I. p. 75.

RIOLANUS *in Gaſſendum*, p. 111. meminit ſtrangulati, cujus vena cava, prope Cor, ad molem pugni fuerat dilatata. Similem Hiſtoriam de ſuffocata notat FONTANUS *Conſ. reſp.* p. 59. Imo C. CONSENTINUS p. 284. in ſtrangulatis animalibus, aliquando venam cavam rumpi, ſcribit: videatur HALLER *in inſtitut. Med. Boerhav.* §. 619. in Nota.

Sed,

Sed et eapropter venoſus, a Corde per Coronarias redux, ſanguis minus libere potuit recipi: Dum eaedem praeterea venae, a dilatatis arteriis ſociis ubique preſſae et coanguſtatae, ſegnius revexerint redeuntes humores.

Quid inde! Roridus Pericardii latex, pro aucta ſui ſecretione, reſorptus non fuerit.

Accreverit itaque liquor; et Pericardium eo tandem extenſum non ſecus et inflatum fuerit, ac ſi vero turgeret hydrope.

In hoc ſtatu mortuo demum JESU, omnis ſanguis arterioſus, relaxatis ſpaſmodicae conſtrictionis vinculis, tranſierit in ſyſtema venoſum, accumulatum jam ibi ſanguinem novo cumulo adaucturus.

Haec rerum facies, haec cadaveris fuerit conditio, cum, ſive petulanti protervia, ſive Judaeorum captandi favorem ſtudio; ſive quacunque alia cauſa inſtigatus, Miles cuſpide ſacrilega latus transfigit, eque vulnere cruoris et aquae fundit rivum.

Animadvertis, *Honoratiſſime Lector!* ratiocinationis meae telam jam eo pertextam, ut utriusque liquoris profluvium tribus verbis enodaverim.

Pona-

Sed, ex alta voce, quacum JESUS animam in cruce reddidit, forte mihi quiſpiam regeret, reſpirationem illius utcunque liberam fuiſſe, indicio, nullam in Pulmonibus ſanguinis obtinuiſſe congeſtionem. At vero aequa ratione parique jure et inde deducendum foret, per omne crucis martyrium minime fatigatum, aut viribus fractum fuiſſe Salvatorem; id quod tamen nemo ſanior unquam crediderit: Ergo ex hac vocis intentione, me contra, concludendum nihil, cum eadem ſupernaturalis fuerit, ac ſolius divinitatis, nova etiamnunc, eaque majori, cum efficacia influentis effectus; quo palam fecit CHRISTUS, ſe poſſe, ſi vellet, poſt tot exantlatos labores, Divinitate ſua vitam ſuam protrahere; ſed, cum conſummata eſſent omnia, eandem, humanitate hac ſua divina ſuſtentatione privata, ſibique relicta, libenter et ultro deponere.

Ponamus, per dextrum latus, ad imum decimae Coſtae marginem, ante initium Cartilaginei undecimae Coſtae extremi, immite ferrum intraſſe corpus, et obliqua directione adſcendendo, per hepatis tranſiiſſe parenchyma, ac ſanguine turgidam trajeciſſe, qua proxime hic in directionis linea adjacet, Venam Cavam deſcendentem; dehinc, progrediendo, et ipſum feriiſſe Lympha gravidum Pericardium: Res in propatulo eſt, et cujusvis bene munctae naris aſſenſum mihi polliceor, non potuiſſe non, quidquid transadacta vena, *ſupra* vulnus, congeſtum habuerit ſanguinis (nullo ab inferioribus adſcendente) uno protinus impetu, per factum in hepate canalem, prorumpere, ſimilique vi copioſum Pericardii laticem inſequi.

Et ſane! ſervato, in omnibus, ſacrae hiſtoriae ſenſu ac ordine, non aptiorem explicationis viam facile mihi quiſpiam monſtraverit. Quid quod et hac ratione, ſine oſſis fractura, locus relinquitur inſigniori illi cicatrici, de qua ſuperius monitum fuit.

Favet praeterea huic meae opinioni XAVERII *Hiſtoria Chriſti Perſica; a Ludovico de Dieu* edita, quae dextrum Soſpitatoris latus perterebratum aſſeverat.

Favet Arabica verſio, teſte KIRSTENIO *), Medico, Arabicae Linguae apprime gnaro, cujus haec verba ſunt: *Latus illud Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, in Cruce pendentis, quod militum unus lancea aperuit, dextrum fuiſſe, omnes textus Arabici, tum typis excuſi, tum calamo exarati, ſumma conſtantia docent.*

Favent antiquiſſimae Picturae et Veteres Nummi (quos inter aureus ille Conſtantinopolitanus, isque optimae notae) qui omnes latus dextrum perfoſſum repraeſentant **).

g 3 Imo

*) in *Praefatione Grammatic. Arabic.*

**) Vide LAMPE *Comment. analytico-exegetica in Evangelium Joannis Tom. III.* p. 628. in Nota.

Imo RITTERUS *) prophetam putat *Ezechielem* **) ad hoc latus alluſiſſe, quando inquit: *Ecce aquae redundabant a latere dextro.*

Et Heſychius cum PROCOPIO, quod, ſecundum *Leviticum* ***), agnus ad latus arae ſeptentrionale, h. e. dextrum, mactandus eſſet, ad agnum transferunt, traditum pro peccatis mundi, et in dextro latere transfixum.

Verum haec vobis dijudicanda relinquo, quibus per Divinorum Oraculorum latifundia inoffenſo pede datur progredi.

Id unum ſuperaddiderim, ſeparatum illud cruoris et aquae profluvium indubitatum ſiſtere exſtincti jam Crucis ſupplicio Redemtoris indicium;

Quandoquidem, ſi nondum vere exſpiraſſet JESUS; ſi circa Cor, Regiam vitae Domum, humorum quantuluscunque ſuperfuiſſet circuitus; profecto vulnerata vena cava adfluentem iugiter ab inferioribus ſanguinem uno jugique rivo projeciſſet, nec ulla ratione diſtingui potuiſſet Pericardii Liquor.

Neomago Onoldum
miſſa d. XXI. Novembris
MDCCLXXXIII.

EX-

*) *Diſſertat. de aqua ex Chriſti latere profluente.*
**) XLVII, 2.
***) cap. I. 11.

EXPERIMENTA
NONNULLA CHEMICA,
CUM SPECIEBUS DUABUS
MINERARUM PLUMBI
CARINTHIACARUM,
INSTITUTA,

AB

JUSTO CHRISTIANO HENRICO HEYER
PHARMACOPOLA BRUNSVICENSI.

§. I.

Quis hodie adhuc ignorat, cognitionem illius *Acidi*, quod *Bergmannus*, et *Scheelius*, chemici celeberrimi, primum in Lapide *Ponderoſo*, et Hiſpani *d'Elhuyar*, etiam in minera usque huc neglecta, veteribus tamen iam ſub nomine *Spuma Lupi* ſeu *Lupus Jovis* cognita, invenerunt, quodque *Bergmannus* indolis eſſe metallicae praeſumebat, per experimenta Hiſpanorum illorum, virorum doctiſſimorum, in certitudinem eſſe redactam. Cum *Grenius*, Prof. Halenſis, ſcripta illorum graviſſima, ex Hiſpanica lingua in Anglicam verſa, inde in Germanicam verterit, *) ſimulque hiſtoriam et Spumae Lupi, et Lapidis Ponderoſi, enarret, quod et antea iam celeberrimus *Crellius* brevi de Lapide Ponderoſo tractatione fecerat: **) non mihi neceſſe eſt hoc repetere, ſed naturam utriusque minerae ſatis cognitam ſuppono. Nemini quidem, quod ego ſciam, poſt Hiſpanos d'Elhuyar, contigit, ut ex hoc Acido metallum illud novum obtineret; ſi illud excipio, quod *Raſpius* ex duabus Lapidis Ponderoſi Speciebus, in Cornubia *(Cornwallis)* magnum per tractum obviis, obtinuiſſe narratur. ***) At *Klaprothius* Berolinenſis, per experimenta chemica, mineras illas nil niſi Ferrum, cum Magneſio coniunctum, eſſe reperit, ****) idem contra Spumam Lupi Poldicenſem veram Spumam Lupi declarat.

Mine-

*) Don *John Joſeph*, und *Don Fauſto*, de Luyars chemiſche Zergliederung des Wolfframs etc. aus dem Engliſchen überſezt von *Fr. Alb. Carl Gren*, Halle 1786.

**) Chemiſche Annalen 1784. 2 Band S. 195 — 207.

***) — — 1785. 1 — 546.

****) — — 1786. 2 — 503.

Mineralogis igitur non contemnendum videbitur, experimenta illa per hominem Germanum etiam confirmata videre.

§. 2.

Acidum hoc, ſive Metallum, nondum proprio nomine gaudet, per experimenta autem nonnulla, quae cum duabus Speciebus *minerarum Plumbi* inſtitui, quae maxime ſcopus huius tractatus ſunt, reperiri hoc Acidum etiam cum *Plumbo mineraliſatum* inolui; quibus experimentis etiam praeſumtio quorundam confirmatur, illud, ſicut Arſenicum, Sulphur, et nonnulla Acida mineralia, metallis tanquam medium mineraliſandi inſervire: quibusdam viſum eſt, inter alia ex inſigni pondere Cryſtallorum Stanni, Stannum in his Cryſtallis ope Acidi noſtri eſſe mineraliſatum, quod tamen nemini adhuc ex illis reſtaurare contigit. Certius vero videtur, ineſſe in *minera Solari Nagyagenſi Tranſylvaniae*. *Bergmannus* quidem V. C. Acidum Molybdaenae eſſe putat, nonnulla vero experimenta, quaecum minera illa inſtitui, Acidum noſtrum eſſe, me iudicare iubent, ſed futura experimenta certitudinem dabunt. *Wernerus* celeberr. etiam opinatur, Galenam piceam ſic dictam *(Pechblende)* ex fodina *Wagsfortiana* prope oppidum Joannis Georgii, ex acido noſtro cum ferro coniuncto, conſiſtere, quam opinionem etiam alii per experimenta confirmatam ſibi reperiſſe videbantur; *) ſed a *Klaprothio* experientiſſimo ſatis refutati ſunt, qui novum in illa et proprium metallum reperit, quod *Uranium* appellat. **) Tamen non dubito, Acidum noſtrum cum pluribus adhuc metallis coniunctum inpoſterum repertum iri. Cumque hoc Acidum ſive Metallum modo Lapidis Ponderoſi, modo Spumae Lupi nominetur, quae ambo vero ſpecies tantum unius generis eſſe videntur, nam in Lapide Ponderoſo cum Calce, in Lupi Spuma cum Marte, et pauxillo Magne-

*) Bergmänniſches Journal 2 Jahrgäng. 6 St. S. 612.

**) Chemiſche Annalen 1789. 2 Band S. 387—403.

Magneſii, et in ambabus mineris, ex Carinthia, cum Plumbo unitum ſit: liceat mihi metallum noſtrum novo nomine *Vulcani*, et Acidum, aut ſi mavis Calcem, eiusdem *Acidum ſive Calcem Vulcani*, appellare; quo ſignificetur, vehementem ignem poſtulari, ut reducatur in metallum. Haec denominatio me ſimul incommodo liberat, ne Acidum noſtrum longa circumſcriptione denominare cogar. Maluiſſem quidem nomen dare a Satellite Jovis, ad ſignificandum, Lapidem ponderoſum ſaepiſſime cum mineris Stanni per errorem confundi, in illo, ſicut in Spuma Lupi olim, ex opinione quorundam, Stannum eſſe inventum, denique ambas has mineras, in Germania certe, in vicinia minerarum Stanni effodi: at vero Satellites Jovis nomina propria nondum acceperunt. Loco veteris nominis, Spuma Lupi, ſive Lupus Jovis, *Wolframum* praeferendum exiſtimo.

§ 3.

Venio nunc ad experimenta mea.

I. Minera *prima*, quam his deſtinaveram, ſub titulo: *Bleyſpath* aus *Bleyberg* in *Cärnthen*, mihi miſſa, conſiſtebat ex tabulis tenuibus quadrangularibus parallelepipedis, ſaepe etiam ſexangularibus, magnitudine quartae partis pollicis, maioribus tamen quibusdam, quibusdam minoribus. Intererant etiam, qui perfecti cubi videbantur. Color erat ex cinereo ochroleucus, adhaerebant autem Calci duro eiusdem coloris. Intus Cryſtalli erant lucidae, cinereae, ſplendore vivido.

Gravitas ſpecifica erat 4, 7.

Per ſe, ante tubulum ferruminatorium, Plumbum redire nolebat, quod fruſtula Spathi albi Plumbi, ex Hercynia, ſtatim efficiebant.

Cum Alcali minerali contra ſtatim reducebatur, quod experimentum mihi iam monſtrabat, mineram hanc non eſſe

Spathum plumbeum commune, ſive per Acidum aêreum Plumbum mineraliſatum.

Nonnullae Cryſtalli per ſe leniter calcinatae non decrepitabant, ſed tantum fiebant friabiliores.

Cum aëre dephlogiſticato in carbone non deſaltabat; dum tenebatur autem cum carbone alio, abiit in ſcoriam rubiginoſam, globulis plumbeis mixtam.

Cum pauxillo Boracis fundebatur per aërem dephlogiſticatum, in ſcoriam vitream albam, cum globulis metallicis.

Cum Alcali minerali in ſcoriam rubiginoſam cum globulis plumbeis; carbo erat luteo colore cinctus.

Cum Sale microcoſmico in ſcoriam vitream rubiginoſam, in qua, cum fricaretur, nullum plumbum erat conſpiciendum.

Terreſtre huius minerae nec liquefiebat per ſe, nec cum borace, fiebat friabilius, borax autem a carbone imbibebatur.

§. 4.

Cum ex forma cryſtallorum, cubicae appropinquantium, concluderem, Salis Acidum ineſſe, antea mihi parare ſtudebam purum Alcali minerale, cui ſimul inhaereret Phlogiſton, quod tamen praecipue nihil contineret de Salis et Vitrioli Acido. Id via breviſſima me obtenturum iudicabam, ſi Saccharum Saturni cum Sale mirabili puro miſcerem; providebam autem, ut tantilla modo portiuncula Sacchari Saturni potius ſupereſſet, ne quid Acidi Vitriolici acciperem. Vitriolum Saturni poſtquam per filtrum ſeparatum, et aqua edulcatum, erat, evaporabam colatum ad ſiccitatem leni calore.

§. 5.

Huius Alcali mineralis acetati unciae uni miſcebam tantundem minerae meae pulveriſatae, et in tegulo tecto ponebam

bam in ignem candentem. Simulac maſſa incipiebat candeſcere, etiam flagrare, cum flamma, coepit. (Quod mihi argumentum eſſe videtur, ſaccharum Saturni non, ut plerumque creditur, cum Aceto deſtillato, ſed potius cum crudo parari, nam etſi Sal candidiſſimum erat, alterum tamen experimentum docet, non mineram, ſed Phlogiſton potius aceti, deflagrationem effeciſſe.) Poſt deflagrationem adhuc ſaepius offerebat flammulam caeruleam. Ignem nunc augebam usque ad liquefactionem; non liquide quidem inſtar aquae fluebat, attamen bene effundi poterat. Poſt refrigerationem materia ex fuſco nigreſcebat.

§. 6.

Et materiam effuſam, et tegulum, aqua ſuperfundebam. Aqua virideſcebat; celerioris ſolutionis cauſa in loco calido poſita, ſolutio colorem egregium hyalinum accipiebat, qui refrigeſcendo paululum decolorabatur. Poſt diſſolutionem, et teguli elotionem, ſolutio per filtrum traiiciebatur; reſiduum in filtro remanens et a ſalinis partibus liberatum, nigrum erat et impletum globulis Plumbi, quos non ſeparabam. Liquidum filtratum deſignabam littera (A).

§. 7.

Reſiduum (§. 6.) una cum charta, miſcebatur iterum cum Uncia una ſalis (§. 4.) deſcripti, et ſucceſſive, ſicut prima vice, igni fuſorio ſubiiciebatur. Flamma redibat. Materia liquefacta, effuſa, et ſalibus elotis, quorum ſolutionem filtratam littera (B.) deſignabam, inveniebatur in Reſiduo, quod adhuc atrum erat, Regulus plumbeus, qui cum nonnullis globulis minoribus drachmas tres, et grana ſedecim, ponderabat.

§. 8.

Ut ſcirem, an in Reſiduo (§. 7.) adhuc Plumbum inſit, illud candefaciebam. Nullum Plumbum reducebatur; omne potius in pulverem luteſcentem mutabatur, quo Sebum deflagrabam, et admiſcebam ſemiunciam Salis Tartari. Et cum hoc iterum liquefacerem, poſtquam effuſa maſſa in aqua erat ſoluta, reperiebantur adhuc grana quadraginta duo Plumbi. Etiam inhaerebant tegulo nonnulli globuli, qui ſeparationi reſiſtebant, et grana duo ponderare videbantur. Liquidum filtratum deſignabam littera (C.).

§. 9.

Reſiduum (§. 8.) in filtro remanens, et elotum, erat atrum. Candefaciebam; quo facto colorem acquirebat lucidum fuſcum. Cum ſuperinfunderetur Acidum Nitri, et in loco calido reponeretur, omnia in mucilaginem fuſcam mutabantur. Haec aqua diluebatur, percolabatur, remanentia mucilaginea vero iterum tam diu cum Nitri Acido digerebantur, donec mucilago albeſceret. Solutio haec, cum priori mixta, littera (D) deſignabatur. Mucilago vero abluta exſiccata et candefacta, pulvis fiebat craſſus, pondere ſeptemdecim grana habens, qui nil niſi ſilicea terra erat. Haud negaverim, hanc terram repetita tractatione ex tegulo partim ſolutam eſſe.

§. 10.

Cum Acido Vitriolico ex liquore D. (§. 9.) nihil ſtatim praecipitabatur; igitur neque Plumbum, neque ponderoſa terra, inerat. Cum ſpiritu Salis Ammoniaci cauſtico contra praecipitabatur mucilago ſubfuſca, quae edulcata, ſiccata et candefacta pondere grana quatuordecim habebat; et ulteriori diſquiſitione ex granis ſex terrae Aluminis, et octo Calcis Martis compoſita reperiebatur. Ex liquore ſeparato cum

Alcali

Alcali minerali adhuc ſeparabatur terra calcarea, quae calcinata quadraginta et ſeptem grana ponderabat.

§. 11.

Solutio Salina A (§. 6.) ſolutionem Argenti, et Mercurii vivi, candide quidem praecipitabat, praecipitatum vero in Acido Nitri rediſſolvebatur. Eodem modo et ſedimentum ſolutionis terrae ponderoſae in Acido Salis per copioſius Acidum Salis rediſſolvebatur. Pauxillum quoque evaporabatur, ubi maſſa remanebat unctuoſa, quae cryſtallos diſtinctas non dabat. Solutio B (§. 7.) contra dabat cryſtallos irregulares, qui tamen cum cryſtallis Alcali mineralis aliquid ſimilitudinis habebant. Igitur nec Acidum Salis, nec Vitriolicum inerat, me autem exſpectatio mea fefellerat. Nunc tentabam, an per Acida nihil praecipitaretur? Sed nec Nitri, nec Salis cum Acido ſeparabatur aliquid; mixtum vero cum ambobus egregium colorem citrinum accipiebat. Cum Acido Vitriolico primo virideſcebat, cumque ſaturata eſſet, aut cum fortaſſe Acidum ſuperabundaret, colorem ſaturatum viridem accipiebat; praecipitabatur autem nunc etiam nihil. Cum vero exigua haec, quae tentando acquiſiveram, evaporarem, ſeparabatur ex ſolutione, cum Nitri et Salis Acido, pulvis citrinus, qui mihi character *Acidi Vulcani* erat; ex illa vero cum Vitriolico pulvis, ex luteo vireſcens.

§. 12.

Parva haec per tentamina cum cognoviſſem, quomodo ſolutio mea tractanda ſit, liquidum A. B. C. ſaturabam Acido Vitriolico. A primo luteſcebat, poſt ſaturationem vero acquirebat colorem luteo vireſcentem; B mox diluto colore hyalino gaudebat, poſt ſaturationem pulchro citrino; C tantum in fine ſaturationis monſtrabat exiguum colorem viridem. Solutiones omnes leni calore evaporabantur. In ſolutione A ſemel poſt refrigerationem exſtiterant egregiae Cryſtalli viri-

virides Salis mirabilis, ſub quibus tamen nullum ſedimentum reperiebatur, ergo omnes ad ſiccitatem usque evaporabantur. A et B nunc facta erant maſſa ſalina iniucunde viridis, quae maculas oſtendebat luteſcentes, C cryſtalliſata erat in Tartarum vitriolatum regularem.

§. 13.

His maſſis ſalinis (§. 12.) ſuperinfundebatur aqua. De A et B remanebat pulvis ſordide vireſcens. Ambae uni filtro infundebantur, et ſolutiones uno tempore iterum evaporabantur, et cum ſiccae erant, in tegulo ferventer calefiebant quidem, ſed non candefiebant. Poſt ſolutionem remanebat ſimilis pulvis, liquidum vero ſemper adhuc viride erat. Eam ob rem maſſa ſalina, iterum ſiccata, tamdiu leviter candefiebat, donec color viridis in rubiginoſum mutaretur. Nunc remanebat diſſolutione ingens copia pulveris rubiginoſi, qui cum omni praecedente in uno filtro collocatus, aqua ablutus, et in aêre ſiccatus, ponderabat grana nonaginta et octo.

§. 14.

Tartarus vitriolatus ex liquido C. (§. 12.) etiam aqua ſuperfundebatur, remanebat aliqua mucilago albida, quae abluta et ſiccata, grana quatuor cum dimidio ponderabat. Erat et haec calx ſeu Acidum Vulcani. Separatum liquidum nunc nihil amplius (Acidi) videbatur continere, et ob eam rem defundebatur.

§. 15.

Cum liquido ſalino ex A et B, (§. 13.) quod non amplius viride, ſed luteſcens erat, ſpectaculum mihi cogitabam parare, quod olim iam me et alios valde delectaverat. Ex Lapide Ponderoſo, et Wolframo, examinato nempe ſimile liqui-

liquidum obtinueram, ex quo, quantum poteram, ſeparaveram Acidum Vulcani; de quo alio loco ſcripſi. *) Jam hoc lixivium, ut tunc, tanta aquae quantitate diluebam, ut ampulla menſurae unius usque ad collum impleretur, cui adhuc aliquid Acidi Vitriolici addebam. Huic Liquido inſerebam filum pendens ferreum, et cum voluptate ſpectabam, quomodo filo mox particulae virides, muſcum imitantes, faſciatim adhaereſcerent, mox totae nubes ſe aggregarent. Poſt ſex circiter horas jam dimidia ampulla deſuper viridis erat, poſt duodecim autem ampulla tota, pelluciditate amiſſa, atrocaerulea. Poſt diem tertium ferrum exedi coeperat. (Veriſimile eſt, caeruleſcentiam celeriorem inde derivandam, quod primo in hoc liquido plus Acidi Vulcani contentum fuerit, quam in priſtino; deinde quod in ſtatu fuerit phlogiſticato; tertio etiam plus minusve Acidi, quod additur, eo multum conferre poſſe videtur.) Cum vero efferveſcentia eſſet finita, ſolutio ſenſim ſenſimque fuſca fiebat, filum erat corroſum, ligula vero, ex qua pendebat, erat atrocaerulea, pars vero illius extra ampullam Sale caeruleo, alboque, obducta. In fundo erat aliquid praecipitatum, a quo liquidum defundebatur, praecipitatum vero atrum floſculoſum colligebatur, edulcorabatur et ſiccabatur; ſuper carbonem cum aere dephlogiſticato, ex Magneſio, liquefiebat. Liquefiebat autem difficulter, nam opus fere erat unciis duodecim. Reſtabat ſubſtantia cinerea pulveroſa, ex qua magnes attrahebat pulviſculum. Alia inde portio cum pauxillo gummi ſandaracae miſcebatur, et eodem modo liquefiebat, quod nunc cum unciis aeris circiter octo, ſuccedebat. In carbone reperiebatur granum ſimile ſcoriae ferri, quod per microſcopium erat ſplendens, caeruleum et ſtriatum, inſtar Antimonii; ſed nec integrum, nec diſruptum, a magnete attrahebatur.

§. 16.

*) *Taſchenbuch für Scheidekünſtler und Apoth.* 1788. S. 145. etc.

§. 16.

Secundum hoc experimentum itaque accepi ex uncia una huius minerae, et quidem ſecundum

§. 7. 8.	Unciam ſemis Plumbi.
— 13. 14.	drachmam unam et grana quadraginta quatuor cum ſemiſſe Acidi Vulcani.
— 10.	quadraginta et ſeptem grana Calcis, aere deſtitutae.
— 9.	grana ſeptemdecim terrae ſiliceae.
— 10.	grana octo calcis Martis.
— 10.	grana ſex terrae Aluminis.
	Uncia ſemis drachmae tres et granum dimidium.

De qua ſumma fortaſſe ſubtrahendae ſunt terra ſilicea, et Aluminis, ex tegulo quippe veriſimiliter extractae. Quod deeſt, cum aqua effundebatur. Calcarea terra adhaerere potuit terreſtri, ſicut et Mars, maximam partem.

§. 17.

In experimento iam narrato veriſimillimum mihi erat, me *non omne Acidum Vulcani* accepiſſe, nec methodum illam eſſe facillimam; ſed alteram, quae mihi etiam ad Acidum hoc ex Wolframo et Lapide Ponderoſo obtinendum commodiſſima fuit, eſſe praeferendam, ut ſcilicet talia cum anaticis partibus Alcali vegetabilis, liqueſiant. Poteram adhuc drachmas quinque huius minerae in hunc uſum adhibere, tantum enim pulveris mihi ſupererat; has itaque cum anatica portione Salis Tartari miſcebam, et in tegulo igne candenti imponebam. Materia nec deflagrabat, nec effervefcebat, ſed brevi tranquille fluebat. Nunc effundebatur et cum aqua ſolvebatur. Remanebat albidum ſedimentum in ochroleu-

cum

cum ſpectans, quod ſiccatum denuo cum uncia dimidia Salis Tartari liquefiebat.

Cum quantitatem Plumbi ſcirem, et terras noſſem, non amplius inquiſivi in Reſiduum.

§. 18.

Lixivia vero §. 17. Acido Nitri ſaturabantur. (Eligebam hoc, quia Nitrum regeneratum exigua quantitate aquae facile ſolvitur, experientia autem prioribus experimentis me docuerat, hoc Acidum, in ſtatu illo, quo adhuc cum aliis Salibus mixtum, et nondum ſiccatum, eſt, facile reſolvi, contra vero omni ſolutioni in aqua reſiſtere, ſi liberum ſalinis partibus candefactum ſit; quod infra pluribus demonſtrabo.) Lixivia inde ambo luteſcebant; illo tantum diſcrimine, quod lixivium primae ſolutionis, cum prima gutta Acidi, turbabatur, ſecundae vero non niſi paulo ante ſaturationem, et perparum ex illo praecipitabatur. Quamquam etiam primum ſemper iterum pellucidum fiebat, usque dum Sal Alcali non amplius in Acidum Vulcani agere poſſet, ſedimentum ex ambobus in unum filtrum colligebatur, et aqua ablutum aere exſiccabatur. Album erat, pondere granorum ſexaginta et novem.

§. 19.

Lixivium de ſedimento §. 18. filtratum, et aquam, qua illud ablutum erat, leni igni evaporabam. Mox coibat in ſuperficie, in latere et in fundo vaſis pellicula alba et tenax, quam commode a liquido ſalino ſeparare poteram. Traiiciebam per filtrum, et liquidum usque ad ſiccitatem evaporabam; tunc inveniebam inter Nitrum adhuc magma album, quod abluto Nitro praecedenti addebatur. Lixivium denuo evaporabam, praecipitati adhuc perparum erat, quod cum ſuperioribus ablutum et ſiccatum triginta grana habebat.

§. 20.

Lixivium remanens §. 19. aqua dilutum, et cum Acido Nitri acuatum, iniecto filo ferreo, nolebat ceeruleſcere, poſt horas duodecim fuſca erat, et defundebatur.

§. 21.

Acidi, quod hac methodo acceperam, pro portione, multo erat plus, quam quod primo experimento; quoniam ex his quinque drachmis grana nonaginta novem (§. 18. 19.) acquiſiveram. Pauxillum in Acido Nitri, aut Salis, digeſtum, mox egregium *colorem citrinum* accipiebat; nihil itaque remanebat dubii, eſſe *Acidum Vulcani.*

§. 22.

Aliquid huius minerae etiam, cum Acido Vitriolico diluto, aliquamdiu digeſſeram; qua operatione partes aquoſae evaporabant. Concentratum liquidum nunc accipiebat colorem excellentiſſimum caeruleum, quod aqua dilutum multas per ſeptimanas ſine mutatione pulcherrimi coloris ſtetit. Perfundebam per chartam emporeticam albam, quae etſi inde friabilis fiebat, tamen et ſicca manebat caerulea. Reſiduum album nolebat caeruleſcere, novo cum Acido Vitriolico virideſcebat. Hactenus autem mihi nondum contigit, ut ex illo colorem caeruleum durabilem in forma ſicca obtinerem.

§. 23.

II. Venio nunc ad experimenta illa, quae *cum alia minera Plumbi inſtitui*, quam ſub nomine: *würflicher Bleyſpath, aus Villach, in Cärnthen,* acceperam. Conſiſtebat ex parvis cryſtallis cubicis regularibus, partim oblongis, magnitudine lineae, et minoribus; color erat ſicut praecedentis, cohaerebant autem per terram pulveroſam, coloris obſcurioris. Calcem induratam non inveni. Aqua lavans terreum

ſepa-

ſeparare ſtudebam, quam poſt operationem, cryſtalla tantum pura retinebam.

§. 24.

Gravitas ſpecifica erat 5, 522.

Igni candenti leni expoſita diſſiliebat, et pulverem craſſiuſculum colore paulo obſcuriori reddebat.

Ante tubulum ferruminatorium diſrumpebatur, addito Alcali minerali plumbum continuò reducebatur.

In carbone, aeri dephlogiſticato expoſita, etiam aliquoties deſiliebat, poſtea vero brevi liquefiebat. In carbone erant nonnulli globuli Plumbi, colore iridis, carbo autem citrino obductus erat.

Fruſtulo cum Borace liquefacto, plumbum celeriter reductum eſt, Borax forma vitri atrocaerulei pone iacebat, carbo obductus erat colore purpureo.

Fruſtulum cum Alcali minerali aeri illi expoſitum, dabat ſcoriam rubiginoſam, cum alba mixtam, in qua Plumbum in globulis erat.

Fruſtulum cum Sale microcoſmico ſcoriam dabat albam impellucidam cum maculis nonnullis rubiginoſis. Carbo obductus erat colore albo; Plumbum reductum non reperiebam.

§. 25.

De his cryſtallis puris (§. 23.) pulveriſabam unciam cum anatica portione Salis Tartari, et in tegulo ponebam in igne candente, ubi mox maſſa tranquilla fluebat. Effuſa et refrigerata accipiebat colorem bellum ſulphureum, in fundo tamen rufeſcebat; cuius cauſa erat calx Plumbi, quae ob gravitatem maiorem fundum petierat et figuram cryſtallinam, coloremque Lithargyrii oſtendebat. In deſtillata aqua maſſa mox ſolvebatur, ſolutio per filtrum traiiciebatur. Liquorem filtratum nominabam Littera E; cui etiam miſcebatur illud,

 quod

quod per elotionem teguli de liquido edulcato obtinueram. In reſiduo inveniebam globulum Saturni, quem ſeparavi.

§. 26.

Reſiduum in filtro remanens (§. 25.) liquefaciebam iterum cum drachmis ſex Salis Tartari, effuſam maſſam luteam tractabam, ſicut priorem, et liquorem ſalinum deſignabam Littera F.

§. 27.

Reſiduum (§. 26.) permiſcebam cum Sapone albo, et Sale Tartari; quam mixturam in idem tegulum immittebam, et igni imponebam. Poſtquam pinguedo deflagraverat, ignem fuſorium dabam, donec tranquilla fluebat. Effundebam materiam et ſolvebam Sal in aqua. Reperiebantur globi Saturni, qui cum illo, quem (ex §. 25.) obtinueram, drachmas tres et grana quinquaginta duo efficiebant. Lixivium Salinum filtro infundebam, et Reſiduum in illo remanens ſaepe aqua abluebam. Liquorem filtratum, cum nihil niſi Alcali retinere videretur, defundebam.

§. 28.

Reſiduo (§. 27.) in filtro remanenti, nigreſcenti, ſuperinfundebam Acidum Nitri, cum quo efferveſcebat; quod cum digeſſerim, color obſcurus ſtatim evaneſcebat, et omnia, excepta pauca mucilagine, diſſolvebantur; ſolutio aqua diluta filtro immittebatur, ubi liquor lentiſſime percolabatur. Mucilago remanens aqua abluebatur, tum ſiccata, et candefacta, habebat grana undecim. Mihi videbatur eſſe ſilex, ex tegulo ſolutus.

§. 29.

Liquorem filtratum (§. 28.) tentabam cum Acido Vitriolico, an Vitriolum Saturni inde praecipitaretur: ſed cum guttis

tis nonnullis nihil praecipitabatur. Tentabam nunc, an cum Alcali phlogiſticato ſic dicto caeruleſceret: quod fiebat. Ergo tantum illius admiſcebam, donec addito novo nullus color caeruleus oriretur. (Nota mihi erat copia ferri illius, cuius et pondus mihi notabam.) Quam iucunde mixtio illa initio caeruleſcebat, tam iniucunda poſtea fiebat. Praecipitatum per filtrum ſeparatum, ablutum, ſiccatum, et poſtea candefactum, luteo fuſcum erat. Reperiebantur in illo adhuc nonnulli globuli Saturni. Ex pulveriſato Magnes grana novem calcis Martis extrahebat, a quibus vero tria debent ſeparari, quae in Alcali phlogiſticato forte inhaeſerant. Ita tantum ſex grana notari debent Calcis Martis a Magnete attrahendae: caetera erant globuli Plumbi, pondere granorum trium cum ſemiſſe.

§. 30.

Ut viderem, an in fluido (§. 29.) terra calcarea inſit, addebam oleum Vitrioli. Separabantur etiam mox cryſtalla tenuia, quae, poſtquam cum liquore per aliquot dies ſteterant, a fluido per effuſionem caute ſeparabantur, etiam cum exigua quantitate aquae abluebantur, tunc vehementius candefacta pondere habebant grana duodecim cum dimidio; in quibus circiter quinque grana calcis, aere deſtitutae, fuerunt. Fluidum, nunc cum Alcali minerali praecipitatum, quatuor adhuc et dimidium granum terrae Aluminis dabat, quae candefacta omnem humiditatem perdiderant.

§. 31.

Fluidum E. (§. 25.) turbabatur prima gutta Acidi Nitri, quae addebatur. Affundebam tantum, usque dum nihil amplius praecipitaretur. Quod praecipitabatur erat candidum: liquor autem accipiebat colorem magis magisque citrinum, quo propius ad punctum ſaturationis accedebat. Praecipitatum ſinebam conſidere, tunc ſeparabam liquidum, ſedimentum,

in

in filtro remanens, aqua edulcabam. Gaudebat egregio colore citrino, ex quo illud ſtatim agnoſcebam. *Nihil* enim erat, *niſi Acidum noſtrum* metallicum, idem, quod ex altera minera acceperam. Veriſimile eſt, nimium de Acido Nitri fuiſſe additum, unde colore citrino tinctum erat. Pondus ſiccati erant drachmae duae et grana viginti tria.

§. 32.

Liquidum inde percolatum (§. 31.) cum aqua, ab edulcatione reſidua, leni calore evaporabam, ubi mox pulvis citrinus ſeponebatur. Liquidum evaporabam fere ad ſiccitatem, tunc aqua ſuperinfuſa colligebam in filtro adhuc materiae citrinae grana viginti et ſeptem. Liquidum inde filtratum, interim repoſitum, nominabo G, et ſtatim plura de illo dicam.

§. 33.

Liquidum F. (§. 26.) etiam Nitri Acido ſaturabam, pracipitabatur demum aliquid, cum fere ſaturatum eſſet. Accipiebam inde, cum eo, quod per evaporationem adhuc ſeponebatur, in ſumma grana viginti quinque. Liquidum inde filtratum effundebam.

§. 34.

Liquidum G, quod (§. 32.) interim repoſueram, diſpartiebam in vitra quatuor, commiſcebam aqua et aliquantulum adhuc Acidi Nitri addebam. In vitrum primum iniiciebam fruſtulum Cupri, in ſecundum Zinci, in tertium Plumbi, et in quartum nonnullos globulos Mercurii.

Cuprum brevi tempore incruſtabatur pulvere caeruleo virideſcente, etiam prope illud in circuitu exigua eiusdem pulveris quantitas ſeponebatur. Ad Zincum et Mercurium ſeponebatur pulvis cinereus; ad Plumbum etiam caeruleus, neque tamen tam copioſus, quam ad Cuprum. Experimenta haec firmius etiam mihi perſuaſerunt, illud, quocum Plumbum

bum meum erat mineraliſatum, nihil eſſe niſi *Acidum* noſtrum, de quo pluribus iam mentionem feci.

Liquida, cum per dies aliquot ſuper haec metalla ſtetiſſent, defundebam, et praecipitata collecta ſiccabam. Quod de Cupro collegeram, per exſiccationem virideſcebat, in carbone cum aere dephlogiſticato deflagrabat, colore virideſcente, et fundebatur ſtatim in globulum coloris purpurei, valde friabilem, in quo nulli globuli metallici conſpiciendi erant. Quod de Zinco, erat cinereum; Zinci ipſius nitor caeruleus, et colore rubiginoſo afflatus. Poſt fuſionem inveniebantur in carbone globuli albi metallici, inductiles. Quod de Plumbo, nitidum et luteo cinereum erat, deflagrabat colore viridi, aeſtuabat valde, et liqueſcebat celeriter in globum metallicum coloris Plumbi, qui perductilis erat. Quod de Mercurio, innatabat nitideque cinereum erat, liqueſcebat perfacile, cum vix quinque unciae aëris conſumtae eſſent, in globulos nonnullos metallicos perexiguos, qui huius ipſius exiguae magnitudinis cauſa inquiſitionem ulteriorem negabant. Hoc mihi videtur eſſe maximum argumentum, Acidum noſtrum, ſi ſuperiora adſint, certe Mercurio, ut metallum, reduci.

§. 35.

Ex Uncia una huius minerae acceperam itaque

Secundum	§. 25. 27. 28.	drachmas tres, et grana quinquaginta quinque, cum ſemiſſe reguli Saturni.
	§. 31. 32. 33.	drachmas tres et grana quindecim *Acidi* noſtri *Vulcani*.
	§. 28.	grana undecim Silicis.
	—	grana ſex Croci Martis phlogiſticati.
	§. 30.	grana quinque calcareae terrae, ab omni aere liberatae.
	—	grana quatuor cum ſemiſſe terrae Aluminis calcinatae.
		Drachmae ſeptem et grana triginta quinque.

Itaque viginti et quinque grana deficiebant, quae facile etiam Acidum Vulcani eſſe poſſunt, quia, ut iam monui, Salibus mixtum facile ſolvitur, eamque ob rem defundi potuit. Quamquam, cum minera antea non calcinata fuiſſet, fieri potuit, ut etiam partes aquoſae adeſſent. Terra ſilicea et Aluminis maximam partem videntur attinere tegulo. Calx autem terreſtri, quod remanſit, quae vero in minera manifeſto aerata eſt, cum Acidis enim valde effervefcit. Terreſtri pariter ex maxima parte Mars adſcribendus. At manifeſto tamen pura etiam cryſtalla calcem Ferri oſtendunt, qua obducta ſunt. Notatu dignum mihi videbatur etiam, quod cryſtalla haec cubica minus Plumbi dabant, quam minera praecedens, quae tamen a terreſtri non plane purgata erat.

§. 36.

Horum Cryſtallorum lotorum et pulveriſatorum drachma dimidia cum Acido Vitriolico digerebatur. Liquidum mox virideſcebat, et cum humiditas aquae evaporaſſet, Acidum excellentiſſimo gaudebat colore caeruleo, ſicut et minera praecedens. Plumbum, forma pulveris albi, fundum petierat.

tierat. Cum uncia una aquae dilutum, colorem mutabat ex caeruleo in virideſcentem pallidiorem. Hoc liquidum ab Alcali phlogiſticato colore pulchro fuſco praecipitabatur. Auri ſolutio parum tantum turbabatur; Plumbum in Aceto dabat praecipitatum album; Vitriolum Martis, ſicut et Sal Alcali volatile cauſticum, nihil praecipitabat, Alcali volatile aeratum in colorem primo ſubfuſcum, poſt ſaturationem ſubcaeruleum rediit, qui color mox tamen evaneſcebat. Alcali fixum vegetabile copioſum dabat praecipitatum album (Tartarum vitriolatum) liquor ſupernatans caeruleſcebat. Aqua Calcis non mutabatur. Hepar Sulphuris dabat Liquidum fuſcum ingratum; Argentum et Mercurius in Acido Nitri, praecipitatum album.

§. 37.

Tantundem cum Acido Nitri diluto ſuperfuſum et digeſtum (Acida cum illo modice tantum efferveſcebant,) evaporatum ſemel et denuo digeſtum Liquidum offerebat pulchrum citrinum; remanſerant inde grana undecim. Liquidum dilutum ab Alcali phlogiſticato grato colore fuſco tingebatur, Argentum, et Mercurius, in Acido Nitri, praecipitabantur colore albo, ſolutio Auri non praecipitabatur, ſi vero Liquido §. 38. cum Acido ſalis facto miſcebatur, praecipitabatur ſubſtantia micans alba granulata. Vitriolum Martis offerebat liquidum ex caeruleo virideſcens, ex quo ſedimentum album ſeparabatur. Cum Vitriolo Veneris paulo magis erat caeruleum, unde etiam ſedimentum fiebat album. Sal Alcali volatile cauſticum praecipitabat ſedimentum album virideſcens; Sal Alcali volatile aeratum copioſum virideſcens; Alcali fixum aeratum copioſum caeruleſcens; Aqua Calcis album; Hepar Sulphuris album pulvereum, liquore ſupra ſtante modice caeruleo. De his experimentis minoribus ſupererat mihi adhuc aliquid de illo liquido, cum-

que ſperarem, me colorem caeruleum, quem cum hepate Sulphuris conficiebat, fixurum, Remanentia haec cum ſolutione Sulphuris miſcebatur, Sulphur praecipitabatur colore virideſcente, liquor ſupra ſtans erat egregius caeruleus, qui filtratus cum nonnullis guttis Alcali volatilis cauſtici, caeruleum dabat ſedimentum, quod vero exſiccatione fuſcum fiebat; ſi ad filtrum aqua fundebatur, illa percolabatur caerulea. Charta, per quam erat percolatum, ſicca caeruleum habebat colorem, paulo tantum clariorem.

§. 38.

Tantundem cum Acido Salis ſuperfuſum, et digeſtum, Acidum colore citrino tingebatur. Remanebat ſedimentum album pondere granorum viginti, ex puris cryſtallis foliaceis, micantibus, conſiſtens, et plumbum corneum videbatur. Liquidum dilutum cum Alcali phlogiſticato ſedimentum dabat egregie fuſcum, ſolutio Argenti et Mercurii album; cum Vitriolo Martis exiſtebat liquidum caeruleum, cum Vitriolo Veneris viride; de ambobus nihil praecipitabatur. Sal Alcali cauſticum volatile praecipitabat ſedimentum caeruleum; Alcali volatile aeratum, caeruleſcens; Aleali fixum aeratum ſatis magna copia pallido-caeruleum; cum Aqua Calcis caeruleſcebat, cum hepate Sulphuris ſedimentum erat egregie atro-caeruleum. Reſiduum illius praecipitabam cum Alcali volatili cauſtico; obtinebam praecipitatum ſatis caeruleum, quod vero inter ſiccandum ſenſim palleſcebat, ſiccum perparum adhuc caeruleſcebat.

§. 39.

Ab Aceto deſtillato, quod cum cryſtallis noſtris digerebatur, non videbatur mutatum; certe liquor cum materialibus, §. praecedente deſcriptis, nullum oſtendebat effectum.

§. 40.

§. 40.

Semiunciam *Acidi Vulcani*, quam ad uſum adhibebam, illud de experimentis duobus prioribus, quod autem deficiebat, addebam de tertio, miſcebam cum portione aequali gummi Sandaracae. (Utor libentius ad huius generis metalla, difficulter fluentia, tali phlogiſto, quam carbonibus et oleo; quia nec tantum ſpatii occupat, quantum carbones, et plus carbonis reſiſtentis dat, quam Oleum.) In tegulo deflagrabam phlogiſton ruſticum; obtinebam maſſam nigram facile friabilem, quam pulveriſatam in tegulum reiiciebam, quod fuligine pini illitum erat. Obtegebam maſſam Sale culinari, et furno, qui bono folle inſtructus erat, impoſitum, ignem tam vehementem per horam integram ſufflabam, ut tectura teguli argillacea in maſſam ſcoriaceam funderetur, adeoque cum margine teguli ſuperiori coaleſceret, ut poſt conſciſſionem in operculo adhaereret. Conſciſſo tegulo inveniebam maſſam nigram nitidam ſtriatam, quae in aqua poſita, ut Sal culinare inde diſſolveretur, pulverem dabat nitidum, qui microſcopii ope obſervatus, diſtincta metalli oſtendebat veſtigia. Commiſcebam cum drachma una et dimidia Boracis calcinatae, et in eodem igne reponebam. Nunc maſſa erat atra, in ſuperficie erant ſtriae filiformes, metalli albi aſperi. Si quid illius in carbone cum aere dephlogiſticato liquefaciebam, magno fumo albo aeſtuare coepit, et fundebatur mox cum unciis duodecim, mox cum quatuordecim aut ſedecim in globum, colore haematitidis, qui in baſi lineam metalli albi habebat, ſed ſic aſperum erat, ut ungue pollicis facile fricari poſſet. Cum partem inferiorem, quae non habebat diſtinctos tales globulos metallicos, tantum obiter fractam, iniicerem in tigillum, et ſpatia Borace calcinata implerem, primoque ignem modicum adhiberem, ut Borax liqueſcere inciperet, maſſa erat tam ductilis, ut fruſtula butyri inſtar cum forcipe comprimere poſſem. Comprimebam

itaque maſſam omnem in tegulo quantum poteram, ut jam non niſi tertia pars repleretur, cum antea totum plenum fuiſſet. Iterum tegebam, et per horam ignem dabam vehementiſſimum. Apparebat nunc, Boracem pertranſiiſſe tegulum, et extrinſecus vitro pulchro caeruleo obduxiſſe; ſimile vitrum caeruleum inerat in pede teguli, qui baſeos loco tegulo inſervierat. Maſſa videbatur iam magis, quam antea, ſcoriacea, et atra. Ego autem ſpem perdebam, me illam ope ignis mei in unicum regulum eſſe ſufurum.

§ 41.

Haec ſunt experimenta, quae hoc tempore inſtitui.

Liceat mihi nunc adhuc alia nonnulla enarrare, iam aliquibus abhinc annis inſtituta, ut et Acidi huius ſic dicti naturam melius cognoſcerem, et, ſi fieri poſſet, metallum ex illo obtinerem. Adhibui Acidum, quod, ſecundum *Scheelium*, e Lapide ponderoſo alternata digeſtione cum Alcali volatili cauſtico, et Acido Nitri, obtinueram, et quod ope Alcali ſolutum erat, leni calore evaporaveram; qua in operatione in ſuperficie colligebatur tenuis cuticula, quae, ſi ponderoſior facta erat, fundum petebat, et ex cryſtallis tenuibus acutis erat compoſita, cuius generis etiam ad latera adhaereſcebant. Cum omnia exſiccata eſſent, ex drachmis ſex Lapidis Ponderoſi accipiebam quinque drachmas et grana triginta ſex cryſtallorum, cinereo luteſcentium, ſeparationi a vitro valde reſiſtentium. Quod pondus, cum mihi iuſto maius eſſe videretur, cumque ex forma cryſtallina iudicarem, Acidum aut cum Sale Alcali unitum eſſe, aut aliquid ineſſe Salis armoniaci non decompoſiti (quod ſaepius adhuc ineſt ſpiritui Salis armoniaci non rectificati) calcinabam ergo in tegulo, ubi vehementer fumabat et odorem urinoſum ſpargebat. Poſt calcinationem color erat luteſcens, fuſio non proceſſit, et

et quibusdam locis, ubi tegulum tetigerat, ingrate caeruleus. Pondus erat nunc drachmae tres et grana quinquaginta novem. Calcis aeratae obtinueram drachmas duas et grana quatuordecim.

§. 42.

Triginta grana Acidi, in §. praecedente deſcripti, ſuperfundebam unciis quatuor aquae deſtillatae frigidae, reponebam horas viginti quatuor, quo tempore ſaepius agitabatur. Nunc defundebam liquorem opalinum, ponderabam remanens in fundo, poſt ſiccationem, ubi tantum grana duo deſiderabam, de quibus vero in vitro aliquid inhaerebat, quod ſeparare non poteram; hanc aquam leni calore evaporabam, ubi terreſtre aliquid remanebat, quod ſalino ſtiptico erat guſtatu. Non poteram ſeparare ut ponderarem; ſuperinfundebam ſemiunciam aquae deſtillatae, in qua omnia bene ſolvebantur.

§. 43.

Triginta grana eiusdem Acidi bis ſuperinfundebam unciis ſex aquae coctae deſtillatae; ſemperque reponebam donec tepeſceret. Dividebam in vitra varia, quorum cuique inerat unum metallorum, tunc cognitorum, digerebam frigide per horas viginti quatuor, quo facto videbam, Zincum tantum polline caeruleſcente eſſe obtectum. Pone illud etiam in vitro, uti in omnibus reliquis, in quibus vero metalla non videbantur mutata, in fundo pollen cinereum iacebat. Reſiduum ab aqua fervente non diſſolutum, tribus vicibus, per aliquot tempus, cum aqua deſtillata coquebam, quavis vice libras capiebam duas, et fervens defundebam, reſiduum exſiccatum pondere habebat grana viginti quatuor. Perdebam nunc ſpem, me plane illud ſoluturum; quam ob

rem

rem grana duo cum unciis triginta duabus iterum coquebam, neque vero ullam in illo imminutionem vidi. In aqua prima, cum frigreſceret, ſeponebatur pollen cinereum; quam ob rem illam non iudicavi diſtinctam ſolutionem, ſed mixtionem tantum mechanicam. Nam illud, quod cum aqua frigida erat ſolutum, adſcribo nonnullis partibus ſalinis, quae per calcinationem non avolaverant. Ex quibus patet, illud, quod hac methodo paratur, Calcem potius, ſive Crocum, quam Acidum, appellari poſſe.

§. 44.

Cum illo tempore Lapidem etiam Ponderoſum, et Wolframum, cum Alcali fudiſſem, Acidumque ex ſolutione alcalina, cum Acido Nitri, pracipitaviſſem, ſedimentum autem abluiſſem et ſiccaviſſem: tentavi an hoc praecipitatum in aqua ſolubilius eſſet? Quo conſilio ſuperfundebam grana duo, unciis quatuor aquae frigidae deſtillatae, et per aliquot tempus digerebam; cum vero defectum nullum viderem, vaſculum exponebam aeſtui fornacis hypocauſti, in quo ſucceſſive ſolvebatur; addebam granum poſt granum, usque dum nihil amplius diſſolveretur. Infuſis granis ſedecim, unum circiter granum remanſit, quod etiam in coctione indiſſolubile erat, in refrigeratione pars aliqua mucilaginis inſtar ſeponebatur. Hoc itaque multo ſolubilius erat altero, et maiori cum iure *Acidum* appellari poteſt.

§. 45.

Jam eodem modo, uti ex experimento antecedenti, quinque ſolutiones aequales conficiebam. Primae adieci quinque grana Calcis aeratae, ſecundae tantundem terrae Aluminis, tertiae Magneſiae, quartae terrae ponderoſae, et quintae grana quadraginta octo Salis Alcali mineralis aerati.

Prima,

Prima, ſecunda et tertia ſeparabant bullulas aereas copioſas, terrae, fruſtulorum forma, remanebant: quarta plane fere in bullas aereas ſolvebatur: quinta etiam perceleriter. Omnes liquores ad ſiccationem usque evaporabam; terrae omnes cum Acidis effervefcebant, excepta quarta, in qua cryſtallos tenues mihi obſervare videbar, reliquae cinerea cruſta obductae erant. Quinta cryſtallos acutas ſepoſuerat, ſali terreſtri ſimiles; valde tamen cum Acidis adhuc effervefcebat, qua operatione Calx ſoluta, pulveris inſtar albi, fundum petebat.

§. 46.

Miſcui etiam drachmas duas eiusdem Acidi cum pari portione Salis Tartari, ſuperfudi unciam aquae deſtillatae, et evaporavi aquam, leni calore; iamque iterum aqua diſſolvi, et humiditatem altera vice evaporavi; maſſa ſicca rediſſolvebatur, per filtrum traiiciebatur, et reſiduum aqua eluebatur; remanebant grana triginta ſex. Aliquid huius ſolutionis infundebam in quatuor vitra exigua, in quibus ferreus clavus et aqua deſtillata inerat. Clavi non caeruleſcebant. In unum ſtillabam aliquid Acidi Vitriolici, in alterum Nitri, in tertium Salis, et in quartum Aceti deſtillati. Clavi non prius caeruleſcebant, quam cum Acidum ſuperaret, et Calx omnis praecipitata eſſet. Clavi cum Acidis mineralibus tingebantur egregie caerulei, cum Aceto vero non; poſt horas duodecim potius rubiginoſus erat, et circumdatus nube fuſca, et in vitro parum Calcis modo ſeparatum erat.

Inieci etiam tali ſolutioni aliquantulum Zinci, quod etiam caeruleſcebat, ſimulac ſuperfluum Vitrioli Acidum additum erat. Sedimentum circa erat copioſum caeruleum, liquidum caute defundebam, et Zincum ad exſiccationem in charta bibula ponebam, in qua atrum fiebat, cumque pro-

 pius

pius adſpicerem, nitidas in illo videbam inhaerere ſpiculas, quae facile decidebant, et a Magnete non attrahebantur.

Aliquantulum Croci Martis adſtringentis, cum ſolutione alcalina mixtum, et Acido Vitrioli addito, praecipitatum inſtar Laccae in globulis (*Kugellack*) offerebat.

Solutiones metallicae a tali ſolutione alcalina pallidius tantum, quam cum alcali fixo, praecipitabantur.

§. 47.

Aliquid *Calcis Vulcani* fundebam in carbone, cum aere dephlogiſticato, ex Magneſio, fumabat et brevi evaneſcebat, fiſtula colore caeruleo cinereo obducta erat. Eodem modo ſe habebat, cum aliquid gummi Sandaracae adderem, partim ad illam conſolidandam, partim ad Phlogiſton addendum. Aere leviter adhalante fixa videbatur, adhalatione vero aucta mox evaneſcebat, in tegulo carbonis tamen obſervare mihi videbar globulos nonnullos nitentes ſtriatos.

Si quid Calcis cum Borace miſcebam, et cum aere dephlogiſticato fundebam, obtinebam ex illa, quam per Alcali cauſticum volatile paraveram, globulum vitreum caeruleum, ex altera virideſcentem. Si mixtioni Phlogiſton addideram, globulus primae non erat tam caeruleus, in lateribus colorem habebat plumbeum: globulus ex altera vero erat cinereus.

§. 48.

Drachmas duas Acidi noſtri cum pulvere carbonum miſcueram, et in tegulo tecto furno impoſueram; cum autem leni

leni igne nullam fuſionem fieri intelligerem, ignem per gradus, quantum poteram, per duas horas augebam. Poſt refrigerationem Calx tantum cohaerebat, erat atro caerulea; et fricata omnia fruſtula formam habebant ſtriatam, et per microſcopium nitebant. Putabam me non ignem ſufficientem adhibuiſſe, immittebam itaque tegulum in uſtrinam, et per horae quadrantem vehementer afflari iubebam. Cum recepiſſem, reperiebantur ad ſummum grana decem, aut duodecim, corporis nitidi caeruleſcentis in acervum fuſi, ſed non aequi tamen. Non poteram illud integrum obtinere, cum cultro vero, facili labore, ſeparabam grana ſeptem pulveris ſtriati, qui, per microſcopium, globulos oſtendebat albos metallicos. Sic friabilis erat, ut digitis adeo pulveriſari poſſet. Hoc experimentum volatilitatem huius Calcis demonſtrat.

§. 49.

Ex *Lapide Ponderoſo* ſemiunciam adhuc habebam huius Acidi, quod inſtar illius §. 40. cum ſale culinari fuderam, et unde, ſale eluto, obtinebam pulverem nitentem; hic pulvis iterum cum gummi Sandaracae mihi deflagrabat, addebam adhuc drachmam unam et dimidiam Boracis calcinatae, et nunc eidem igni per horam dimidiam et ultra exponebam. Furnus de prima fuſione (§. 48.) adhuc calebat. Refrigerato tegulo videbam illud albo nitido ſplendore metallico, quousque materia illud tegerat, eſſe obductum. Baſis materiae meae impleta erat metallo albo aſpero, et immalleabili, pars ſuperior atra erat et ſcoriacea, ſed pariter globulis eiusmodi metallicis impleta, qui, vel nudo oculo, facile poterant diſtingui.

Gravitas ſpecifica eiusmodi partis erat tantum 6, 567. quod exiguum pondus Scoriae adhaerenti mihi videtur eſſe adſcribendum.

Cum perparum eſſet, non iterum fudi, metuens, ne illud deſtrueretur. Portiuncula huius ſcoriae ope aeris dephlogiſticati fuſae, granum dabat ſimile illi, de quo §. 40. dictum eſt.

ADOL-

ADOLPHI MODEER
ILLUSTRATIONES QUAEDAM
IN R. D.
AMBROSII SOLDANI
OPUS EGREGIUM
SAGGIO ORITTOGRAFICO
DICTUM. *)

*) Saggio Orittografico ovvero Oſſervazioni ſopra le Terre Nautilitiche ed Ammonitiche della Toſcana. Con Appendice o Indice Latino Ragiònato de' piccoli Teſtacei e d'altri Foſſili d'origin marina per ſchiarimento dell' Opera. Dedicato a S. A. R. PIETRO LEOPOLDO Gran-Duca di Toſcana etc. Dal Padre D. AMBROSIO SOLDANI Abate Camaldoleſe. In Siena 1780. Nella ſtamperia di Vincenzo Puzzini Carli e Figli etc. 146. S. nebſt 3. S. Vorrede, mit 25. Kupfertafeln und einem Zuſchrifts-Titelkupfer. in 4.

Mirum eſt ſane, Naturam inter quamvis fere creatorum tribum, etiam microſcopica produxiſſe! Adſpectu horum, numero tam magno, Toſcanenſium, indefeſſo R. D. D. SOLDANI labore detectorum, obſtupui, et deſiderium me cepit, ea aliquantulum meis illuſtrandi obſervationibus; quas, ut detecta magis magisque clariora evadant, Academiam Caeſar. ſequentia boni fore conſulturam ſpero.

Ad pag. 96. *Nautilos* non ſolum ab *Hammoniis* diſtinguere, ſed etiam *Orthoceras* a *Nautilis*, permultae ſuadent rationes. Dudum mihi diſtinctae XXVI. Orthocerarum innotuere ſpecies, novis quibusdam, hucusque mihi ignotis, exceptis: veroſimillime autem ipſum Orthocerarum animal, a Nautilorum eſſe diſtinctum, ſtructura domicilii ſ. Teſtae, ortus atque oeconomia indicant. *Hammoniae* ſine dubio et Spira et Columella gaudent, carent vero illa praeſertim et *Nautili* et *Orthocerae*.

En ergo characteres ORTHOCERARUM genericos: *Teſta libera tubuliformis attenuata, geniculata, ſaepius recta, quibusdam poſtice involuto-ſpirali; Intus diaphragmatibus tabulatis quaſi contignata, Siphone perforatis.* — Commode ſubdividitur Genus hocce in Orthoceras *α*) *Teſta recta,* *β*) *Teſta oblituiformi.* Plerasque autem apice poſtico involuto ſpirali gigni, l. in ipſa nativitate forma gaudere involuto-ſpirali, in rectum vero Teſtam, ab animalculo creſcente, continuatam, inopinato denique vi defractam eſſe, et experientia et analogia comprobant.

Ad pag. 97. Alae ſ. carina membraniformis plerisque forſan etiam Nautilis communis, ut fragiliſſima, uni eidemque ſpeciei et adeſſe et deficere poteſt. Uſus hujuſce carinae, reliquarumque Orthocerarum geniculorum et ſtriarum, ſine dubio

dubio eſt, ut Teſta in fundo maris firmius erecta ſteterit, ſine quo Animalculum Hydraeforme, vix vitae ſuae genus exerceret, nec ſibimet pabulum acquireret. Incerta etenim et periculoſa Teſtae minimae ſtabilitas efficit, ut multa millia in litora per fluctus ejiciantur; Teſtae vero bene, rariſſime licet, altum in mare locatae, cum animali in volumen relative giganteum excreſcunt, ſidunt et in perpetuum manent.

Ad tab. I. fig. 1. *A. C.* Orthocera, ſua in juventute, eſſe videtur quam *criſpatam* dixi, *excreta Teſta conico-elongata, apice plano-ſpirali involuta, ſuturis geniculorum undulato-dentatis ſerratis.*

Knorr Lap. Suppl. t. 12.
Walch nat. forſch. I. p. 192.

Ad tab. I. fig. 2. *D.* Illam aſſimilat, quam *Forskalius* in mari rubro invenit, atque in deſcriptionibus ſuis p. 125. ſub nomine Nautili *orbiculi* memoravit, denique a *Spenglero* in Act. nov. Havn. I, p. 371. f. 5. bene deſcriptam et depictam vidimus. Nobis autem dicenda eſt: Orthocera *orbiculus*: *Teſta conica compreſſa, apice anteriore dilatato, poſteriore incurvato-ſpirali, altero latere prominulo, altero ſubumbilicato, articulis ſubtoruloſis tranſverſe linearibus, diaphragmatibus poris duplici ſerie pertuſis.*

Ad tab. I. fig. 4. *G.* Ejusdemque nucleum *fig.* 9. *M.* — MARTINI conch. cab. I. p. 249. t. 19. f. 171. t. 20. f. 180. 181; PLANCI conch. t. I. f. 3. 12. 13. app. p. 85. citans, eundem adfert Nautilum. Et *fig.* 6. *I.* apud R. SOLDANUM ejusdem ſpeciei, ab illo licet *papilloſi* nomine memoratum Nautilum ſiſtit; papillae etenim veroſimillime prolem, Teſtae adfixam maternae, perditam alias ob infinitam cuiusque exiguitatem, produnt.

Tab. 1. *fig.* 7. *K. et II. O.* ſine dubio eundem, ac antecedentem Nautilum notant: umbilici magnitudo, articulorumque

rumque diſtantia ab animalculi robore et variis caſibus dependet.

Tab. 1. *fig.* 12. *P.* eundem forſan Nautilum, qui in nov. act. Havn. I. p. 368. ſub fig. 1. a. b. c. deſcriptum et depictum vidimus, exhibet; ſin geniculi, ut ſuſpicari licet, ſint deleti, etiam idem ſit, quem, melius ſervatum, in *Tab.* 2. *fig.* 17. *T. Z. et tab. XII. fig. Z. Z.* R. SOLDANUS monſtravit: et hicce, ad quem *fig.* 5. *H. tab.* 1. R. SOLDANI etiam pertineat, Nautilus *criſpus* LINNAEI eſt.

Tab. 1. *fig.* 10. *N.* nucleus, et *tab.* 2. *fig.* 20. *D. E, fig.* 22. *H. I, fig.* 23. *K. L. fig.* 25. *O. P, fig.* 26. *Q. R,* denique *tab.* 7. *fig. XX. TT,* ut variantes diverſaque aetate, ad Nautilum *Beccarii* numerandae ſunt.

Tab. 2. *fig.* 15. *T.* an Serpulae, et *fig.* 16. *V. X.* Echini, *tab.* 3. *fig.* 24. *M. N.* aſſimilantls, cujusdam pulluli?

Tab. 4. *fig.* 33. *F,* collata cum Echinitis *favogineis*, de quibus KLEINII Diſpoſ. Echinoderm. ed. a LESKE, conferatur, eidem generi minime diſſimilis eſt: alias, Milleporae poris contiguis angulatis (Diſſert. de Corall. Balt. et Berlin. Geſellſch. Schriften Vol. 3. p. 152.) fruſtulum eſſe poſſet.

Tab. 2. *fig.* 35. *I.* an Piſolithus?

Tab. 2. *fig.* 36. *K. L.* Nucleus Helicis *algirae?*

Tab. 5. *fig.* 37. *M. O. P, fig.* 40. *X.* Nautilus *Raphaniſtrum* LINN., mihi Orthocera *Raphaniſtrum: Teſta conico-fuſiformi, articulis ſubtoroſis ſtriis elevatis duodenis; ſiphone centrali.*

Tab. 5. *fig. N.* Nautili *obliqui* LINN. fragmentum.

Gualtieri Ind. t. 19. f. N.

Martini conch. Cab. I. p. 39. b. p. 1. f. H.

Mihi Orthocera *obliqua: Teſta recto-ſubarcuata, lineari parum attenuata, articulis longitudinaliter oblique multiſtriatis; ſiphone centrali.*

Tab. 5. *fig.* 38. *S. et tab.* 6. *fig.* 42. *E*, ni fallor Orthocera *armilla: Teſta tereti attenuata, apice incurvato-ſpirali latere altero prominulo, altero umbilicato; articulis globoſis laevibus, apertura laterali*, dicenda eſt:

Klein meth. p. 28. t. p. 44. fig. duae ultimae ibid. fig. A. B.

Act. Gedan. 2. p. 47. t. 1. f. a. b.

Spengler act. nov. Havn. 1. p. 382. t. 2. f. 10. d—f.

In ſtatu naturali apice ſpirali et gaudens, et deſtituta, invenitur. Exemplar huiusce ſpeciei giganteum, pollicum 2$\frac{4}{5}$ longitudine, craſſitieque proportionata, petrificatum in lapide calcario griſeo Gothlandico poſſideo: ſpira quidem deperdita eſt, ſed foveola cui ſpira in lapide inſederat, exiſtentiam ejusdem tamen monſtrat. Rariſſimum ſi non unicum hocce Petrificatum, Illuſtriſſ. D. Baro de SEGEBADEN, Ducis locum tenens, ordinis enſiferi Commendator et Provinciae Gothlandicae a. h. Gubernator, perbenigne mihi procuravit.

Tab. 5. *fig.* 39. *T, tab.* 6. *fig.* 43. *F. G. K. L. et tab.* 19. *fig.* 92. *Z.* Teſtae variantes vel unico vel pluribus articulis conſtantes Nautili (mihi Orthocerae) *radiculae* LINN. ſunt, quarum characterem ſpecificum adnotavimus ſequentem: *Teſta oblonga attenuata, articulis toroſis globoſo-obpyriformibus, glabris.*

Plancus Cap. 6. t. 1. f. 5. A—C.

Ledermüller aug. ergötz. p. 8. t. 4. f. r, s. p. 17. t. 8. f. e.

Martini conch. cab. 1. p. 38. t. p. f. f. G. G. g.

Articuli ſolitarii hujuſce ſpeciei, aut e Teſtis diſrupti ſunt adultioribus, aut ipſam notant infantiam, omnes etenim Orthocerae unico tantum Teſtae articulo gignuntur. Articuli

culi deinde ab animalculo ſecundum ipſius incrementum uſumque oeconomicum multiplicantur. Sipho quoad maximam partem corpus animalculi vermiculiforme, vel caudam ipſius, excipit, articulus vero ſupremus corporis ſolummodo parti ſuperiori cum Tentaculis condendae inſervit; reliqui autem articuli, ut derelicti et clauſi nulloque gaudentes aditu, inſuper vacui ſunt.

Orthoceram *armillam radiculamque* Siphone eſſe deſtitutas, anſa mihi eſt opinari. Animalcula haecce ergo unicum tantum articulum Teſtae tota inhabitant, quas ob cauſas propria, una cum Teſta, ſtructura ſint et proprium praeſtent genus, cujus nomen *Arthrocenae* proponere volumus.

Ex jamjam dictis multum non aberrare ſpero, ſin dixerim, quod omnes figurae Soldanianae *O. P. Q. R. S. in tab.* 6, *T. V. X. Y. Z. A. B. in tab.* 7, *et V. X. in tab.* 19. articulos aut ſolitarios aut concretos Orthocerae l. Arthrocenae *radiculae*, *armillae* aut *Rapiſtri* (de qua infra) cruſta calcarea ochraceave p. m. obductos, notent.

Tab. 5. *fig.* 41. *V. et tab.* 6. *fig.* 43. *F.* maris fluctu deterſae, a LINNAEO ni fallor nomine Nautili *Raphani* deſignantur. Mihi harum ſunt nomen et character: Orthocera *Raphanus: Teſta oblonga attenuata, articulis toroſis ſtriis elevatis ſaepius ſedenis; ſiphone ſublaterali.* Synonyma vero a LINNAEO in Syſt. Nat. adjecta huic ſpeciei nullo modo conveniunt.

Tab. 5. *fig.* 41. *Z. A. B. C. D, tab.* 6. *fig.* 43. *H, et tab.* 8. *fig.* 46. *C. C.* Nautilum *Rapiſtrum* LINN. ejusdemque varietates repreſentant.

Plancus cap. 7. t. 1. f. 6. G.

Klein meth. oſtr. p. 28. t. pag. 44. fig. antepenult.

Gualtieri Ind. t. 19. f. L—M.

Ledermüller aug. ergötz. p. 8. t. 4. f. X. anter. p. 17. t. 8. f. F.

Martini conch. cab. 1. p. 34. t. p. 1. f. A—C.

Mihi Orthocera vel Arthrocena *Rapiſtrum: Teſta attenuato-conica, articulis toroſis ſubgloboſis, ſtriis elevatis duodenis; ſiphone centrali.*

Tab. 6. fig. 44. *M. N.* vere Nautili *Leguminis* LINNAEI ſunt; ſpecimina etenim ſine ulla deterſione poſſideo, quae omni carent ſtria longitudinali: alia iterum quae p. m. longitudinaliter ſtriata ſtriis per totam Teſtae longitudinem integris vel dimidiatis. Nomen hujuſce ſpeciei mihi eſt Orthocerae *Leguminis: Teſta ſublanceolata bimarginata glabra* (quibusdam p. m. longitudinaliter ſtriata), *articulis demiſſis, geniculis elatioribus, obliquis; ſiphone laterali* (utrinque?).

Plancus cap. 8. t. 1. f. 7.

Gualtieri t. 19. f. P. P. Z.

Ledermüller l. c. p. 18. t. 8. f. g.

Martini l. p. 36. t. p. 1. f. E. e. F.

Et hujuſce ſpeciminis gigante, 4. pollicum longitudine, petrificato licet et typolithico, me etiam delectavit ſemel Gothlandia.

Tab. 7. fig. 46. c. et tab. 14. *fig.* 74. *S. T.* Orthoceram meam *Pupam* exprimit: *Teſta compreſſa ſubovali ancipiti, ſtriis transverſis elevatis diſtantibus arcuatis, ſaepius alternatim ſeſe oblique quaſi ſecantibus; ſiphone centrali compreſſo.* Nullo ab Auctore, praeter R. D. D. SOLDANI, adhuc ſingulare hocce ſpecimen memoratum fuit.

Tab. 8, fig. 47. *G.* LINNAEO ignota quidem ſpecies, congener tamen Serpulae ejus *ſeminulo* dicto. Ob magnam Serpularum generis numeroſitatem, cujus viginti quinque ſpecies mihi dudum ſunt cognitae, praeſertim vero ob pro-


priam

priam animalculi oeconomiam, novum condendum eſt genus, quod ex mente R. D. SOLDANI atque LINNAEI, quum frumentum ſ. ſeminulum referat, *Sitomojam* nuncupare liceat. Sequens deinde extat character genericus: *Teſta ovalis aut teretiuſcula ſubflexuoſa, ſaepius in orbiculum ſubſpiralem anfractibus, e tubulis interrupte compoſitis, irregularibus conglomerata.* Praedicta ergo figura Sitomojam exhibet *ſtriatam: Teſta diſtiche ſtriata.*

Tab. 8. *fig. H. I, et fig.* 49. *K. L. M.* Sitomoja ſit *canaliculata: Teſta ſtriis canaliculisque longitudinalibus notata.*

Tab. 9. *fig. T. V.* Serpula *ſeminulum* LINNAEI eſt, nobis Sitomoja *ſeminulum: Teſta laevi.* Plurimi Teſtaceologiae Scriptores hancce praeſertim ſpeciem meminerunt.

Ut character generis *Sitomojae* et quoad partem animalculi ejusdem oeconomia magis eluceſcat, *adpoſitam contemplari libeat figuram:*



a. animalculi primordium l. ipſa infantia quoad Teſtam tereti-ovalem eſt, apertura inferius ſita. Animalculo magis magisque creſcente, domuncula haec ob anguſtiam tandem inutilis fit. Pro fundamento tamen ſervit animalculo, quod ſibi ſuper illum Tubulum *b.* majoris capacitatis, apertura ſuperius gaudentem, exſtruit, Tubulum huncce, fundamento adnexum elliptico, etiam flexuoſum ſ. incurvatum fieri neceſſe eſt. Pari deinde ratione, urgente alia neceſſitate, Tubulus

bulus ab animalculo conficitur novus ſecundum *c.*, cujus apertura deorſum, alterumque ad latus aedificii, verſa, in icone conſpici quidem nequit, novo autem Tubulo veteris et derelicti aperturam animalculum ſaepius claudit. Hocce modo Tubuli etiam inſequentes *d. e.*, lateraliter aut verticaliter derelictis adglutinati, totaque conglomeratio, p. m. vel raro regulariter tandem paratur. Rariſſime ergo, nequidem ſine violenta cauſa periculi l. mortis, *tubuli Sitomojarum* ſimplices ſeparati vel incompoſiti inveniuntur. WALKER, cujus opuſculum de Teſt. minut. Sandvicenſ. mihi ad manus non eſt, et ſimplicia et compoſita variarum ſpecimina Sitomojarum tab. 1. f. 6. 8-12. et 15. delineavit.

Holmia Erlangam miſſ. d. 9. Nov.
1790.

JUSTI

JUSTI CHRISTIANI HENRICI HEYERI

DE

MINERA PLUMBI

CARINTHIACA

MOLYBDAENAE ACIDO MINERALISATA.

MONITUM.

Paulo antecedentem tractationem, quam transmiſerat clar. HEYERUS, *ut Novis Noſtris Actis inſereretur, ſuo tempore, Bibliopolae, cum aliis imprimendis, rite tradidi. Verum inopinato poſtea accidit, ut ea revocaretur, atque* nova elaboratio *transmitteretur. Annui cl.* HEYERI *petito, ac ſtatim Norimbergam ſcripſi, ut prius ſpecimen ſeponeretur, et hoc novum, ejus loco, imprimeretur. — At nunciabatur mihi, integram dictam tractationem jam eſſe typis exſcriptam, nec ſine inſigni damno, et ſumtibus, iam impenſis, plagulas, jam impreſſas, poſſe deleri! Dubius primo haeſi, quid hic noviter faciendum ſit, cum facta, infecta fieri, nequeant!* Interim, *cum conſiderarem, non a charactere boni viri eſſe alienum, ſententiam ſuam, pro re nata, mutare; ratus fui, curare, ut etiam nova haec elaboratio typis mandaretur. Forte benevoli lectores inde habebunt, unde collatis binis his impreſſis, judicare poterunt, quaenam valeant meditationes, diverſis temporibus inſtitutae, qualisque ſententia ipſis magis arrideat. Scrib. Erlangae d. XI. Mart.* 1791.

DELIUS.

§. 1.

Quantum ſcio, *Acidum* illud *metallicum*, quod *Molybdaenae* inhaeret, nondum in aliis mineralibus eſt repertum, ac in *Molybdaena ipſa*, ſi excipio, quod celeberr. BERGMANNUS in minera *ſolari Nagyagenſi* Tranſylvaniae, hoc ineſſe putet, de quo vero futura experimenta certiora afferent. Mineralogis igitur non contemnendum videbitur, ſi hiſce paucis enarro, me hoc acidum etiam *in ſpeciminibus duobus minerarum plumbi Carinthiae* reperiſſe, e quibus patebit, acidum illud, ſicut Arſenicum, Sulphur, et nonnulla acida mineralia, metallis mineraliſandis inſervire. Celeberr. *Wulf* quidem iam has mineras deſcripſit, ſed viam, eas mineraliſandi, nondum detexit.

Sed nunc de experimentis ipſis.

§. 2.

Minera prima, quam his deſtinaveram, ſub titulo: *Bleyſpat* aus *Bleyberg*, in Cärnthen, mihi miſſa, conſtabat ex tabulis tenuibus, quadrangularibus parallelipedis, ſaepe etiam ſexangularibus, magnitudine quartae partis pollicis, majoribus tamen quibusdam, quibusdam minoribus. Intererant etiam, quae perfecti cubi videbantur. Color erat ex cinereo ochroleucus; adhaerebant autem Calci durae, eiusdem coloris. Intus cryſtalla erant lucida, cinerea, ſplendore vivido.

Gravitas ſpecifica erat, 4, 7.

Per ſe ante tubulum ferruminatorium plumbum ex ea redire nolebat, quod alias fruſtula Spathi albi plumbi, ex Hercynia, ſtatim efficiunt.

Cum alcali minerali contra ſtatim reducebatur; quod experimentum mihi jam monſtrabat, mineram hanc non eſſe Spathum plumbeum, vulgare, ſive per acidum aereum plumbum mineraliſatum.

Nonnulla cryſtalla per ſe leniter calcinata non decrepitabant, ſed tantum fiebant friabiliora.

Cum aere dephlogiſticato in carbone non deſaltabat, quando autem tenebatur alio carbone, abibat in ſcoriam rubiginoſam, globulis plumbeis mixtam.

Cum pauxillo Boracis fundebatur, per aerem dephlogiſticatum, in ſcoriam vitream albam, cum globulis metallicis.

Cum Alcali minerali in ſcoriam rubiginoſam, cum globulis plumbeis; carbo erat luteo colore cinctus.

Cum Sale microcoſmico in ſcoriam vitream rubiginoſam, in qua, cum fricaretur, nullum plumbum erat conſpiciendum.

Terreſtre huius minerae nec liquefiebat per ſe, nec cum Borace, fiebat friabilius, Borax autem a carbone imbibebatur.

§. 3.

Cum ex forma cryſtallorum, cubicae appropinquantium, concluderem, Salis acidum ineſſe, antea mihi parare ſtudebam purum Alcali minerale, cui ſimul inhaereret Phlogiſton, quod tamen praecipue nihil contineret de Salis, et Vitrioli acido. Id via breviſſima me obtenturum judicabam, ſi Saccharum Saturni cum Sale mirabili puro miſcerem; providebam autem, fore, ut tantilla modo portiuncula Sacchari Saturni potius ſupereſſet, ne quid acidi vitriolici acciperem. Vitriolum Saturni poſtquam per filtrum ſeparatum et aqua edulcatum erat, evaporabam colaturam leni calore ad ſiccitatem.

§. 4.

§. 4.

Hujus Alcali mineralis acetati §. 3. unciae uni miſcebam tantundem minerae meae pulveriſatae, et in tegulo tecto ponebam in ignem candentem. Simulac maſſa incipiebat candeſcere, etiam flagrare cum flamma coepit. (Quod mihi argumentum eſſe videtur, Saccharum Saturni non, ut plerumque creditur, cum aceto deſtillato, ſed potius crudo, parari, nam etſi Sal candidiſſimum erat, alterum tamen experimentum docet, non mineram, ſed Phlogiſton potius aceti deflagrationem effeciſſe.) Poſt deflagrationem ignem augebam usque ad liquefactionem; non liquide quidem, inſtar aquae, maſſa mea fluebat, attamen bene effundi poterat. Poſt refrigerationem materia ex fuſco nigreſcebat.

§. 5.

Et materiam effuſam, (§. 4.) et tegulum aqua ſuperfundebam. Aqua virideſcebat; celerioris ſolutionis cauſa in loco calido poſita, ſolutio colorem egregium hyalinum accipiebat, qui refrigeſcendo paululum decolorabatur. Poſt diſſolutionem, et teguli elotionem, ſolutio per filtrum traiiciebatur; reſiduum, in filtro remanens, et a ſalinis partibus liberatum, nigrum erat et impletum globulis plumbi, quos non ſeparabam. Liquidum filtratum deſignabam littera (A).

§. 6.

Reſiduum (§. 5.) una cum charta miſcebatur iterum cum uncia una Salis (§. 3.) deſcripti, et ſucceſſive, ſicut prima vice, igni fuſorio ſubjiciebatur. Flamma redibat. Materia liquefacta, effaſa et ſalibus elotis, quorum ſolutionem filtratam littera (B) deſignabam, inveniebatur in reſiduo, quod adhuc atrum erat, Regulus plumbeus, qui, cum nonnullis globulis minoribus, drachmas tres et grana ſedecim habebat.

§. 7.

Ut ſcirem, an in reſiduo (§. 6.) adhuc plumbum inſit, illud candefaciebam. Nullum plumbum reducebatur; omne potius in pulverem luteſcentem mutabatur, quo ſebum deflagrabam et admiſcebam ſemiunciam Salis Tartari. Et cum hoc iterum liquefeciſſem, poſtquam effuſa maſſa in aqua erat ſoluta, reperiebantur adhuc grana quadraginta duo plumbi. Etiam inhaerebant tegulo nonnulli globuli, qui ſeparationi reſiſtebant, et grana duo pondere efficere videbantur. Liquidum filtratum deſignabam littera (C).

§. 8.

Reſiduum (§. 7.) in filtro remanens et elotum, erat atrum. Candefaciebam; quo facto colorem acquirebat lucidum fuſcum. Cum ſuperinfunderetur acidum Nitri et in loco calido reponeretur, omnia in mucilaginem fuſcam mutabantur. Haec aqua diluebatur, percolabatur, remanentia vero mucilaginea iterum tamdiu cum Nitri acido digerebantur, donec mucilago albeſceret. Solutio haec, cum priori mixta, littera (D) deſignabatur. Mucilago vero abluta, exſiccata et candefacta, pulvis fiebat craſſus, pondere ſeptemdecim grana habens, qui nil niſi ſilicea terra erat. Haud negaverim, hanc terram, repetita tractatione, ex tegulo partim ſolutam eſſe.

§. 9.

Cum acido vitriolico ex liquore D (§. 8.) nihil ſtatim praecipitabatur, igitur neque plumbum, neque ponderoſa terra inerat. Cum Spiritu Salis Ammoniaci cauſtico contra praecipitabatur mucilago ſubfuſca, quae edulcata, ſiccata et candefacta pondere grana quatuordecim habebat; et inſtituta ulteriori diſquiſitione ex granis ſex terrae aluminis, et octo calcis martis, compoſita reperiebatur. Ex liquore ſeparato

cum

cum Alcali minerali adhuc ſeparabatur terra calcarea, quae calcinata quadraginta et ſeptem grana pondere habebat.

§. 10.

Solutio ſalina A (§. 5.) ſolutionem Argenti, et Mercurii vivi, candidam quidem praecipitabat, praecipitatum vero in acido nitri rediſſolvebatur. Eodem modo et ſedimentum ſolutionis terrae ponderoſae in acido ſalis, per copioſius acidum ſalis, rediſſolvebatur. Pauxillum quoque evaporabatur, ubi maſſa remanebat unctuoſa, quae cryſtallos diſtinctos non dabat. Solutio B contra dabat cryſtallos irregulares, ut tamen cum cryſtallis alcali mineralis aliquid ſimilitudinis haberent. Igitur nec acidum ſalis, nec vitriolicum, inerat; me autem exſpectatio mea fefellerat. Nunc tentabam, an per acida nihil praecipitaretur? Sed nec nitri nec ſalis cum acido ſeparabatur aliquid; mixtum vero cum ambobus egregium colorem citrinum accipiebat. Cum acido vitriolico primo virideſcebat, cumque ſaturata eſſet, aut cum fortaſſe acidum ſuperabundaret, colorem ſaturatum viridem accipiebat; praecipitabatur autem nunc etiam nihil. Cum vero exigua haec, quae tentando acquiſiveram, evaporarem; ſeparabatur ex ſolutione cum nitri et ſalis acido pulvis citrinus, qui mihi primo character *acidi Wolframi* eſſe videbatur, ex illa vero, cum vitriolico, pulvis ex luteo vireſcens.

§. 11.

Parva haec per tentamina cum cognoviſſem, quomodo ſolutio mea tractanda ſit; liquidum A. B. C. ſaturabam acido vitriolico. A primo luteſcebat, poſt ſaturationem vero acquirebat colorem luteo-vireſcentem; B mox diluto colore hyalino gaudebat, poſt ſaturationem pulchro citrino; C tantum in fine ſaturationis monſtrabat exiguum colorem viridem. Solutiones omnes leni calore evaporabantur. In ſolutione A ſemel poſt refrigerationem exiſtebant egregiae cryſtalli vi-

rides ſalis mirabilis, ſub quibus tamen nullum ſedimentum reperiebatur, ergo omnes ad ſiccitatem usque evaporabantur. A. et B. nunc facta erant maſſa ſalina injucunde viridis, quae maculas oſtendebat luteſcentes; C. cryſtalliſata erat in tartarum vitriolatum regularem.

§. 12.

His maſſis ſalinis (§. 11.) ſuperinfundebatur aqua. De A et B remanebat pulvis ſordide vireſcens. Ambae uni filtro infundebantur, et ſolutiones uno tempore iterum evaporabantur, et cum ſiccatae eſſent, in tegulo ferventer calefiebant quidem, ſed non candefiebant. Poſt ſolutionem remanebat ſimilis pulvis, liquidum vero ſemper adhuc viride erat. Eam ob rem maſſa ſalina, iterum ſiccata, tamdiu leviter candefiebat, donec color viridis in rubiginoſum mutaretur. Nunc remanebat, facta diſſolutione, ingens copia pulveris rubiginoſi, qui, cum omni praecedente, in uno filtro collocatus, aqua ablutus et in aere ſiccatus, grana nonaginta et octo efficiebat.

§. 13.

Tartarus vitriolatus ex liquido C. (§. 11.) etiam aqua ſuperinfundebatur. Remanebat aliqua mucilago albida, quae abluta et ſiccata grana quatuor cum dimidio habebat. Separatum liquidum nunc nihil amplius (acidi) videbatur continere, et ob eam rem defundebatur.

§. 14.

Cum liquido remanente ſalino ex A et B (§. 12.), quod non amplius viride, ſed luteſcens erat, ſpectaculum mihi cogitabam parare, quod olim jam me et alios valde delectaverat. Ex *lapide ponderoſo* et *Wolframo* examinato nempe ſimile liquidum obtinueram, ex quo, quantum poteram, ſepa-

ſeparaveram acidum Wolframi; de quo alio loco ſcripſi. *) Iam hoc lixivium, ut tunc, tanta aquae quantitate diluebam, ut ampulla menſurae unius usque ad collum impleretur, cui adhuc aliquid acidi vitriolici addebam. Huic liquido inſerebam filum pendens ferreum, et cum voluptate ſpectabam, quomodo filo mox particulae virides, muſcum imitantes, faſciatim adhaereſcerent, mox totae nubes ſe aggregarent. Poſt ſex circiter horas jam dimidia ampulla deſuper viridis erat, poſt duodecim autem ampulla tota, pelluciditate amiſſa, atrocaerulea. Poſt diem tertium ferrum exedi coeperat. Cum vero efferveſcentia eſſet finita, ſolutio ſenſim ſenſimque fuſca fiebat, filum erat corroſum, ligamentum vero, ex quo pendebat, erat atrocaeruleum, pars vero illius extra ampullam ſale caeruleo alboque obducta. In fundo erat aliquid praecipitatum, a quo liquidum defundebatur, praecipitatum vero atrum floſculoſum colligebatur, edulcorabatur et ſiccabatur, ſuper carbonem cum *aere dephlogiſticato ex magneſio* liquefiebat. Liquefiebat autem difficulter, nam opus fere erat unciis duodecim. Reſtabat ſubſtantia cinerea pulveroſa, ex qua magnes attrahebat pulviſculum. Alia inde portio cum pauxillo gummi Sandaracae miſcebatur, et eodem modo liquefiebat, quod nunc cum unciis circiter octo ſuccedebat. In carbone reperiebatur granum ſimile ſcoriae ferri, quod per microſcopium erat ſplendens, caeruleum et ſtriatum, inſtar Antimonii, ſed nec integrum, nec diſruptum, a magnete attrahebatur.

§. 15.

In §. 10. dixi, me credidiſſe, *mineram meam acido Wolframi mineraliſatam* eſſe, ſed experimenta poſteriora me docuerunt, illud *non* eſſe *acidum Wolframicum*, *ſed potius acidum Molybdaenae.* Nam etſi Calx, ſeu acidum noſtrum in

*) *Taſchenbuch* für Scheidekünſtler und Apoth. 1788. pag. 145. etc.

in filtro ſiccatum, non in maſſam cryſtallinam rediit, uti hoc in inquiſitione Molybdaenae obſervavi, ſed in forma pulveris remanſit, et cum nitri et ſalis acido digeſtum, non colorem caeruleum, ſed potius citrinum accepit, quod character acidi Wolframi eſſet, attamen repetita digeſtione cum acido ſalis, ſi acidum evaporatum fere erat, colorem aſſumebat in ſuperficie in viridem ſpectantem, qui vero, poſt refrigerationem in vitro non tecto, ſenſim ſenſimque in caeruleum vertebatur. Porro calx noſtra vitrum Boracis in fluore non tingebat caeruleo colore, ſed vitro color ſuus albus conſiſtebat. Denique calx noſtra, per ſe, in tegulo leni igne calcinata, fluebat, et in maſſam cryſtallinam redibat. Tegulum tingebat citrino, ubi vero particulae martiales, caeruleſcente colore. Ergo mihi nullum dubium remanſit, *acidum Molybdaenae* eſſe.

§. 16.

Secundum hoc experimentum itaque accepi *ex uncia una hujus minerae*, et quidem ſecundum

§. 6.	7.	unciam dimidiam Plumbi
12.	13.	drachmam unam et grana quadraginta quatuor cum dimidio acidi Molybdaenae
9.		quadraginta et ſeptem grana Calcis, aere deſtitutae:
8.		grana ſeptemdecim terrae ſiliceae
9.	—	octo calcis Martis
—	—	ſex terrae Aluminis

Fiunt: Uncia ſemis, drachmae tres et granum dimidium.

De qua ſumma fortaſſe ſubtrahendae ſunt terra ſilicea, et Aluminis, ex tegulo quippe veriſimiliter extractae. Quod deeſt, cum aqua effundebatur. Calcarea terra adhaerere potuit terreſtri, ſicut et Mars maximam partem.

§. 17.

§. 17.

In experimento jam narrato veriſimillimum mihi erat, me non omne acidum accepiſſe, nec methodum illam eſſe facillimam; ſed alteram, quae mihi etiam ad acidum ex Wolframo, et lapide ponderoſo, obtinendum commodiſſima fuit, eſſe praeferendam, ut ſcilicet talia cum aequalibus partibus alcali vegetabilis liquefiant. Poteram adhuc drachmas quinque hujus minerae ad hunc uſum adhibere, (tantum enim pulveris mihi ſupererat) has itaque cum anatica portione Salis Tartari miſcebam, et in tegulo igni candenti imponebam. Materia nec deflagrabat, nec efferveſcebat, ſed brevi tranquilla fluebat. Nunc effundebatur, et cum aqua ſolvebatur. Remanebat albidum ſedimentum in ochroleucum ſpectans, quod ſiccatum denuo cum uncia dimidia Salis Tartari liquefiebat. Reſiduum, cum quantitatem plumbi ſcirem, et terras noſſem, non amplius inquiſivi.

§. 18.

Lixivia vero §. 17. acido nitri ſaturabantur. (Eligebam hoc, quia nitrum regeneratum exigua quantitate aquae facile ſolvitur, experientia autem prioribus experimentis me docuerat, hoc acidum in ſtatu illo, quo adhuc cum aliis ſalibus mixtum, et nondum ſiccatum eſt, facile reſolvi, contra vero ſolutioni in aqua magis reſiſtere, ſi liberum ſalinis partibus candefactum ſit; lixivia inde ambo luteſcebant; illo tantum diſcrimine, quod lixivium primae ſolutionis cum prima gutta acidi turbabatur, ſecundae vero, non niſi paulo ante ſaturationem, et perparum ex illo praecipitabatur. Quamquam etiam primum ſemper iterum pellucidum fiebat, usque dum Sal alcali non amplius in acido Molybdaenae vim ſuam probare poſſet. Sedimentum ex ambobus in unum filtrum colligebatur, et aqua ablutum aere exſiccabatur. Album erat, pondere granorum ſexaginta et novem.

§. 19.

Lixivium de ſedimento §. 18. filtratum, et aquam, qua illud ablutum erat, leni igne evaporabam. Mox coibat in ſuperficie, in latere et in fundo vaſis, pellicula alba et tenax, quam commode a liquido ſalino ſeparare poteram. Traiiciebam in filtrum et liquidum usque ad ſiccitatem evaporabam; tunc inveniebam inter nitrum adhuc magma album, quod abluto nitro praecedenti addebatur. Lixivium denuo evaporabam, praecipitati adhuc perparum erat, quod cum ſuperioribus ablutum et ſiccatum triginta grana habebat.

§. 20.

Lixivium remanens §. 19. aqua dilutum et pauxillo acido nitri adiecto roboratum, iniecto filo ferreo, nolebat caeruleſcere; poſt horas duodecim fuſum erat, et defundebatur.

§. 21.

Acidi noſtri, quod hac methodo acceperam, pro portione multo erat plus, quam quod primo experimento; quoniam ex his quinque drachmis grana nonaginta novem (§. 18. 19.) acquiſiveram.

§. 22.

Aliquid hujus minerae etiam cum acido vitriolico diluto aliquamdiu digeſſeram; qua operatione partes aquoſae evaporabant. Concentratum liquidum nunc accipiebat colorem excellentiſſimum caeruleum, quod, pauca aqua dilutum, multas per hebdomadas ſine mutatione pulcherrimi coloris ſtetit. Perfundebam per chartam emporeticam albam, quae etſi inde friabilior fiebat, tamen et ſicca manebat caerulea. Reſiduum album nolebat caeruleſcere, novo cum acido

vitrio-

vitriolico; virideſcebat. Hactenus mihi nondum contigit, ut ex illo colorem caeruleum durabilem in forma ſicca obtinerem.

§. 23.

Venio nunc ad experimenta illa, quae cum *alia minera plumbi* inſtitui; quam ſub nomine: *Würflicher Bleyſpath aus Villach*, in Cärnthen, acceperam. Conſiſtebat ex parvis cryſtallis cubicis regularibus partim oblongis, magnitudine lineae, et minoribus; color erat ſicut praecedentis, cohaerebant autem per terram pulveroſam, coloris obſcurioris. Calcem induratam non inveni. Aqua lavans terrena ſeparare ſtudebam, quam poſt operationem cryſtalla tantum pura retinebam.

§. 24.

Gravitas ſpecifica erat: 5, 522.

Igni candenti leni expoſita diſſiliebat, et pulverem craſſiusculum, colore paulo obſcuriori, reddebat.

Ante tubulum ferruminatorium diſrumpebatur, addito alcali minerali plumbum continuo reducebatur.

In carbone, aeri dephlogiſticato expoſita, etiam aliquoties deſiliebat, poſtea vero brevi liquefiebat. In carbone erant nonnulli globuli plumbi, colore iridis, carbo autem citrino obductus erat.

Fruſtulo, cum borace liquefacto, plumbum celeriter reductum eſt, Borax forma vitrei atri pone jacebat, carbo obductus erat colore purpureo.

Fruſtulum, cum alcali minerali aeri illi expoſitum, dabat ſcoriam rubiginoſam cum albo mixtam, in qua plumbum in globulis erat.

Fruſtulum, cum Sale microcoſmico, ſcoriam dabat albam impellucidam, cum maculis nonnullis rubiginoſis.

 Carbo

Carbo obductus erat colore albo; plumbum redactum non reperiebam.

§ 25.

De his cryſtallis puris (§. 23.) pulveriſabam unciam, cum anatica portione Salis Tartari, et in tegulo ponebam in igne candente, ubi mox maſſa tranquilla fluebat. Effuſa et refrigerata accipiebat colorem bellum ſulphureum, in fundo tamen fuſcum; cujus cauſa erat calx plumbi, quae ob gravitatem majorem fundum petierat, et figuram cryſtallinam coloremque Lithargyrii oſtendebat. In deſtillata aqua maſſa mox ſolvebatur, ſolutio per filtrum traiiciebatur. Liquorem filtratum nominabam littera E; cui etiam miſcebatur illud, quod per elotionem teguli de liquido edulcato obtinueram. In reſiduo inveniebam globulum Saturni, quem ſeparavi.

§. 26.

Reſiduum in filtro remanens (§. 25.) liquefaciebam iterum cum drachmis ſex Salis Tartari; effuſam maſſam luteam tractabam, ſicut priorem, et liquorem ſalinum deſignabam littera F.

§. 27.

Reſiduum (§. 26.) permiſcebam cum Sapone albo, et Sale Tartari, quam mixturam in eundem tegulum immittebam, et igni imponebam. Poſtquam pinguedo deflagraverat, ignem fuſorium dabam, donec tranquilla fluebat. Effundebam materiam, et ſolvebam Sal in aqua. Reperiebantur globi Saturni, qui cum illo, quem (ex §. 25.) obtinueram, drachmas tres et grana quinquaginta duo efficiebant. Lixivium ſalinum filtro infundebam, et reſiduum in illo remanens ſaepe aqua abluebam. Liquorem filtratum, cum nihil niſi alcali retinere videretur, defundebam.

§. 28.

§. 28.

Reſiduo (§. 27.) in filtro remanenti nigreſcenti ſuperinfundebam acidum nitri, cum quo effervefcebat; quod cum digererem, color obſcurus ſtatim evaneſcebat, et omnia, excepta pauca mucilagine, diſſolvebantur. Solutio, aqua diluta, filtro immittebatur, ubi liquor lentiſſime percolabatur. Mucilago remanens aqua abluebatur, tum ſiccata et candefacta habebat grana undecim. Mihi videbatur eſſe ſilex, ex tegulo ſolutus.

§. 29.

Liquorem filtratum (§. 28.) tentabam cum acido vitriolico, an vitriolum Saturni inde praecipitaretur: ſed per guttas nonnullas nihil praecipitabatur. Tentabam nunc, an cum alcali phlogiſticato ſic dicto caeruleſceret; quod fiebat. Ergo tantum illius admiſcebam, donec addito novo nullus color caeruleus oriretur. (Nota mihi erat copia ferri illius, cujus et pondus mihi notabam.) Quam jucundo colore mixtio illa initio caeruleſcebat, tam injucunda poſtea fiebat. Praecipitatum per filtrum ſeparatum, ablutum, ſiccatum et poſtea candefactum, luteo fuſcum erat. Reperiebantur in illo adhuc nonnulli globuli Saturni. Ex pulveriſato magnes grana novem calcis martis extrahebat, a quibus vero tria debent ſeparari, quae in alcali phlogiſticato inhaeſerant. Ita tantum ſex grana notari debent calcis Martis, a magnete attracta: caetera erant globuli plumbi, pondere granorum trium cum ſemiſſe.

§. 30.

Ut viderem, an in fluido (§. 29.) terra calcarea inſit, addebam oleum vitrioli. Separabantur etiam mox cryſtalla tenuia, quae, poſtquam cum liquore aliquos dies ſteterant, a fluido per effuſionem caute ſeparabantur, etiam cum exi-

O 3 gua

gua quantitate aquae abluebantur, tunc vehementius candefacta pondere habebant grana duodecim cum dimidio, in quibus circiter quinque grana calcis, aere deſtitutae, fuerunt. Fluidum nunc cum alcali minerali praecipitatum, quatuor adhuc et dimidium granum terrae aluminis dabat, quae candefacta omnem humiditatem perdiderant.

§. 31.

Fluidum E (§. 25.) turbabatur prima gutta acidi nitri, quae addebatur. Affundebam tantum, usque dum nihil amplius praecipitaretur. Quod praecipitabatur erat candidum: liquor autem accipiebat colorem magis magisque citrinum, quo propius ad punctum ſaturationis accedebat. Praecipitatum ſinebam conſidere, tunc ſeparabam liquidum, ſedimentum in filtro remanens aqua edulcabam. Gaudebat egregio colore citrino. Veriſimile eſt, nimium de acido nitri fuiſſe additum, unde colore citrino tinctum erat. Pondus ſiccati erant drachmae duae et grana viginti tria.

§. 32.

Liquidum inde percolatum (§. 31.) cum aqua, ab edulcatione reſidua, leni calore evaporabam, ubi mox pulvis citrinus ſeponebatur. Liquidum evaporabam fere ad ſiccitatem; tunc aqua ſuperinfuſa in filtro colligebam adhuc materiae citrinae grana viginti et ſeptem. Liquidum inde filtratum, interim repoſitum, nominabo G, et ſtatim plura de illo dicam.

§. 33.

Liquidum F. (§. 26.) etiam nitri acido ſaturabam; praecipitabatur demum aliquid, cum fere ſaturatum eſſet. Accipiebam inde, cum eo, quod per evaporationem adhuc ſeponebatur, in ſumma grana viginti quinque. Liquidum inde filtratum effundebam.

§. 34.

Liquidum G, quod (§. 32.) interim depoſueram, diſpertiebam in vitra quatuor, commiſcebam aqua, et aliquantulum adhuc acidi nitri addebam. In vitrum primum iniiciebam fruſtulum Cupri, in ſecundum Zinci, in tertium Plumbi, et in quartum nonnullos globulos Mercurii.

Cuprum brevi tempore incruſtabatur pulvere caeruleo virideſcente, etiam prope illud in circuitu exigua eiusdem pulveris quantitas ſeponebatur. Ad Zincum et Mercurium ſeponebatur pulvis cinereus; ad Plumbum etiam caeruleus, neque tamen tam copioſus, quam ad Cuprum.

Liquida, cum per dies aliquot ſuper haec metalla ſtetiſſent, defundebam, et praecipitata collecta ſiccabam. — Quod de cupro collegeram, per exſiccationem virideſcebat, in carbone cum aere dephlogiſticato deflagrabat colore virideſcente, et fundebatur ſtatim in globulum coloris purpurei, valde friabilem, in quo nulli globuli metallici conſpiciendi erant. — Quod de Zinco, erat cinereum; Zinci ipſius nitor caeruleus, et colore rubiginoſo afflatus. Poſt fuſionem inveniebantur in carbone globuli albi metallici, inductiles. Quod de Plumbo, nitidum et luteo cinereum erat, deflagrabat colore viridi, aeſtuabat valde, et liqueſcebat celeriter in globum metallicum coloris plumbi, qui perductilis erat. — Quod de Mercurio, innatabat nitideque cinereum erat. Liqueſcebat perfacile, cum vix quinque unciae aeris conſumtae eſſent, in globulos nonnullos metallicos perexiguos, qui hujus ipſius exiguae magnitudinis cauſa inquiſitionem ulteriorem negabant. Hoc mihi videtur maximum eſſe argumentum, acidum noſtrum, ſi ſuperiora adſint, certe Mercurio ut metallum adhaereſcere.

§. 35.

Experimenta nonnulla cum calce (§. 31. 32. 33.) inſtituta, mihi mox perſuaſerunt, nihil aliud, quam *acidum Mo-*

Molybdaenae eſſe, et hanc minieram tantum varietatem prioris, minime vero Speciem diſtinctam eſſe, quae tantum ob majorem copiam acidi noſtri a praecedente differret. Unde etiam fortaſſe maior gravitas ſpecifica.

Ex uncia una hujus minerae acceperam itaque:
Secundum §. 25. 27. 28. drachmas tres et quinquaginta quinque grana cum dimidio Plumbi.
31. 32. 33. drachmas tres et grana quindecim acidi Molybdaenae.
28. undecim grana terrae ſiliceae.
ſex grana Croci Martis phlogiſticati.
30. quinque grana Calcareae terrae ab aere deſtitutae.
quatuor cum dimidio grana terrae aluminis calcinatae.

Summa: drachmae ſeptem et grana triginta ſeptem.

Itaque viginti et tria grana deficiebant, quae facile etiam acidum Molybdaenae eſſe poſſunt, quia, ut iam monui, ſalibus mixtum facile ſolvitur, eamque ob rem defundi potuit. Quamquam, cum minera antea non calcinata fuiſſet, fieri potuit, ut etiam partes aquoſae adeſſent. Terra ſilicea et aluminis maximam partem videntur attinere tegulum, calx autem ad terrenas partes, quae remanſerunt, quae vero in minera, manifeſto aerata, eſt; quo in ſtatu etiam in altera minera eſt, cum acidis enim terreſtre valde effervescit. Terreſtri pariter, ex maxima parte, Mars adſcribendus; at manifeſto tamen pura etiam cryſtalla calcem ferri oſtendunt, qua obducta ſunt. Notatu dignum mihi videbatur etiam, quod cryſtalla haec cubica minus plumbi dabant, quam minera praecedens, quae tamen a terreſtri non plane purgata erat.

§. 36.

§. 36.

Horum cryſtallorum lotorum, et pulveriſatorum, drachma dimidia cum acido vitriolico digerebatur. Liquidum mox virideſcebat, et cum humiditas aquea evaporaſſet, Acidum excellentiſſimo gaudebat colore caeruleo, ſicut et minera praecedens. Plumbum forma pulveris albi (Vitriolum plumbi), fundum petierat. Cum uncia una aquae dilutum, colorem mutabat ex caeruleo in virideſcentem, pallidiorem. Hoc liquidum ab alcali phlogiſticato colore pulchro fuſco praecipitabatur. Auri ſolutio parum tantum turbabatur. Plumbum in aceto dabat praecipitatum album. Vitriolum Martis, ſicut et Sal alcali volatile cauſticum, nihil praecipitabat; Alcali volatile aeratum in colorem primo ſubfuſcum, poſt ſaturationem ſubcaeruleum rediit, qui color mox tamen evaneſcebat. Alcali fixum vegetabile copioſum dabat praecipitatum album (Tartarum vitriolatum), liquor ſupernatans caeruleſcebat. Aqua Calcis non mutabatur. Hepar ſulphuris dabat liquidum fuſcum ingratum. Argentum et Mercurius in acido nitri, praecipitatum album.

§. 37.

Tantundem cum acido nitri diluto ſuperfuſum et digeſtum (acida cum illo modice tantum efferveſcebant,) evaporatum ſemel et denuo digeſtum, liquidum offerebat pulchrum citrinum. Remanſerant inde grana undecim. Liquidum dilutum ab alcali phlogiſticato grato colore fuſco tingebatur. Argentum et Mercurius in acido nitri praecipitabantur colore albo. Auri ſolutio non praecipitabatur, ſi vero huic liquido ſolutio §. 38. cum acido ſalis facta miſcebatur, praecipitabatur ſubſtantia micans granulata *(Plumbum cornuum?)*. Vitriolum Martis offerebat liquidum ex caeruleo virideſcens, ex quo ſedimentum album ſeparabatur. Cum vitriolo Veneris paulo magis erat caeruleum, unde etiam ſedimentum fiebat album.

 Sal

Sal alcali volatile cauſticum praecipitabat ſedimentum album virideſcens. Sal alcali volatile aeratum copioſum virideſcens; Alcali fixum aeratum copioſum caeruleſcens. Aqua Calcis album. Hepar Sulphuris album pulvereum, liquore ſupra ſtante modice caeruleo. Poſt haec facta experimenta minora ſupererat mihi adhuc aliquid de illo liquido, cumque ſperarem, me colorem caeruleum, quem cum hepate Sulphuris conficiebat, fixurum, remanentia haec cum ſolutione hepatis Sulphuris miſcebatur, Sulphur praecipitabatur colore virideſcente, liquor ſupra ſtans erat egregius caeruleus, qui filtratus, cum nonnullis guttis alcali volatilis cauſtici, caeruleum dabat ſedimentum, quod vero exſiccatione fuſcum fiebat; ſi ad filtrum aqua fundebatur, illa percolabatur caerulea. Charta, per quam erat percolatum, ſicca caeruleum habebat colorem, paulo tantum clariorem.

§. 38.

Ubi tantumdem cum acido ſalis ſuperfuſum et digeſtum eſſet, acidum colore citrino tingebatur. Remanebat ſedimentum album pondere granorum viginti, ex puris cryſtallis foliaceis micantibus conſiſtens, et plumbum corneum videbatur. Liquidum dilutum cum alcali phlogiſticato ſedimentum dabat egregie fuſcum. Solutio Argenti et Mercurii album. Cum Vitriolo Martis exſiſtebat liquidum caeruleum. Cum Vitriolo veneris viride; de ambobus nihil praecipitabatur. Sal alcali volatile cauſticum praecipitabat ſedimentum caeruleum; Alcali volatile aeratum caeruleſcens; Alcali fixum aeratum, ſatis magna copia pallido caeruleum; cum aqua calcis caeruleſcebat, cum hepate Sulphuris ſedimentum erat egregie atro caeruleum. Reſiduum illius praecipitabam cum alcali volatili cauſtico; obtinebam praecipitatum ſatis caeruleum, quod vero inter ſiccandum ſenſim palleſcebat, ſiccum perparum adhuc caeruleſcebat.

§. 39.

§. 39.

Ab aceto deſtillato, quod cum cryſtallis noſtris digerebatur, non videbatur mutatum; certe liquor cum materialibus, §. praecedente deſcriptis, nullum oſtendebat effectum.

§. 40.

Semiunciam acidi Molybdaenae miſcebam cum portione aequali Gummi Sandaracae, ad quem uſum adhibebam acidum illud, quod experimentis illis duobus prioribus effeceram; defectum ſupplebam de tertio. (Utor libentius ad huius generis metalla difficulter fluentia, tali phlogiſto, quam carbonibus et oleo; quia nec tantum ſpatii occupat, quantum carbones, et plus carbonis reſtitantis dat, quam oleum.) In tegulo deflagrabam phlogiſton crudum; obtinebam maſſam nigram facile friabilem, quam pulveriſatam in tegulum rejiciebam, quod fuligine pinea illitum erat. Obtegebam maſſam ſale culinari, cumque furno, qui bono folle inſtructus erat, tegulum impoſuiſſem, ignem tam vehementem per horam integram ſufflabam, ut tectura teguli argillacea in maſſam ſcoriaceam funderetur, adeoque cum margine teguli ſuperiori coaleſceret, ut, poſt conſciſſionem, in operculo adhaereret. Conſciſſo tegulo inveniebam maſſam nigram nitidam ſtriatam, quae in aqua poſita, ut Sal culinare inde diſſolveretur, pulverem dabat nitidum, qui, microſcopii ope obſervatus, diſtincta metalli oſtendebat veſtigia. Commiſcebam cum drachma una et dimidia Boracis calcinati, et in eodem igne reponebam. Nunc maſſa erat adhuc atra, in ſuperficie vero erant ſtriae filiformes metalli albi aſperi. Si quid illius in carbone cum aere dephlogiſticato liquefaciebam, magno fumo albo aeſtuare coepit, et fundebatur nunc cum unciis duodecim, nunc cum quatuordecim aut ſedecim in globum, colore haematitidis, qui in baſi lineam metalli albi habebat, ſed metal-

P 2 lum

lum ſic aſperum erat, ut ungue pollicis facile ſuffricari poſſet. Partem inferiorem vero, quae non habebat diſtinctos tales globulos metallicos, non potui in metallum magis cohaerens fundere, etſi ſaepius tentavi.

An plura metalla hoc cum acido mineraliſata ſint, futura experimenta docebunt.

Alio loco *) iam plura experimenta ad naturam acidi noſtri pertinentia, quod *e Molybdaena* obtinueram, deſcripſi. Superfluum itaque eſſet, eadem hic repetere.

Brunſviga Erlangam miſſ. d. 8. Mart. 1791.

ME-

*) CRELLS *chemiſche Annalen* 1787. 2. B. pag. 21. et 124.

MEMORIA

VIRI PERILLUSTRIS ET EXPERIENTISSIMI

D. FERDINANDI JACOBI BAIERI

SACRI ROMANI IMPERII NOBILIS

ACADEMIAE IMPERIALIS NATURAE CURIOSORUM

QUONDAM PRAESIDIS

CONSILIARII ARCHIATRI

ET

COMITIS PALATINI CAESAREI

SERENISSIMI MARGGRAVII BRANDENBURGICI

CONSILIARII AULICI.

Inuentum eſt hoc, manu propria ſcriptum, inter reliquas defuncti *Praeſidis* diſperſas chartas, dum hae poſtea ad *Succeſſorem* tranſierant; et ſuper ſcriptum erat: *Eugeniani II. vitae curriculum*, latino idiomate *Actis Academiae N. C. inſerendum.* Quâpropter manibus juſta ſolvere, juſtum et aequum omnino judicavi. — Exhibeo itaque fideliter ea, quae inveni, ſi ſaltem nonnullis verbis receſſero, quae minus intelligi poterant, et lituram expoſcebant. — Adjungere autem oportebat quoque ea, quae ultimos vitae Ejus annos, et Academiae Imp. Nat. Cur. tum ſtatum concernunt.

HENRICUS FRIDERICUS DELIUS.

FERDINANDUS JACOBUS BAIERUS lucem hanc adſpexit *Altorfi Norimbergenſium* d. XIII. Februarii A. MDCCVII. natus parentibus optimis, Patre nimirum *Joanne Jacobo Baiero* tunc temporis Profeſſore Medicinae, Perilluſtris Reipublicae Norimbergenſis et oppidi Altorfini Phyſico, poſtea Sereniſſimi Marchionis Brandenburgo Onoldini Archiatro, et Academiae Imperialis Naturae Curioſorum Praeſide, cujus nomen et memoria hodieque viget inter eruditos, Matre vero virtutibus, ſexui ſuo congruis, ornatiſſima, *Juliana Maria Barbara, Jo. Caſp. Bachmaieri*, Sereniſſimae Ducis Viduae Würtembergenſis Weiltingae, a conſiliis et ſecretis, et *Barbarae Sabinae* natae *Herpſeriae* filia. Quam primum ingenii docilitas aderat, prima pietatis et doctrinae fundamenta iecit ſub praeceptorum domeſticorum fideli inſtructione, hac bene praeparatus, Gymnaſium, quod *Vinariae* floret, Wilhelmino Erneſtinum frequentavit, eo conſilio, ut in ſtudiis, quae ad humanitatem pertinent, uberius proficeret, ibidemque duos annos doctis et aſſiduis magiſtris eius, *Kieſewettero* Rectore, et *Geſnero*, Celeberrimo dein Goettingenſium Profeſſore, non ſine inſignibus cognitionis ſuae incrementis uſus eſt, atque ſeorſim a venerando, *Joanne Davide Baiero*, hoſpite et patruo ſuo, Scholarcha et Superintendente Dornburgenſium et Burgelenſium, felix ſtudiorum impetravit moderamen. Interea temporis vicina Muſarum ſedes *Jena* crebram praebuit opportunitatem ſalutandi Doctores ibidem fama et meritorum dignitate illuſtres, a quibus benevole acroaſibus admittebatur, et aliis actibus ſolennibus coram adeſſe invitabatur. Prius vero quam reliquit Gymnaſium Vinarienſe, congruum videbatur, oratione publica *de eo, quod divinum eſt in arte ſalutari*, valedicere commilitonum choro, et fauſta quaevis apprecari.

Paulo

Paulo poſt patrios repetiit lares, et felici ſidere appulit anno ſeculi noſtri vigeſimo tertio, brevi ante dies feſtos, quibus celebrabantur ſacra ſecularia prima Palaeocomes; in hoc Lyceo civis factus eſt Parente, t. t. Rectore Magnifico, et ſtudia ſua rite auſpicaturus, exercitiis oratoriis, et expoſitionibus antiquitatum hiſtoriae *Schwarzii* ſedulus interfuit, cuius ſub directione vices oratoris ſuſcepit, de *fulminibus literatorum ordini fatalibus*, et thema hiſtoricum defendit, *de Aeſculapio et Hygeia* Diis φιλανθρώποις, Logicam uero tractavit apud *Feuerlinum*, in Phyſica et Matheſi praeceptorem habuit *Müllerum.* Inſtitutiones anatomicas tam praelegendo, quam crebrius demonſtrando in cadaveribus hominum, et brutorum, accepit a *D. Schulze*, nec non integri curſus medici explicationem auſcultavit. Scholae phyſiologicae et pathologicae *D. Iantke* in deliciis fuerunt. Reliquas partes plerasque *a Parente* publice ac privatim didicit, eodemque duce ſaepius percepit, quae obſervanda veniunt circa praxin clinicam, ita ut hoc nomine unam et alteram Principis aulam viſitaret. A. XXVII. tempore autumnali, quo fructus vindemiales in praeſtanti abundantia legebantur, comes itineris fuit *Herbipolim, Francofurtum* et *Moguntiam* directi, ut prudentiam apodemicam obſervaret. Inter notatu digna eminebant ſupra laudem poſita clementia Reverendiſſimi Celſiſſimique Principis Wirceburgenſis *Chriſtophori Franciſci*, quem nobis coram licuit admirari, Francofurti ad Moenum in horto *D. Eberhardi* Aloes Americanae *per ſuum ſemen* felix propagatio, et Moguntiae bibliotheca academica. Poſt reditum denuo litteris incubuit, nihilque reliquit, quo colophonem addere poſſit. Quapropter ſequente anno nomen ſuum inter candidatos Medicinae profeſſus, et ad ſuſtinendas probationes conſuetas admiſſus, nemine refragante, de *morbis benignis* publice diſputavit, quum paulo ante ſub praeſidio paterno ſectionem primam *Animadverſionum phyſico-medicarum in quaedam loca novi foederis*, reſpondendo defendiſſet,

qualis

qualis exercitatio ſpeciminis inauguralis propugnationem faciliorem reddidit.

Sub auſpiciis anni vigeſimi noni almam Vniverſitatem *Herbipolim* ſe contulit, et ſcientiae ſuae amplificatorem invenit D. *Io. Mich. Glaske*, Anatomiae et Chirurgiae Directorem, in ampliſſimo *Noſodochio Julianeo*, cujus ſub manuductione ex utroque fonte vidit quotidianas demonſtrationes et operationes, quin et ipſe manum crebro applicuit. Grata quoque cuſtodit memoria inſignem benevolentiam D. D. *Beringeri* et *Bauermüelleri*, qui praxeos clinicae ſocium cooptarunt deſiderantem. Ineunte vere liberalis copia data fuit perluſtrandi hortum botanicum, divitis Florae gazis ſuperbientem. Alebantur in illo, praeter alia plura exotica, Aloes Africanae et Americanae ſpecies triginta, et quod excurrit. Adeſt *ſtagnum* paludibus cinctum pro ſuſtentatione plantarum aquaticarum, nec non Tepidarium aeſtivum ſat ſpatioſum, hiemali tempore pro fovendis delicatioribus ſtirpibus deſtinatum. Omnia proſpere procedebant. Aſt quam caducae ſunt ſpes mortalium, inopinata mors prohibuit Reverendiſſimum Epiſcopum oculis cernere res praeſentes. Cum *corpus* pie defuncti *balſamationis lege condiretur*, ſtrenuam impendit operam capiti dicatam, quale officium ſuperiori anno *Hilpolſteinii Neuburgenſium* adminiſtravit in funere *Sereniſſimae Ducis Solisbaco Palatinae*, unico ſaltem opitulante Chirurgo. Finitis ſolennitatibus funeralibus Moenum navigare placuit, et in via *Coenobium Cellae inferioris*, ubi *cimelia naturae et artis a P. Zahnio* quondam collecta aſſervantur, curatius conſiderare, voti compos factus ſecundo flumine *Francofurtum* perexit. Advenam humaniter exceperunt Medici Doctores antea iam noti *Eberhard*, *Kiſner*, *Büttner* et *Senckenberg*, et quam diligentiſſime certiorem fecerunt de memorabilibus urbis. In Muſeo *Salzwedeliano* proſtat productum alchimicum auri puriſſimi, ponderis viginti trium carathiarum et trium granorum, quod anno ſeculi

 primo

primo miniſter pharmaceuticus *Io. Barthol. Adam* ope Adepti, lege artis transmutatoriae paravit, itemque cranium foſſile bovinum ſtupendae magnitudinis, una cum aliis rarioribus. Splendida collectio *Kiſneria* radiat cum primis duobus praegrandibus dentibus molaribus elephantinis, quorum cranium, haud procul a Moeno, in regione Francofurtenſi, effoſſum ſecundum longitudinem, ab occipite pedes quatuor cum dimidio, et dens ocularis in peripheria circa radicem duos pedes aequant, ceu videre licuit apud Seplaſiarium *Ettling.*

Quoniam ſub finem menſis Maii thermae vicinae, et acidulae confluxu hoſpitum abundabant, nullam interponendam putavit moram adeundi Wisbadum: Phyſici D. *Fleiſchmann* et D. *Speth* mutuam ſpondebant amicitiam, et ille quidem obſervationes de fonte *Soterio* prope *Hanovium*, et terra ſigillata martialis indolis, communicavit. Eadem fata benigna *Schwalbaci* et *Schlangenbadae* obtigerunt, et *Moguntiae* continuarunt Fautore exoptatiſſimo D. *Vorſtero* Archiatro Electorali Primario. Abhinc ſumma Rheni amoenitate ductus, tranſiit *Bingium*, *Bacearacum*, et Fanum *S. Goari*, usque ad *Confluentiam.* Florebat tunc temporis Archiater Electoralis Trevlrenſis D. *Hiegen*, Profeſſor egregii numophylacii et rerum, ex triplici regno naturae magnis ſumtibus collectarum, et lubens ſpectare conveſſit theſauros roganti. Thermas *Emſenſes* perluſtrans faventem invenit D. *Bertium* Haſſo Darmſtadienſem Archiatrum et Profeſſorem in Vniuerſitate Gieſſenſi, qui coram inſpiciendum offerebat, quicquid ad *hiſtoriam fontium* pertinet.

Coloniae Agrippinae veneratus eſt munificentiam Perilluſtris Domini *de Harzheim*, rei militaris Conſiliarii et Aedilis, a quo iterum iterumque, fructuoſam cognitionem bibliothecae inſtructiſſimae, ct techmo phyſiotamei locupletiſſimi facile obtinuit, quin etiam eodem duce potiora urbis momenta contemplatus eſt.

Aquis-

Aquisgranum largam ſuppeditabat maſſem, rimandi aquas medicatas, et prope *Porcetum* lapidis calaminaris fodinas.

Spadanarum ſcaturigines omnes D. *Coquelet* commonſtravit, et ſingularum virtutes enucleate retulit!

Relictis fontibus pergebat *Leodium*, et attente aſpiciebat officinas *Pithantracum* effoſſioni, et ferro liquando, deſtinatas. Facilis potuit aditus ad viros eruditos, e quibus Liberum Dn. Baronem *de Craſſier* nominaſſe iuvabit. Vicina eaque perantiqua Vniverſitas *Lovanienſis* ſiſtebat elegantiſſima praeparata anatomica ex balſamatione ſicca *Bilſii*, aliquot ſeptuaginta capita, variis vinculis munita, in pinacotheca auditorii medici; ubi porro aſſervantur conchae exoticae, et animalia. Solemnis celebratur actus promotionis, qua occaſione compellavit Profeſſores Medicinae *Favelett*, et *Rega*, qui tomicus, pro conſervatione muſculorum, libero aëri exponendo tum utitur ſpiritu vini, mercurio ſublimato nonnihil ſaturato. Quamvis metropolis Brabantiae *Bruxella* parum conferat ad philiatri commoda; hunc tamen inclutam ſedem praeterire noluit, propter ſplendorem praeſtantiſſimi palatii, et armamentarii. Introductus eſt a D. *Fabro*, Archiatro Sereniſſimae Gubernatricis Caeſareae.

Antwerpiam, nitidiſſimam urbem, admiratus, celebris *typographiae Plantinianae* fuit ſpectator, in qua quatuordecim prela ſudant, nec non pronos invenit P. P. *Sollerium*, et *Culperum* continuatores Actorum Sanctorum, qui oſtenderent apparatus librorum, in ſex conclavibus ſat ſpatioſis, aſſervatos. Per *Bredam*, *Dordraci* intravit aedes, in quibus olim celebrabatur Synodus Dordracenſis; *Roterodami* curiam elegantiſſimam adſcendit, haud immemor domicilii et ſtatuae *Eraſmi*; *Delphii* oculos attendit ad monumenta Principis Arauſionenſis, *Hagae Comitum* ad Curiam Hollandicam et circumiacentes arces tempeas.

Lugdunum Batavorum erat locus longioris habitationis. Etenim opera publica ad Academiam pertinentia, hortum botanicum, theatrum anatomicum, et obſervatorium aſtronomicum diligenter frequentavit, ſectionibus cadaverum in noſodochio, et operationibus chirurgicis, ſemper interfuit. Profeſſores Medicinae alios que Viros illuſtres praelegentes audivit et illorum privata conſuetudine gaviſus eſt, quo nomine praecipue profitetur D. D. *Boerhaave*, *Albinum* et *Royen*, nec non *Vitriarium*, *Burmannum* et Mechanicum *Myſchenbroeck.* Horti privati augebant notitiam botanicam, et regiones vicinae faciebant complementum.

Propitiam quoque fortunam expertus eſt *Amſtelodami*, ſiquidem eadem facilitate pollebant D. *Ruyſchius* et D. *Commelinus* ad commodandum, ille quidem excellentiſſimus commentator anatomiae et chirurgiae, aeque ac hiſtoriae naturalis ſaepius conceſſit aditum, hic autem ſummus botanicus horti medici rariora vegetabilia privatiſſime demonſtravit. Quantum horis ſubceſivis fieri poterat, aedificia publica, et quicquid architectura navalis continet, attentis oculis contemplatus eſt. Pari paſſu ambulavit *Ultraiecti*, et Gratioſae Facultatis Medicae Aſſeſſores D. D. *Serrurier*, *Albinum*, fratrem, et *Muſſchenbroeck* honorifice debuit praedicare, propter prolixi favoris documenta. Admonebat autem tempus, ut *Amſtelodamum* repeterem, et alio dirigerem curſum meum. Volebat autem *iter maritimum* experiri, ut ocyus Hamburgum attingeret, aſt ſpes mirifice fefellit, dum nauta malitioſus ſinum maris Germanici circa littora *Groeningae* et *Frislandiae* traiiciebat, ut peregrinantes victum ab ipſo redimerent. Duravit frivola haec cunctatio per quotidianum maris fluxum et refluxum protracta, et quoniam prope *Stadam* vectigal ſolvendum erat, et longior mora inſtabat, in ſcapham piſcatoris conſcendit, et ſalvus *Hamburgum* appulit. Facta reſpiratione potiſſimum mens eo intendit, Magnifico Domino Conſuli *Anderſon*, et Senatori *Sprekelſen*, teſtari obſervantiam.

tiam. Annuerunt, et patefecerunt roganti aditum ad bibliothecas et hortos. Inter alios Viros eruditos, claroſque, convenit Dnn. *Brockes*, *Fabricium*, et *Hubnerum*. Nec minor fuit humanitas Medicorum *Kirchovii*, patris et filii, *Mülleri* et *Ludovici*. Conſideratis ſic Hamburgi variis memorabilibus, *Lubecam* profectus eſt; quae civitas cum propter aequiſſimam politiae rationem, tum propter honorem, qui litteratis hominibus haberi ſolet, in maxima verſatur laude. Praeclara ibi floret hoſpitalitas cum omni officiorum genere iuncta. Siquidem, iuſſu Magnifici Conſulis *Balemann*, veniam obtinuit inviſendi caſtellum *Travemundam*, propugnaculum portus Reipublicae. Littora vicina ditionis Mecklenburgenſis et Holſaticae perquirenti offerebant echinos, belemnitas et ſuccini ſpecies varias, Domini *a Melle*, pater et filius, commorationem iucundam reddiderunt, et novis ſubinde phaenomenis phyſicis eum recrearunt, quae petebantur e proprio promptuario.

Porro pedem promovit verſus *Luneburgum*, et obſervavit ſalinas ſane totius Germaniae praeſtantiſſimas, ſive candor, ſive acrimonia, ſive copia denique ſpectetur. Exſplendeſcebat tum aulae magnificentia Potentiſſimi Magnae Britanniae Regis Georgii II. et homagium, ipſi praeſtitum, occaſionem praebuit, videndi illuminationes et luſtrationem exercitus *Brunſvigae* et *Salzdalii* pretioſiſſimam ſupellectilem Palatii et Praetorii Ducalis, *Guelpherbyti* Bibliothecam Auguſtam repetitis vicibus perluſtravit, cui praepoſitus erat Vir humaniſſimus *Georg. Burckhard Lauterbach*; hiſtoriae naturalis ſubſidia ipſi liberaliter communicarunt D. *Io. Henr. Burckard*, et *Franc. Ern. Bruckmann*, et propinqua ſignificarunt loca encrinorum et entrochorum, petraefactorum, fertilia. In libera civitate imperii *Goſslarienſi*, rei metallicae praefectus *Sliiter* cumulate ſatisfecit non ſolum demonſtrando ſumtuoſe collecta mineralia, verum etiam inſtruendo officiales ad arbitrium indagatoris. Facta ſic deſcenſione ultra octo-

ginta orgyarum altitudinem in monte *Rammelio*, iucundam praebebant, ſpectaculum vitriola nativa; caerulea, viridia et alba ad inſtar ſtiriarum conformata, flores Cobalti lapidi calaminari adhaerentes, qui lamellatim prognaſcitur. In his cuniculis ſaevit calor magnus propter accenſos trabes, quorum ope minerarum moles a ſaxo ſolido ſeparatur, et magno cum calore diſrumpitur. Ad reficiendos metallifoſſores, qui nudo corpore labores ſubeunt, et in promptu fons limpidus et ſalutaris. Longum nimis foret, eas deſcribere, quae circa *Ockeram* perficiuntur, calcanthi et alumis praeparationes, minerarum torrefactiones, unde ſulphuris ſtalactitii productio, et aurichalci fuſiones, unicum ſaltem adduco, quod in lutifodina Goſslarienſi reperiantur integri nautili et fragmenta teſta naturali ſplendente, obducta. Oppida montana Hercyniae ſuperioris *Zellerfeldam*, *Clausthaliam*, et reliqua, ſtudioſe exploravit, in monte *S. Andreae* manu praehendit mineram argenti nativi, ponderis centum et unius librae, ferri ſcoriae haud abſimilem. *Schulenbergae* iterum deſcendendi periculum fecit, verum per breviora intervalla, et vidit, quomodo minerae per terebram, et pulverem pyrium, diſſolvantur, intravit quoque omnes officinas metallariorum.

Sedem regiam *Hannoveranam* una cum tempe *Herrenhauſen* eo magis viſitare ſtatuit, quo magis ibidem coruſcant admiranda naturae et artis. Et in illa quidem converſatio honorifica cum Reverendiſſimo *Abbatae Boehmero*, et duobus Archiatris Regiis Excellentiſſimis *Hugone*, et *Steigerthal* omnem abſolverunt paginam, interiora autem Bibliothecae lubens reſeravit Conſultiſſimus *Gruber* commonſtrans numeroſiſſimam claſſem librorum phyſici argumenti et machinam combinatoriam *Leibnitii*. Summa eſt *horti Herrenhauſenſis* amoenitas ſeparatis viridariis ornata, medium occupat fons ſaliens ex tormento bellico, ad immenſam altitudinem.

Huc

Huc usque ſalvus et incolumis iter phyſico medicum ſub finem Novembris peregit, cum vero a laſſitudine reſpirare voluiſſet, et *Brunſvigae* apud cognatos degeret, ſubito incidit in febrim tertianam malignam, ex vitio diaetae, quae per integrum menſem duravit, quare Parens ratum habuit, ut Altorfium rediret. Morem geſſit, et per hiemem praxi clinicae operam dedit, et philiatros artis ſalutaris tyrocinia docuit. Anno ſequente trigeſimo in Panegyri Petro - Paulina a Parente *Doctor* renunciatus et paulo poſt in Collegium Medicum Norimbergenſe receptus eſt. Fauſta comparuerunt primordia muneris, laetique progreſſus animum addiderunt ad bene agendum. Thori ſociam elegit virginem Barbaram Roſinam Dn. Sebaſtiani *Munckeri* ad aedem divi Sebaldi Diaconi Senioris, et Barbarae, natae *Moegelinae* filiam, ex qua per ſex annos concorditer vivens tres ſuſcepit liberos praematura vero morte defunctos, marita autem, ut plurimum valetudinaria deceſſit d. XV. Iulii A. XXXVIII. Altera vota ſancivit anno ſequente d. IV. Maii cum virgine Sibylla Barbara D. Io. Chriſtoph. *Stengeri* Reip. Norimberg. Advocati, et Helenae Maria de *Richter* filia. Peperit fida haec coniux tres filios et quatuor filias, e quibus duo duntaxat ſuperſtites ſunt, Sophia Magdalena nuptui collocata Godofredo Valentino *Schoeber*, Illuſtriſſimorum Comitum de Reuſs Plauen Quaeſtori, et Ioannes Sigismundus A. A. L. L. alumnus. Caeterum non parum levamenti attulit hoc matrimonium, quo tamen ſolatio ipſi iterum cavendum fuit, cum haec cara coſta d. XX. Octobris. A. LXV. Febre lenta hectica ſuccumberet.

Reliquos honorum gradus debet optimo Parenti, cuius ſub Praeſidio A. XXXII. adſcriptus eſt Academiae Imperialis Naturae Curioſorum Eugeniani II. cognomine, et a Perilluſtri Succeſſore A. XXXVI. condecoratus eſt Adiuncti dignitate.

Cum

Cum incomparabilis Polyhiſtor *Thomaſius* vivere deſiiſſet, in eiusdem locum Senioris ſucceſſit, et ſpartam Decani A. L. geſſit, haud immemor officii, quin obſtetricum Leges elaboraret. Obſtante autem adverſa valetudine D. *Herelii*, Succeſſoris grave hoc munus iterum devolvebatur ad humeros ſuos, quod etiam beneficio ordinis factum eſt A. LV. LX. LXIV et LXIX.

Poſſent hic etiam ex variis ordinibus enumerari Perſonae Sereniſſimae, Reverendiſſimae et Illuſtriſſimae, quae afflictam valetudinem ſuam curandam ipſi crediderunt, niſi verendum, id vanae iactationis ſpeciem praebiturum.

Quod autem inopinato accidit, per improviſam, eamque beatam analyſin Senioris Primarii D. *Trew*, Ephemeridum Academiae Imperialis Naturae Curioſorum Directoris, valde turbavit circulos ſuos, dum eiusdem Praeſes D. *Büchner*, moribundus, et per teſtamentum quaſi iuſſerit, A. MDCCLXIX. vacuam hanc ſubire provinciam, parendum ſe paravit, et per litteras Dominis Adiunctis ſignificavit electionem novi Praeſidis. Collectis ſuffragiis una voce factus eſt *Praeſes*. Neceſſitas, et decorum, poſtulabat *Erfordiam* petere, et Incluto *Magiſtratui* decentes agere *gratias*, *pro gratioſe conceſſo conclavi*, in Coenobio Auguſtinorum *ad cuſtodiendos theſauros academicos*. Humaniſſime reſpondit Illuſtris Dominus *Schorch*, Supremus Director Senatus, et perpetuam poſſeſſionem ſancte promiſit. Spatioſum eſt atrium, et omnia ordinate diſpoſita conſpiciuntur, ad nutum Spectatiſſimi Bibliothecarii D. *Rumpel*. Diverſimode exhilaratus propenſa voluntate Magnatum et Virorum eruditorum contendit *Vinariam*, *Ienam*, *Halam*, *Lipſiam*, et *Geram*, viſis ibidem rebus notabilibus, eo quo venit, rediit. Per biennium tranquille ſatis degebat Norimbergae, verum ſubito premebatur variis moleſtis vexis, ita ut domicilium mutare, illudque *Onoldum* transferre, cogeretur.

Index Scriptorum.

Oratio de fulminibus litteratorum ordini fatalibus 1724.
Diſſertatio inauguralis de Morbis Benignis 1728.
Monumenta rerum petrificatarum praecipua Oryctographiae Noricae ſupplementi loco iungenda, c. Tabb. XV. 1755.
Epiſtola itineraria ad Illuſtrem Archiatrum Trew exarata anno 1765.
Diſſertatio Epiſtolaris de claris Pharmacopoeis hiſtoriae naturalis amplificatoribus ad Io. Henr. Linckium Pharmacopoeum Lipſienſem Academicum Curioſum 1779.
Cura ipſius in lucem prodierunt Parentis p. m. Introductio in Medicinam forenſem una cum reſponſis eiusdem argumenti anno 1748.
Oryctographia Norica renovata c. Tabb. VIII. 1758.
Epiſtolae Parentis ad Viros Eruditos eorumque reſponſiones hiſtoriam litterariam et phyſicam ſpecialem explanantes c. tab. aenea 1760.

Obſervationes Actis Phyſico - Medicis inſertae.

Volum II.

De vulnere dyſepuleto ſcroti ſcarificatione ſanato p. 411.

Volum. IV.

De fungo verrucoſo per ſectionem feliciter ablato p. 151.
Problema, an venaeſectio prophylactica purgationi praemittenda ſit? p. 531.

Volum. X.

De idolis variarum gentium in Muſeo Venerandi Parentis quondam obviis p. 101.
Medicamenta foetum pellentia vere confortativa p. 293.
Morbi complicati ſpecimen ſingulare p. 354.

Nov. Act. Phyſ. Med. Tom. II.

De verrucis poſt veſicatorium recens applicatum ſubortis. p. 298.

De angina maligna in plures linguae abſceſſus ſalutariter degenerante p. 299.

Tom. IV.

De Cholelithorum et ſabuli ranalis analogia p. 224.

Tom. VI.

Modus arcendi foetorem in cancro mammarum exulcerato, p. 235.

Oris tortura curata. ib.

Ulcus linguae phagaedenicum ſanatum. p. 258.

Urethrae exulceratio ab acrimonia ſeri curata. ib.

Explicit hic curriculum vitae propria BAIERI manu ſcriptum. Neque hic uberiorem ſermonem de iis inſtituere, aut repetere, animus eſt, quae EJUS vitae rationes, *Onoldi* geſtae, et ſtatus *academiae imperialis naturae curioſorum*, cujus primariam curam gerere debebat, pendente hoc tempore, usque ad obitum ſuum, concernunt. Satius enim ducimus, hic ſtatim annectere PHILYRAM eam, quam MDCCLXXXVIII. *Erlangae* d. xv. Dec. edere, ſtatus tum mei, et novi muneris, ac officii, in me collati, ratio, poſcebat: partim ne lateat, quinam fuerit academiae ſtatus, ſub quo, poſt BAIERI mortem, ejus *Praeſidium* ſuſcipere debebam, partim ut haec ſpecies continuationis *hiſtoriae academiae Büchnerianae*, etiam hic conſervetur, cum ea ſaepe ſit ſors ſingularum chartarum, ut facile diſpergantur, et rareſcant.

PHI-

PHILYRA

QVA

ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM

H. T. PRAESES

D. HENRICVS FRIDERICVS DELIVS

SACRI ROMANI IMPERII NOBILIS COMES PALATINVS CAESAREVS CONSILIARIVS INTIMVS AVLICVS BRANDENBVRGICVS MEDICINAE IN ACADEMIA FRIDERICO ALEXANDRINA PROFESSOR PRIMARIVS ACADEMIAE SENIOR ACAD. SCIENTIAR. MONSPELIENS. RHOTOMAG. ER BAVARIC. SODALIS

PERILLVSTRI

ACADEMIAE CAESAR. NATVR. CVR. DIRECTORI

CVNCTISQVE ADIVNCTIS ET COLLEGIS

VIRIS

GENEROSISSIMIS ILLVSTRIBVS EXCELLENTISSIMIS PRAENOBILISSIMIS DOCTISSIMIS CLARISSIMISQVE QVIBVSCVMQVE DEMVM HVMANISSIMIS

LECTORIBVS

S. P. D.

ATQVE

DE NVPERO ET PRAESENTI

DICTAE ACADEMIAE STATV

BREVITER AGIT.

C. PLIN. SECVND.

hiſt. nat. praef. ad VESPASIAN.

— Res ardua vetuſtis nouitatem dare, nouis autoritatem, omnibus naturam, naturae ſuae omnia. — —

Scilicet eſt illud, in orbe noſtro, ita comparatum, vt res quaecunque, ſuis temporibus, ſuas patiantur *viciſſitudines*, atque phyſicas, morales, politicas, aliasque, permutationes, quibus ſua emergant phaenomena, res incipiant, capiant incrementa, perueniant ad ſtatum, et faſtigium quoddam, declinent, patiantur decrementa, et oriantur nouae reuolutiones. Non opus eſt, e longinquo hic accerſere dicti probationes per exempla, aut indagare actorum rationes. Locupletiſſimus teſtis eſt hiſtoria omnis, pragmatica inprimis, ſiue ea res maximas enarret, ſiue ea circa minores quoque verſetur, ſiue et ea tangat, quae laudabilia, glorioſaque, fuere, vel his plane oppoſita: quae vltima tamen, ſi illaudabilia, ita, ex ſua natura, dilapſa viſa ſunt. Conſiderentur vero ſaltem et antiquiora, et propioris aeui *inſtituta*, et ſtudia, quibus homines, variae conditionis, varia mentis cogitatione ducti, eo adlaborarunt, vt, collectis agendorum *ſodalibus*, et viribus compoſitis, *felicitatem* quandam, quaecunque demum ea fuerit, ſiue propria, ſiue aliorum, ſiue ipſa *objecta* diuerſa, finesque diuerſi, fuerint, curare, et promouere, intenderint. Varia autem fuere *fata* inſtitutionum harum, praeſertim, ſi *ſcientias*, et *ſtudiorum*, et *literarum*, *genera*, *et ſpecies*, reſpicimus. Exortae nempe, maioribus, minoribusue, auſpiciis, ſunt, Societates, collegia, academiae, quarum ſcopus fuit, in una, vel altera, *eruditionis* parte, gnauiter eo animos inducere, et ſociato labore fungi, vt ſcientia quaedam majori luce colluſtretur,

ſtretur, et ex ejus vſu *felicitas* quaedam, et, ſi fieri poſſit, maior, enaſcatur. In horum autem ſtudiorum cultura, mira ſaepe obſeruata eſt *viciſſitudo*, varia fuere eorum fata. Paruum, et debile, interdum fuit initium, alacrior progreſſus, in opere feruor, exoptata adiumenta, laborum merita exſiſtimatio; at vero quoque in opere tepor, et ſocordia, temporum ſtatus, opinionum periodus minus fauens, et variarum rerum interdum penuria, aut minus iuſta diſtributio.

Haud circa ea, quae extra nos ſunt, morari iam nos decet. Sed qua ratione nonnulla talia fere de *Academia Sacri Romani Imperii Leopoldino - Carolina Naturae Curioſorum* quoque dici queant, abunde teſtatur Eius *Hiſtoria*, quam operoſe, ſplendideque, conſcripſit, ediditque, Eius olim meritiſſimus, et celeberrimus, Praeſes, ANDREAS ELIAS BÜCHNERVS, *Halae*, MDCCLV. Quae enim, iam breui poſt *medium ſeculum praeteritum*, tenuem admodum, in circulo Germaniae Franconico, priuato auſu, ſumſerat originem, ea, poſtea, opera egregiorum Medicorum *Sueuofurthenſium*, BAVSCHII, et FEHRII, *decennio eodem*, quo ſocietas ſcientiarum regia *Anglicana*, et ſcientiarum academia *Pariſina*, fundatae ſunt, maius ſumſit incrementum, atque breui poſt, a *Glorioſiſſimo Imperatore* LEOPOLDO, in ſingularem tutelam recepta, et ampliſſimis priuilegiis munita, et, inter varia fata, ab EIVS AVGVSTISSIMIS SVCCESSORIBVS, conſeruata eſt. Creuit inde ſodalium, qui non e *Germania* ſolum, ſed et ex vniuerſa *Europa*, immo et *vltra* eam, accedebant, ardor, et induſtria, ita, vt, ab eo tempore, tot volumina ephemeridum, acta, et noua acta, prodierint, in quibus ditiſſimus theſaurus rerum, in phyſica, hiſtoria naturali, et medicina, geſtarum, depoſitus eſt, qui cunctis patet, et a pluribus

iam

iam in vſum vocatus eſt, dum, ſi forte quaedam excipiantur, quae, pro antiquiorum temporum ratione, excuſanda ſunt, tam multa ibi reperiantur, quae, maiores noſtros iam non ignoraſſe, laetamur. Non defuerunt porro Inſtituto Maecenates, fautores, et amici, qui ipſi eas ſuppetias tulerunt, ut res eius in maius, meliusque, proceſſerint. Vnde quoque factum eſt, vt academia noſtra, prout et iam laudatae exterae, foecunda mater, aliarum Germaniae ſocietatum, ad eundem ſcopum collineantium, exſtiterit. Interim tamen plura quoque ſiniſtra fata experta eſt, tulitque, academia, quae recenſere non iuuat, nec renouare dolores. Bene nobis, quod iterum ex iis emerſerit. Inprimis autem, ſi propiora tempora recolimus, ſi et a praeſtantiſſimorum Praeſidum, et Directorum, VOLCKAMERORVM, SCHROECKIORVM, WIDMANNORVM, rel. nonnulliorumque *Adiunctorum*, praeclaris meritis, paululum recedimus, a BÜCHNERI praeſidio, TREWIIque directorio, feliciora fata numerare poſſumus.

Ex obitu autem generoſiſſimorum, laborioſiſſimorum, et adhuc deſideratiſſimorum, Duumvirorum, breui temporis interuallo, ſingulari fato, ſeſe excipiente, grauiſſimum academiae vulnus inflictum eſt, adhuc ſenſibile. Obiit primum perilluſtris ac celeberrimus Director TREWIVS, d. 18. Iul. MDCCLXIX. cui, et erga Academiam N. C. et, patriam, *Altorfinam* puta, et erga vniuerſitatem vicinam *Erlangenſem*, Viro benefico, et dulci meo quoque decori, tum publice parentaram. Triſti hoc, et inopinato, nuntio accepto, vero BÜCHNERVS, (cum quo inſigni, et humaniſſimo, viro, ab anno MDCCXLVI. gratiſſimum mihi fuerat literarum commercium,) ipſe ſenio, et morbo, viribus fractus, lecto adfixus, grauiter perculſus eſt.

Interim

Interim tamen, cum ſe amplius, in regenda academia, imparem, ſenſerit, de *nouo Ephemeridum Directore* ſollicitus, hoc munus, breui ante obitum, qui d. 30. Iul. eiusdem anni, accidebat, tum, in hoc diſcrimine, et, ne plane orba fieret academia, in D. FERDINANDVM IACOBVM BAIERVM, *Collegii medici Norimbergenſis Decanum, et Seniorem primarium*, A. N. C. Adiunctum primarium, transtulit; forte et ex ea ratione, quod pater eius, D. IOANNES IACOBVS BAIERVS, Medicinae Profeſſor Altorfinus, *Praeſidio* A. N. C. poſt SCHROECKIVM, ſuffectus, et de academia optime meritus, fuerat. *Ferdinandus* itaque, de quo, patris veſtigia preſſurum, praeſumebatur, nunc Director, poſt Praeſidis obitum, haud difficulter in ipſius Praeſidis prouinciam, ſuffragiis electorum, aſcendere potuit. Qua adepta, ſtatim *Directoris* munere *perilluſtrem*, atque *excellentiſſimum Virum*, D. CHRISTIANVM ANDREAM COTHENIVM, Potentiſſimi Boruſſorum Regis FRIDERICI II. tum Conſiliarium intimum, et Archiatrum primarium, ac, poſtquam IS diuus factus fuerit, nunc apud potentiſſimum Succeſſorem FRIDERICVM WILHELMVM II. glorioſiſſime regnantem, eadem ſparta fruentem, et multis aliis dignitatibus cumulatum, ornavit: *me* quoque, tum academicum veteranum, et nunc maxime vicinum, laborum comitem ſibi adiunxit: quod officium, quantum, pro viribus, explere adlaborauerim, proque ſalute academiae vere vigilauerim, omnes norunt, qui, intra, et extra, Franconiae circulum, rerum academicarum noſtrarum intimiorem habent notitiam. Neque negandum eſt, ex conſociato labore, academiam cepiſſe ſua incrementa, ſiquidem ex eo tempore, et, ab anno huius ſeculi LXX. vsque LXXXIII. *quatuor volumina* nouorum actorum phyſico - medicorum, Academiae Caeſareae Naturae curioſorum, exhibentia ephe-

ephemerides, ſiue obſeruationes, hiſtorias, et experimenta, a celeberrimis Germaniae, et exterarum regionum, viris, habita, et communicata, ac collecta, prodierunt, neque minus plures collegae, ad academiam acceſſerunt, inter quos non pauci ſunt, de quibus gaudere, imo gloriari, poſſumus. Laude ſua itaque mactandus BAIERVS! — —

Verum enim vero, ſupra quinquennium iam eſt, ex quo res academiae, iterum ſua experta ſunt diſcrimina. Expertus enim BAIERVS ſenium, eiusque conſueta incommoda, ob proprii corporis infirmitatem, et poſt deſtructum, ſenſim, vtrumque viſus organon, et extremitates fere paralyticas, ſaepiuſcule magiſtratum academicum in alios humeros deuoluere voluit, qua de re, et ipſi bona, et academiae ſalutaria, ſubminiſtrata ſunt conſilia: ille autem, his morem gerere, dubitauit, et toties mentem, et ſententiam, mutavit, ſibique ſoli ſapuit, vnde factum eſt, vt, quamuis me ſaepe ſerio monente, at illo in multis reluctante, academia vera ceperit detrimenta. Mirum itaque non fuit, plurimos academiae adiunctos, imo perilluſtrem Directorem, ſtatum academiae ad animum ſibi reuocaſſe. Conſtituerunt itaque demum *me Praeſidem vicarium*, vt in res academiae inquirerem, iisque labentibus, ſuccurrerem. Verno igitur, huius anni, tempore, hortante inprimis perill. Archiatro SCHMIDELIO, vno ex Adiunctis Academiae, Onoldi degente, nunc autem, ob morbum grauiſſimum, negotiorum gerendorum impare, contuli me Onoldum, quorſum, ab anno MDCCLXXII. Norimberga, domicilium ſuum transtulerat BAIERVS, eumque conueni, et ſalutaui. At — heu! qualem hic inueni, quam ſtupui, omnem rerum ſtatum, ſiue phyſico pathologicum, moralem, ſiue academicum, et denique familiarem, et oeconomicum,

micum, (contraxerat enim valde ſenex coniugium tertium, maxime diſſimile!) ſpectemus! qualem certe academia nunquam vidit, ac praeſumere non ita potuit! et a quo Deus eam in poſterum velit praeſeruare. Inuſitato certe dicendi genere, quod minime arridet, opus eſſet, ſi fuſius hunc ſtatum deſcribere vellem, de quo nemo verius loqui poteſt, quam ego, teſtis ocularis; neque ego plane ſolus, ſed et aliquot viri, qui a Cancellariis Onoldinis ſunt, quos, vt teſtes, coram BAIERO actorum, prouiſionaliter, vt dicunt, mecum ſumſeram, aut qui illuc miſſi erant. (Et quid hic ſimulare, vel diſſimulare, aut veritatem plane celare, iuuat? De mortuis quidem, ſi illud fieri poteſt, nil, niſi *bene*, dicendum eſt; ſed tamen et nil, niſi *vere!* cum et haec ſcriptiuncula pro continuatione Hiſtoriae Academiae *Büchnerianae* inſeruire queat, debeatque.) Plura autem, et anecdota, hic praetereo, vt ipſi academiae dignitati parcam: et doleo vehementer, me, loco elogii cuiusdam ſinceri, quo tamen defunctum, p. 137. adfeci, et haec conſcribere debuiſſe, praeſertim, vt ſimul reſpondeatur academiae fautoribus, et amicis, hucusque interrogantibus: qui fiat, vt A. C. N. C. tamdiu obſeruet ſilentium?

Reticere vero et haec nequeo. Scilicet diu erat, ex quo demortuus Praeſes parum, aut nihil, pecuniae ad ſuſtentationem bibliothecae academicae, et muſei, quod vtrumque inſtitutum *Erfordiae*, ex b. BÜCHNERI, admodum laudabili, et generoſa, prouiſione, et cura, habitat, miſerat. Rogatus itaque, vt nonnulli ſumtus neceſſarii, e fiſco academico, a Praeſide erogarentur, tales impetrare, omnem operam impendi, ſed, ſub vario praetextu, non potui, et nudas pollicitationes audiui. Cum porro poſtea, ſaepius promiſſum, academiae praeſidium, omniaque eius cimelia, et ad academiam pertinentia, quamquam ad incitas

citas redactus, extradere, plane noluerit, dum haberet, vti regerebat, amanuenſem, (non autem eruditum, aut dignum, qui rebus academicis ſeſe immiſceret!) qui iuſſa ſua capeſſeret! ego, cui ille tot exhibita officia debebat, cuique tot emolumenta, quanquam mihi oneroſa, vt ſaltem academiae ſalus conſeruaretur, nouiter obtulerim, et cui, conſtituto monitori, aſper, fuerit, cum nihil amplius cum illo agere potuerim, in hoc frangenti, rem omnem academicam, ad *Illuſtriſſimum* REGIMEN ONOLDINVM deferre, IPSIVSque curae, et prouiſioni, Erlangam redux, commendare, debui. Periculo autem academiae, ſenſim magis aucto, neceſſe fuit, vt in *fiſci academici* rationes, (quarum cura inprimis, monente BÜCHNERO, *Hiſt. acad.* p. 369. Praeſidi incumbit,) inquireretur, praeſertim, cum certiores facti fuerimus, ab aliquot annis, bonam partem uſurarum *Legati Genſeliani* fuiſſe traditam BAIERO, neque tamen multum in uſus academiae fuiſſe impenſum! atque ex aliis rebus quoque vectigal factum fuiſſe. Aperta itaque, iudicialiter, Septembri menſe, praeſente *Baiero*, ciſtula, quae fiſcum academicum continere debebat, vt res magnopere poſtulabat, ne obolus quidem in ea repertus eſt! ! vt itaque fiſcus academicus, rerum gerendarum, vt aiunt, neruis, plane caruerit, atque mihi, praeter perpeſſos labores, ſumtus plures neceſſarios commodare, opus fuerit. Sed, iam ſatis eſt commemorationum, quae neceſſitas iubere videbatur. — —

Vltimum demum, quod nunc addere debeo, eſt, BAIERVM, die XXIII. menſis Octobris, nuper elapſi, annos natum fere LXXXI. cum iam, varia ratione, ſeſe ipſum ſuperuixerit, apoplexia accedente, ſubito, placideque, vitam, quantum eius adhuc ſupererat, cum morte commutaſſe. — — An hic autem verbum amplius ad-

S 2 dam,

dam, aut potius pedem figam, et filum dictionis inuitae, quae mihi hucusque ſatis grauis, atque oneroſa, fuit, quaeque praeterea nec materiae, nec ſtili, elegantia, gaudet, abrumpam? Ita videtur. Et an porro luctus turpes, et querimoniae, in hoc paſſu, inſtituendae, ſi, quae hucusque relata ſunt, perpenduntur, iudicabunt facile Lectores, et abeſſe debere inanes funeri naenias, putabunt, et mittent ſuperuacuos honores. Vt autem defuncti manes quieſcant, et terra leuis ſit ipſi, valde precamur.

Mei autem, ſimulac de BAIERI obitu certior redditus eſſem, officii rationes poſcebant, vt omnem rem ad perill. *Directorem*, nec non ad Cel. *Adiunctos* academiae, deferrem, et rogarem, vt naufragii periculo, quod *Argo* noſtrae, (vt maiorum noſtrorum emblemate, quo in laboribus ſuis, cum *expeditione Colchica* comparatis, laetabantur, vtar,) accidit, ſuccurrerent, et pro ea portum inuenirent. Nimis vero ego Eos beneuolos erga me expertus ſum, dum unanimis ſuis ſuffragiis, PRAESIDEM *me* conſtituerint, quem Ipſe, annis, et meritis, venerabilis DIRECTOR quoque commendabat. Non equidem vnquam mihi defuit inſignis ardor, quo pro ſalute inclytae academiae noſtrae, cum qua per tam longum annorum ſpatium iunctus fui, flagraui, nec defui laboribus, quos pro Ea exegi. At quo pacto, hilari mente, ſuſcipere officium hoc, vt vt, per eas dignitates, quibus, ab AVGVSTISSIMO IMPERATORE gratioſiſſime conceſſis, gaudent PRAESES academiae, et DIRECTOR, admodum honorificum, poſſim, ea, quae ſupra enarrare coactus ſum, facile docent: nec Herculei mei humeri ſunt, qui tot labores, in praeſenti rerum turba, me perferre poſſe, confidere queam. Non ſolum enim, ex pluribus

ribus hucusque actis, delaſſati, feſſique, ii ſunt; ſed, dum perpenditur, me iam agere *aetatis annum* LXIX. (ante quem terminum iam multi magni viri, meque digniores, doctioresque, heu! obierunt,) et effluere *quadrageſimum* iam *annum*, ex quo in *vniuerſitate* nunc *Friderico-Alexandrina* docui, et, quod praefiſcine dixerim, ſudaui, et alſi, atque omnia munera ſubii, quae a Profeſſore unquam deſiderari poterant, quibusque alia, et ſatis grauia, ſaepiuſcule acceſſerant; et cum morbis, haud leuibus, me, plus vice ſimplici, dimicaſſe; haud mirandum erit, priſtina alacritate, ſerenitate, et ad labores promtitudine, vt olim, me non poſſe gaudere, ideoque non vitio mihi verti poſſe, ſi, ob non amplius increſcentes, corporis, animique, vires, iam per aliquot annos, ſerio, de ſubleuandis oneribus academicis, cogitauerim, et, ſi orbem literarium ſpectes, illius HORATIANI:

Solue ſeneſcentem mature ſatis equum, ne
Currat ad extremos — —

circa alios labores, et calami quietem, memor fuerim. Et tamen me nunc video in noua vitae periodo verſari, atque nouos mihi labores imponi, quorum ſcopus eſt, vt reſtituantur res academiae, et denuo in melius, maiusque, euehantur. At, vtrum a me ea exſpectari adhuc poſſint, primus ego maxime dubito. Quamuis autem munus, mihi oblatum, deprecari, ſatius ducere potuiſſem, tamen, ne ingratus in *perill.* Neſtorem, DIRECTOREM, COTHENIVM, cui, octogenario maiori, academiae ſalus curae, cordique, eſt, illuſtresque ADIVNCTOS, *Electores*, qui ſpem ſuam, et fiduciam, in me poſuerant, neque, vt Germanus, in vniuerſam academiam Germanorum, ve-

 terem,

terem, et ſincerum, amorem depoſuiſſe, videar, ſic animum inducere meum ratus ſum, vt, annuente inprimis, et placitum ſuum, literis auguſtalibus, gratioſiſſime nuper mihi declarante, *Sereniſſimo meo Principe et Domino*, ALEXANDRO, *Marggrauio Brandenburgico, Boruſſiae, Sileſiaeque, Duce*, rel. rel. ſaltem PRAESIDIVM ſuſcipiam, et faciam porro, quae potero. Suſcipiam ſaltem munus, inquam, ſiue nunc illud per breuius, vel longius, temporis ſpatium gerere queam. Curabo interea, quoad poſſibile eſt, ut cuncta, quae ad academiam pertinent, (in quibus, obiter ſaltem luſtratis, proh dolor! iam maximas inueni lacunas, et hiatus, difficillime reparandos,) in ordinem, quo decet, redigantur, et in tuto ſint, vt ſucceſſori meo tantae moleſtiae non ſuccreſcant, quas ego expertus ſum. Neque deficiet, proximis *Adiunctis*, *notitia* cunctorum *localis*. Immo, quodſi minus parem negotiis me ſentiam, res ad ill. *Adiunctos* deferam, easque iis commendabo. Adſpiret interim coeptis diuinum auxilium, et largiatur vires, et ſuſtentet, et, in vniuerſum, academiae benedicat! Vos vero, *Antiſtites* honoratiſſimi, et collegae, vna rebus conſulite, et lapſis ſuccurrite; excitate vos inuicem, atque amicos, nouosque, et dignos, laborum ſodales, ſecundum leges, et conſuetudines, in BÜCHNERI hiſtoria p. 457. vsque 462. vberius deſcriptas, mihi ſignificate, qui, praeter eos, in quos iam reſpexi, collegio noſtro adſocientur. Inprimis curate, ut, memores VIRGILIANI illius:

Vidi lecta diu et multo ſpectata labore,
Degenerare tamen: ni vis humana quotannis
Maxima quaeque manu legeret — —

colli-

colligantur nouiter, obſeruationes, experimenta, et meditationes, quae a generoſis viris, et aſſiduis naturae ſcrutatoribus, proficiſcantur; curate autem quoque, vt penſa talia, phyſico-medica, ſoluantur, et ad Acta tranſmittantur, quae non vulgaria ſint, neque tamen quoque ea, quae ſpecioſa ſaltem ſint, ſed quae *veros naturae curioſos* decet, et ratione ſua, et uſu, non deſtituuntur; quamuis et huc referenda ſint, quae quidem leuidenſia, aut iam dicta, videntur, at noua dictis pondera addere, vel praeiudicia inueterata deſtruere, et meliora ſtatuminare, valent. — —

Quod reliquum eſt, ſeruet Deus AVGVSTISSIMVM IMPERATOREM, IOSEPHVM *ſecundum*, *Academiae Caeſareae Naturae Curioſorum Conſeruatorem benigniſſimum*, ſartum, tectumque, et efficiat, vt, fugatis hoſtibus, et pacatis nouiter turbis, rebus humanis diu interſit, et amet, ſe dici patrem, atque principem, *vere ſecundum.*

Seruet Deus Academiae PROTECTOREM, *Sereniſſimum Principem* CAROLVM THEODORVM, *Electorem Bauaro-Palatinum*, vt *illa Eius*, et rerum noſtrarum, amplius quoque experiatur patrocinium, et incrementum.

Seruet Deus cunctos academiae *Maecenates*, et *Fautores*, quos iam experta eſt, et quos ipſa animi generoſa indoles, excitabit.

Seruet denique VOS, PERILL. DOMINE DIRECTOR, VOS, Domini ADIVNCTI, et de ſalute academiae ſtudio-

ſtudioſiſſimi, et meritiſſimi, VOSQUE, COLLEGAE, ſuis quisque titulis mactandi! Saluete, resque veſtras, et academicas, agite feliciſſime! Saluete, ac valete! Fauete mihi, meque amate!

Dabam ERLANGAE, *in vniuerſitate Friderico-Alexandrina.* d. XV. Decembris. MDCCLXXXVIII.

ME-

MEMORIA

VIRI

DUM VIVERET

PERILLUSTRIS ET EXPERIENTISSIMI

D. CHRISTIANI ANDREAE COTHENII

SACRI ROMANI IMPERII NOBILIS

ACADEMIAE IMPERIALIS NATURAE CURIOSORUM EPHEMERIDUM DIRECTORIS CONSILIARII ARCHIATRI ET COMITIS PALATINI CAESAREI POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS CONSILIARII INTIMI ARCHIATRI PRIMARII REGIORVM EXERCITUUM PROTOMEDICI COLLEGII MEDICI SUPREMI NEC NON COLLEGII MEDICO CHIRURGICI DIRECTORIS ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM BEROLINENSIS MEMBRI HONORARII ACADEMIAE RRGIAE MEDICAE PARISIENSIS SODALIS COLLEGII SANITATIS BEROLINENSIS ET INSTITUTI PAUPERUM CURAM GERENTIS ASSESSORIS.

Literis mandaverat olim b. COTHENIUS vitae ſuae rationes, quas, eodem adhuc vivente, Cel. D. D. PYL, Poliater Berolinenſis, latine vertit, et ampliori ſermone donavit. Hae chartae, poſt obitum b. COTHENII, cum aliis, ad academiam pertinentibus, Berolino ad me pervenerunt, quae igitur, ex voluntate b. Defuncti, et, uti moris eſt, in Actis noſtris academicis rite ſervanda, et cum praeclarorum. Tanti Viri in academiam meritorum commemoratione, combinanda erant.

HENRICUS FRIDERICUS DELIUS.

CHRISTIANUS ANDREAS COTHENIUS, natus d. XIV. Febr. MDCCVIII. *Anclami* Pommeranorum, patre *Eberhardo Wolfgang Cothenio*, qui chirurgicis ſtudiis in Hollandia optime imbutus, in Exercitu Suecorum, Legionis tunc temporis Trautvetterianae, Chirurgus primarius fuit, ſed continuis militiae laboribus et moleſtiis defatigatus et tranquilliorem vitam domeſticam militari praeferens, dimiſſionem honeſte petiit, qua cum laude accepta, Anclamium habitatum conceſſit, et paulo poſt Eliſabetham *Kehveliam*, e honeſtiſſima ciuium familia oriundam virginem, omnibus ſui ſexus virtutibus et ornamentis condecoratam, coniugem ſibi iunxit. Ex hoc matrimonio proles numeroſa obtigit, quam nominetenus hic enumerare velle, a re noſtra alienum foret, id nobis notaſſe ſufficiat, noſtrum fuiſſe natu minimum. Quod ſi altius in maiores *Cothenii* Noſtri inquiramus et remotiorum temporum monumenta perſcrutemur, apparet, ortum illos duxiſſe ex antiquiſſimo et generoſo ſtemmate Belgico, *a Cothen* nominato. E triſti ſcilicet temporum ſuperiorum hiſtoria abunde notum eſt, in Belgio olim eos, qui Lutheri ſectae addicti erant, Proteſtantium nomine inſignitos, ſumma vi oppreſſos, ſaeviſſimaque perſecutione vexatos fuiſſe, vt vel religionem deſerere, vel, cum omnium bonorum iactura, patrios relinquere lares et in exteras migrare regiones, cogerentur.

Vltimum praeferre non dubitarunt ataui et vere Chriſtiani, *Cothenii* Noſtri maiores, ſponte quippe de bonis et poſſeſſionibus ſuis in Belgio decedentes, omnesque praerogatiuas et honores, quibus ſi ad Catholicam religionem tranſire vellent, frui potuiſſent, nihili facientes, ſummam in eo poſuerunt dignitatem, vt miſſo omni ſplendore gentis ſuae, nomen bonorum ciuium et de Republica bene meritorum

hominum tuerentur. Litterarum praecipue ſtudiis ſeſe dediderunt, eminuitque inter hos proauus *Axel Cothenius*, qui regnante Carolo XI. in exercitu Suecorum ſupremi iudicis (*General-Auditeur* vocant) munere functus eſt, et ob integritatem, eruditionem, et inſignia in rem militarem merita, tantum apud Regem gratia valuit, vt ei praefecturae *Stikhauſen* in Ducatu Bremenſi adminiſtrationem conferret. Hic ergo primus nomen gentilitium *Cothen*, adiecta terminatione latina, in *Cothenii* nomen mutauit, quo abhinc poſteri eius ſemper uſi ſunt, nihilque de priſtino ſplendore familiae ſuae retinuerunt, quam inſignia ſeu ſigillum, in quo duo pedes urſini, in ſuperiori et unus in inferiori rubro (vt loqui ſolent heraldici) campo, utroque per trabem argenteam diuiſo, uti quoque duo pedes urſini, ſupra galeam apertam poſiti, conſpiciuntur.

Sed redeamus ad ea, quae Noſtrum propius attinent. Cum in prima adhuc aetate conſtitutus eſſet, variis iam calamitatibus, optima eius patria, et praeprimis bona urbs, *Anclamum* ſcilicet, obruebantur, fierique non potuit, quin harum calamitatum magna pars et in eum redundaret. Prima peſtis erat MDCCX. Anclami valde ſaeuiens. Hic parens noſtri officium tam Medici quam Chirurgi peſtilentiarii, vt vocant, ſolus in ſe ſuſcepit et quidem eo lubentius, quum nullus caeterorum tam periculoſo muneri ſe ſubmittere vellet. Sed ſeruauit illum ſuosque Omnipotens, eiusque de patria ſic optime merentis indefeſſis laboribus benedixit.

Vix ſuperatam hanc calamitatem noua, eaque fere maior, excepit. Oborto enim bello, Ruſſi totam Pommeraniam occuparunt, et quae, ſub clementi et fortunato ſceptro Suecico, collegerunt bona ſubditi, ea nunc hoſtibus in praedam ceſſerunt. Sic et Anclamum ſpoliatum et ſingulari prouidentia Dei ſola factum eſt, vt optima urbs ab imminente incendio liberata maneret, quippe quo eam biduo

poſt,

poſt, quae iam proh dolor! Wolgaſtae ſors fuerat, delere, inque cineres convertere, hoſtes decreuerant. Vrbem vix a Ruſſis relictam iam legiones Saxonum occuparunt, qui omnibus demum iis potiti ſunt, quae miſeri ciues vel in latebras abſcondita, vel altius in terram defoſſa rapacitati Ruſſorum ſubtrahere nouerant. Inter tot tantasque calamitates publicas, rei familiaris et praecipue liberorum educandorum cura, fere oppreſſa iacuit. Nihilominus tamen *Cothenius* Noſter inhaeſit propoſito ſemel capto, et plane ſe totum ſcientiis dare optabat. Hac ratione quoque omni, qua par eſt diligentia, praeceptorum in ſchola publica patria docentium fideli uſus eſt inſtitutione. Inter hos primum ſemper poſuit, nec unquam niſi grato animo nominauit Doctiſſimum tunc temporis Rectorem, Mag. *Pyl*, quem quoque, dum a Sedinenſibus vocatus, Rector ſcholae iſtius, illuc abiret MDCCXX. non ſolum ad hunc locum lubenter ſequutus, ſed etiam, cum ille Rector Gymnaſii Straleſundenſis electus, Sundium petere in animo haberet, ſummo allaborauit ſtudio Noſter, quo et ultra amatum Praeceptorem ſequi et ſub Celeb. huius Viri directione porro ſtudia ſua proſequi liceret. Voti ſui compos factus, dataque venia cum praeceptore Sundium ſe contulit. Cum ergo per integrum triennium mira aſſiduitate et ſingulari feruore hic in litteras incubuiſſet, inque iis inſignes maxime feciſſet profectus, dignus a magiſtris iudicatus eſt, qui ſic bene praeparatus, ad altiora ſtudia academica accedere et ad interiora artis Apollineae ſacra penetrare poſſet. Halam petiit MDCCXXVIII., ibique ſcientiae Medicae ſtatim ſe dedit, idque tanta cum induſtria et ſucceſſu, vt ab omnibus aeſtimaretur.

Primum *Stahlii* principiis, a Profeſſoribus, qui magni huius Viri veſtigia premere gloriae ducebant, in Collegiis theoreticis imbutus, hiſce inhaerere videbatur, ſed cum ſimul Pralectiones illorum Doctorum frequentaret, qui tum

temporis a Stahlianis, ſeu Organicis, nomine Mechanicorum diſtinguebantur, et ſimul Philoſophiae purioris et Matheſeos, quarum ſcientiarum elementa iamiam praeguſtauerat, maiorem cognitionem ſibi comparaſſet, nec minus in Anatomia, et Phyſica experimentali, laudabiles feciſſet progreſſus, non ſibi ſufficere Cel. *Stahlii* metaphyſicas, et medicas, explicationes deprehendens, et magis Mechanicorum argumentis examinandis inſiſtendum ratus, huic ſe ſcholae quaſi addixit. Itaque Celeb. tunc temporis Profeſſorem *Gerike* (breui poſt Helmſtadium vocatum) theoretica medicinae principia, praeeunte *Boerhaauio*, docentem, audiuit, et quae Vir cl. proferret, ſolida trutinauit meditatione.

Hiſce vero abſolutis toto animo ſe adſtrinxit Celeb. *Hoffmanno*, Medicorum ſui aeui facile Principi. Tantus ardor tantaque induſtria, quales Noſter in addiſcendis omnibus, quae ad Medicinam faciunt, ſcientiis adhibuit, iuncta cum ſingularibus ingenii dotibus, quibus ei, quae audierat ſtatim in uſum conuertere facillimum erat, et morum candor et integritas non potuerunt diu latere magnum Virum, qui potius iuuenem praeclarum ita adamauit, vt non ſolum variis beneficiorum generibus illum cumularet, ſed tanto etiam eum complecteretur fauore, vt eum ſecum habitare, omniumque laborum tum chemicorum, tum practicorum ſocium eſſe vellet.

Scriptorum, in toto orbe litterario Medico celebratiſſimorum, vt typis mandarentur, curam *Hoffmannus Cothenio* commiſit, ſimulque ſaepius Candidatos Medicinae, quo eius in elaboratione Diſſertationum ſuarum auxilium ſibi expeterent admonuit, et priuatiſſimis quoque eius praelectionibus inſtituerentur.

Neque in hoc ſubſtitit ſingularis, et quam ſemper grata recordatione veneratus eſt Magnus Magni Viri diſcipulus, non ſatis depraedicandi Venerandi ſenis, animi propenſio, ſed non ſolum multos, qui illum ſanitatis et conſeruandae et reſti-

reſtituendae gratia conſuluerunt, curae illius commiſit, illumque ſaepius ad lectos aegrotorum duxit, et quis ſit decens ad infirmos ingreſſus, quae medico clinico exploranda ſint, quibusnam ſignis morbus diiudicandus ſit, quasnam porro indicationes ſibi formare, et quibusnam remediis tutiſſime ad profligandum morbum vti debeat, paterno candore docuit.

In tanta Magni *Hoffmanni* celebritate fieri non potuit, quin et e remotiſſimis oris ſapientiſſima eius expeterentur Reſponſa, et clinica, et forenſia; quorum, antequam expedirentur, quam exactiſſime perluſtrandorum, cum perpetua eſſet *Cothenio* Noſtro opportunitas, non mediocre et inde eius eruditioni acceſſit incrementum.

Et illo mediante occaſio ſuppeditata eſt MDCCXXXI. adeundi *Carolinas*, quippe quo loco omnium optime cognitionem thermarum non ſolum, ſed et chronicorum morborum ſibi comparare poteſt iunior Medicus.

Breui poſt et quum ſummus Ille Vir optime perſpiceret, *Cothenium* omnibus iis dotibus abunde inſtructum eſſe, quae doctum, ingenuum, et omnibus numeris abſolutum faciunt practicum, eumque hac via certiſſime humano generi olim valde profuturum fore, prudenter praeuideret, auctor illi fuit ipſe atque ſuaſor, vt ſtudia academica, quae ceteroquin valde adamauerat et iteratis vicibus laudata ſpecimina dexteritatis ſuae in defendendis et oppugnandis theſibus dederat, minus colere, et totum ſe praxi dare nunc ſerio vellet. Nil ſupererat, quam ut diu merita praemia diligentiae ſuae et eruditionis, dignitatem puto doctoralem, cumque hac iunctos honores et priuilegia adipiſceretur, quod vt decenter fieret, notabilem, quem in praxi ſua obſeruauerat, elegit Caſum Medico-Practicum, eumque in diſſertatione *de Purpura Scorbutica, praegreſſo fluxu haemorrhoidum nimio*, docte elaborauit, quam menſe Auguſt. MDCCXXXII. publice e Cathedra, et cum communi applauſu, contra Opponentium, inter quos

Celeb.

Celeb. Profeſſores eminuerunt, argumentationes defendit. Hoc tempore cum *Hoffmannus* a variis locis inſtanter rogaretur, vt genuinum, inque ſchola ſua edoctum, diſcipulum iis commendaret, cui ſalutem ſuam ciues confidere poſſent, Noſtro, duas propoſuit urbes, alteram *Stargardiam* Pommeranorum, alteram vero *Treptoviam* ad Regam fluuium conditam, quarum alteram utram ſeligeret. Selegit priorem et hoc quidem maxime eam ob cauſam, quod multi in hac ditione habitarent honoratiores, qui antea praeceptorem ſuum vel coram, vel per litteras conſuluerant, quibusue *Cothenius* quoque ſic innotuerat, vt de eruditione eius et dexteritate maxime iis perſuaſum eſſet.

Contulit ſe hoc conſilio *Berolinum*, ibique curſu ſic dicto anatomico in Theatro publico cum laude abſoluto, nec minus a ſummo Collegio Medico ipſi exhibito caſu practico, cum unanimi Profeſſorum aſſenſu erudite elaborato, iter Stargardium nunc meditabatur.

Quum vero beatus *Eller*, Regi glorioſiſſimae memoriae a Conſiliis intimis, eiusque Archiater, et beatus Conſiliarius aulicus *Buddaeus*, quos breui hoc tempore fautores ſibi conciliauerat, illi ſuaſores eſſent, vt munus Phyſici urbis *Aſcherslebiae* in Provincia Halberſtadienſi, quod tum temporis vacabat, ambiret, conſiliis optimorum Virorum obtemperare conſultum duxit. Propoſuerunt illum Auguſtiſſimo beatae memoriae *Friderico Wilhelmo* primo Regi, qui hanc ſpartam, absque ulla mora clementiſſime Cothenio noſtro contulit. Quum vero hic muneris novi ſuſcipiendi cauſa, Aſcherslebiam profectus eſſet, magiſtratus, ne iuri ſuo eligendi quidquam derogaretur, alium iam elegerat, electumque citiſſime vocauerat. Proceres quidem Noſtrum eiusque iura ab Ipſo Rege ipſi collata data tueri volebant. Cum vero vocatus Dr. *Seelmann*, depoſito, quo antea functus erat Phyſici in Groſſen-Salza, munere, iam cum tota familia ſua Aſcherslebiae eſſet, ſponte huic ceſſit iura ſua, diuinae

pro-

prouidentiae confidens, et ſe certiſſime, et in alio loco fortunam fautricem experturum ſperans.

Interim cum in hac urbe iam pluribus infirmis feliciter opem tuliſſet, hancque et plures alii aegri exoptarent, adeo lucida eius praxis facta eſt, vt commode hic rei ſuae familiari ſe proſpecturum non dubitaret.

Sed aliter ſentiebant fautores eius, et vt *Brandenburgum* vrbem adiret, ibique iam in prouectiori aetate conſtituto Phyſico provinciali et vrbis adiungeretur in officio, illi perſuadere conati ſunt. At cum, pro ingenua animi indole, vereretur, ne bonus ſenex hanc adiutoris adiunctionem aegre ferret, a propoſito ambiendae adiunctionis abſtinere, ſortemque ſuam, licet tunc temporis valde mediocrem, feliciorem futuram expectare maluit.

Elapſis IV. menſibus, quo tempore hic commoratus, per varias, quae ipſi ex voto feliciter ceſſerant, morborum curationes, famam et nominis ſibi comparauerat gloriam, vocabant illum *Rugiani*, vt in Inſula ſua, ad Pommeraniam Suecicam ſita, conſentiente, qui adhuc ſuperſtes, ſed ſenio fractus eſſet, Medico provinciali, iſtius munus in ſe ſuſciperet.

Ea tum erat rei familiaris ſuae conditio, vt haec vocatio ei valde opportuna, hinc utique ſuſcipienda videretur, iamque in procinctu erat, vt eo ſe conferret. Sed duobus ante inſtituendum iter diebus, a Praeceptore ipſi proponebatur, an non *Havelbergiam* in Prignizia, adire, et munus defuncti Doctoris *Guttorf*, genuini *Hoffmanni* diſcipuli, valdeque laudati Practici, ſuſcipere vellet. Sed animus ei non erat, ibi ſortem ſuam experiundi, quippe quem potius totum Pommerania magis intenſum habebat. Cum tamen in itinere Havelbergiam tranſire deberet, paucos dies in hac vrbe commorari commodum iudicauit.

Prorſus vero inſcio illo, factum eſt, vt iam tum a Berolinenſibus et Halenſibus fautoribus, nonnullis Dominis *Canonicis*, et generoſioribus, prope *Havelbergiam* habitantibus familiis, litteris commendatus eſſet. Deſideratus ergo ſic et exſpectatus, adveniens, iam ſecundo ab aduentu die, a quibusdam Canonicis et vrbis incolis conſulebatur, et quarto die generoſa ſtirpe natus quidam, illum in praedium ſuum vocauit, vt morbo eius medelam pararet.

Numerus eorum, qui eius opem expoſcebant, in dies augebatur, et intra IV. hebdomadum ſpatium adeo frequentem et lucroſam praxin exercebat, quali multis iunioribus Medicis vix per totum annum frui contingit. Erant quidem nonnulli, qui ei iuniorem aetatem obiectarent; verum feliciſſimus, qui curas eius ſequebatur ſucceſſus, facile intempeſtiuam hanc obiectationem deleuit.

Cum ergo ſic penitus conſilium Rugiam concedendi reliquiſſet, nata ei eſt opportunitas, alium ſibi adſtringendi amicum, quippe quem ſui loco Rugienſibus commendatum, hi lubenter exceperunt, quique poſtea ſua ſorte valde contentus vixit. In ſequenti anno matrimonio ſibi iunxit Annam Dorotheam *Puchtert*, viduam beati Doct. *Guttorf*, ſicque genuinus, ſeu inquilinus, ciuis Havelbergenſis eſt factus.

Licet quidem Praxis numeroſa, quam in vrbe non minus, quam in collegio Canonicorum, et in regione adiacente exercebat, operoſa ſatis et valde moleſta fieret Noſtro, precibus tamen amicorum deeſſe haud potuit, vt potius oblatum ſibi munus Conſulis, in Senatu vrbis, MDCCXXXVI. in ſe ſuſciperet. Pluribus adhaec fautoribus, inter quos etiam magnates eminuere, et ad quos fama de eius in medendo dexteritate, meritorumque gloria, peruenerat, mediantibus, effectum eſt, vt et dignitate Regii Conſiliarii aulici ornaretur.

Anno

Anno MDCCXL. defuncto beato Doct. *Spieſs*, vacabat Phyſicatus prouincialis *Prignizienſis*, quod munus glorioſiſſimae memoriae Rex *Cothenio* Noſtro conferre decreuit.

Tanta autem erat ſolertia eius et indefeſſum ſtudium in ferendo aegris auxilio, qui ſe ſuae curae tradebant, vt non ſolum Prignitiae tam apud nobiles in vicinia habitantes, quam eminentiores inter milites, et in vrbe, magnam ſibi compararet famam, ſed etiam laus eius ad remotiores percrebuit prouincias, *Magdeburgum* puto, *veterem Marchiam*, et *Megalopolin*, ita vt generoſa quaedam familia, prope Aſcherslebiam habitans, illum vocaret, ſimulque explicaret, aegre ſe iacturam ferre, quam prouincia, eius diſceſſu, feciſſet.

Cum ſic manifeſte boni Viri conatibus diuina benediceret clementia, iucunda quidem ſatisque quaeſtuoſa eius praxis erat, fieri tamen non potuit, quin etiam valde laborioſa, ipſique valde moleſta, eſſe inciperet. Adiunxit ſibi itaque Candidatos Medicinae, partim vt tirones, ſe praeeunte, in vera medendi arte proficerent, partim vt hi illum in tantis laboribus, quibus ferendis vix tempus et vires ſufficiebant, ſubleuarent.

Contigit enim non raro, vt ab vno aegroto rure domum reuerſum, iam aliud vehiculum exſpectaret, quo ad alium aegrum veheretur, ſaepiusque paucae tantum horulae ſupererant, quibus periculoſiori morbo conflictantes, in vrbe ipſe adire poterat, reliquos inuiſendos Candidatis committere coactus. Quae ſupererant horae, quas alii recreationi animi, viriumque refectioni dicare ſolent, eas ſic impendit, vt aegrotis, qui ab eo litteris miſſis conſilia flagitabant, litteris quoque ſcriptis reſponderet, quas Candidati amanuenſes calamo excepere. Neque ab hoc labore per id tempus abſtinuit, quod tamen conſtante lege prandio vel coenae deſtinatum eſt. Ut eo magis temporis penuriae conſuleret,

 quan-

quantum fieri poſſet, itinera facienda in noctes diſtulit, et ne commercium cum litteris et ſcientiis laboribus practicis turbaretur, ſub itinere ipſo, legendo tempus conſumebat. Aſt non potuit, quin haec vitae ſuae ratio protracta, malos in corpus ſuum effectus ederet, et aliorum magis ſanitati, quam propriae proſpiciens, hanc et oculorum aciem iam a prima iuuentute ſatis debilem, valde labefaceret, eoque magis, cum ſtudiorum feruore abreptus, curru vectus ad lucentem lunam libros lectitaret. Vehementi ſic et periculoſa oculi inflammatione una cum hemicrania fere lethali affectus eſt, quo tempore tamen commercium litterarium, epiſtolas amanuenſibus calamo excipiendas committens, continuauit et de aegrotis vicinis per Candidatum ad ſe referri iuſſit.

Innotuit ſic dexteritatis plurimorumque meritorum gloria in dies magis per omnes prouincias adiacentes, hincque factum, vt MDCCXLIII. ad Sereniſſimam Ducem viduam *Megalopolis Strelitziae*, quae erat Princeps non ſolum propter eminentiores animi dotes, quam ob ſingularem benignitatem et probitatem ſupra omnes laudes poſita, *Miroviam*, vbi reſideret, vocaretur ibique conſilium, de Morbo nervoſo valde complicato vitaeque optimae Principis periculum minitante, ab eo peteretur. Iteratis vicibus illuc proficiſci neceſſe erat, dum et pluribus aliis aegrotis, qui Prignitiae, Magdeburgi, ſe ſuae curae commiſerant et quos deſerere nefas iudicauit, adeſſe vellet.

Arduus ſane hic nouus labor, qui bonum Virum dies, ſaepe noctesque, diſtinuit, non exiguas ei creauit moleſtias. Non tamen his ſe ab illo deterreri paſſus eſt, dum felicem ſucceſſum, quo Deus conſiliis ſuis benedixit, aeque ac clementiſſimam fiduciam, quam non ſolum Magna Principiſſa, ſed etiam Sereniſſimus Dux filius, cum Sereniſſima coniuge,

in

in ſe collocarunt, pro exoptatiſſimo ſollicitudinum praemio habebat.

Agnouit breui praeſtantiam *Cothenii* Noſtri Sereniſſima Domus, et quanti eum haberet publice teſtata eſt. Dum enim increſceret numerus Sereniſſimae prolis, in dies magis natum eſt deſiderium Viri eximii, qui Medici aulici primarii munus in ſe ſuſciperet, et ſpecialem et perpetuam curam Sereniſſimae familiae gereret, haecque ſparta honorifica *Cothenio* optimo oblata eſt.

Quodſi tantummodo reditus, et commoda rei familiaris, reſpiceret, cumque reditibus, quos ei priſtina praxis tulerat, compararet, facile perſpiciebat, ſe ſuſcepta hac ſparta minus quaeſtuoſa, non exiguam facere iacturam. Verum pacatior vita, qua tunc ſe frui poſſe, et otium, quo magis litteris ſeſe dare poſſet, praevidit, ſimul cum gratioſa fiducia et ſingulari clementia totius aulae, Principis et plurimorum vicinorum nobilium, illum commouerunt, vt hanc ſponte, ſeque nihil quidquam conferente ſibi oblatam prouinciam accipere vellet, ea tamen ſub conditione, vt id, non niſi Auguſtiſſimo Rege ſuo conſentiente, fieret. Ipſa Princeps, quam Rex ob virtutes ſuas vere Principe dignas, magni faciebat, litteris dimiſſionem Cothenii petiit. Teſtatus quidem eſt Auguſtiſſimus Rex laetitiam ſuam, de recuperata ſanitate, ſed quod *Cothenium* attineret, virum dimittere non poſſe, qui tam militibus, quam toti circulo Prignitienſi tam utilis eſſet, reſcripſit, vti ex clementiſſimis litteris ipſa Regia manu conſcriptis, quasue, cum in non mediocrem laudem *Cothenii* cedant, ipſis verbis hic inſerere non dubitamus, pluribus videri poteſt.

Durchlauchtige Fürſtinn,

Freundlich liebe Muhme!

Es iſt mir überaus angenehm geweſen, aus Ew. Liebden Schreiben vom 26ſten Februar ſo überzeugende Merkmale von Dero gewogenen Andenken zu erſehen. Ich wünſche nichts mehr, als Ew. Liebden hinwiederum bey allen Vorfällen meine Conſideration und aufrichtige Sentiments an den Tag legen zu können, wie mich aber inſonderheit die Nachricht von Dero anhaltenden Krankheit affligiret, als bitte ich Gott, daſs er Ew. Liebden mit ſeiner Gnade und Seegen kräftigſt beyſtehen und Sie baldigſt wieder zur erfreulichſten Geſundheit verhelfen wolle. So lange ſich auch Ew. Liebden der Hülfe und des Raths des Doctor Cothenius in Dero Umſtänden bedienen wollen, werde ihm allemal darinn Freiheit und Permiſſion zu denen dazu erforderlichen Reiſen laſſen, aber Ew. Liebden werden von Selbſt leicht ermeſſen, daſs ich einen Mann, der dorten in ſeinem Creiſs und bey der Garniſon ſo nöthig iſt, nicht wohl aus ſeiner jezigen Station erlaſſen könne. Ich bin übrigens allezeit mit aufrichtiger Conſideration

Ew. Liebden freundwilliger Vetter

Potsdam d. 3ten Mart. 1743.

Friedrich.

An die verwittwete Herzogin Chriſtiane Aemilie Antoinette von Meklenburg-Streeliz, Liebden.

Verum

Verum tantum abeſt, vt tum aliquod moleſtiarum leuamen experiretur, vt potius in dies priſtini labores, nouis cumularentur. Bene tamen de ciuibus merendi feruore, incitati et diuino auxilio ſuffulti, vires nunquam labores continui exhauſere, cumque hoc tempore non tantum Candidati, ſed etiam noui Doctores Medicinae ad illum venirent, vt ab illo in Praxi edocerentur, his aſſiſtentibus, absque incommodo, fere omnium, qui eius auxilium expoſcebant, deſiderio ſatisfacere potuit.

Quamuis practici labores, et conſultationes, per litteras miſſae, vix momentum fere relinquebant temporis, quo per ſcripta ſibi famam acquirere poſſet, tamen eum orbi erudito non incognitum fuiſſe ex eo quidem eluceſcit, quod *Academia Caeſarea Leopoldino-Carolina Naturae Curioſorum* Ipſum MDCCXLIV. id non exſpectantem, ſocium elegerit, id merito ab eo exſpectans, fore, vt Ephemerides ſuas communicatione ſuorum eruditorum ſcriptorum locupletaturus ſit. Nec irrita fuit haec exſpectatio. Miſit enim Vir Cl. nonnullas obſeruationes certe non indignas, quae hanc laudabilem collectionem intrarent. Sic tranſiere dies Noſtri, de quibus recte dici poteſt, nullam fuiſſe ſine linea. Sua ſorte contentus, nihil quidquam de eius mutatione cogitauerat.

Eo magis igitur inexſpectatae eſſe debuerunt litterae Decembris menſe MDCCXLVII. ab *Auguſtiſſimo Rege* ad illum datae, quibus *Berolinum* venire, quia ſummus Rex cum illo colloquium inire vellet, iuſſus eſt. Eo profectus, cur vocaretur, plane ignarus, poſt aduentum equidem audiuit, *Potsdamii* Conſiliarium aulicum *Arends*, qui non ſolum magni Orphanotrophei Medicus fuit, ſed etiam Phyſici Potsdamienſis et circuli Zauchenſis, atque Teltowienſis munere functus erat, diem obiiſſe ſupremum, huncque interdum a Regia Maieſtate in conſilium vocatum fuiſſe, nunc vero

vero plures Medicos Berolinenſes, et inter hos inſigniores, quoque haec munera ambire, nec eorum obtinendorum ſpe deſtitui.

Elapſis iamiam XIV. diebus nondum inſtructus, quare huc vocatus eſſet, et ob diuturniorem moram, qua relicti ab illo aegri, ope ſua carere debebant, valde inquietus, id iam mente agitabat, vt Regem precibus ſuis humillimis adiret, qui veniam ſibi daret clementiſſime, rurſus domum reuertendi, addita ingenua confeſſione, ſe plane ſua ſorte *Havelbergiae* contentum nunquam mutationem eius optare, cum ex improuiſo *Regiae Maieſtati* placeret, illum ad ſe vocare.

Colloquium, quod *Rex* cum illo iniuit, totum circa res ad medicinam pertinentes verſabatur, et niſi ſibi conſcius fuiſſet, ſe coram Ipſo Auguſtiſſimo Rege ſtare, facile ex ſermonibus, quos cum illo conferebat ſummus Rex, credidiſſet, eſſe ex ipſo gremio Medicorum, quocum verba facere ſibi liceret.

Clementiſſime dimiſſus, omnium tamen quae futura erant, adhuc plane ignarus, ad Conſiliarium intimum *Eichel*, beatae memoriae, ſe contulit, ea quidem mente, vt in poſtremo colloquio abeundi veniam a Clementiſſimo Rege obtineret. Declarauit ſimul candide, ſe nil amplius in votis habere, poſtquam ſibi cum Rege Clementiſſimo Sermones conferre contigerit. At quantum inexſpectatae rei nouitate perculſus eſt, cum magnae fidei vir ei aperiret, illum a Regia Maieſtate, electum et nominatum eſſe, cui aulae Regiae Medici, non ſolum, et Orphanotrophei, ſed etiam ciuitatis Potsdamienſis et circuli Zauchenſis atque Teltowienſis Phyſici munus collatum eſſet. Verum tantum aberat, vt de collatis his honoribus gauderet, vt potius a memorato Conſiliario intimo conſilium peteret, qua ratione hanc gratiam optime declinare poſſet. Hic vero id fieri poſſe negauit,

ſimul

ſimul eum commonefaciens, quemlibet ſubditum Regi ſuo ſumma obedientia obſtrictum, neque fas eſſe, fidei ſemel in ſe poſitae non reſpondere, hocque de eo magis adhuc valere, cum noua haec munera ei occaſionem ſuppeditarent commoda plurium ciuium promouendi, ſuſcipere ergo oblata, eaque ſatis ardua, munera non amplius detrectare potuit, eoque magis, cum ſatis perſuaſum ſibi haberet, non ſine latente diuino nutu honorificam hanc ſibi veniſſe vocationem. Paruit itaque voluntati Regiae, non tamen ſine animi adflictione, quod aegre ferret a ſuis *Havelbergenſibus* ſeparari, quorum in eum fiducia tanta erat, vt magis amicum, quam Medicum illum haberent. Elapſo menſis ſpatio, menſe ſcilicet Ianuario MDCCXLVIII. Potsdamium ſe contulit et paucis ab aduentu diebus, ad Auguſtiſſimum Regem accerſitus, ab Illo, propriae ſanitatis cauſa, conſultus eſt, qua, tunc temporis, minus proſpera Rex vtebatur, hinc quoque ratio proponenda, cur Ipſe Rex Medicum ſibi eligere voluerit, in quo fiduciam collocaret. Sane et praeſcriptiones, quas Regi Noſter dabat, adeo illi ſatisfecerunt, vt ei ſoli valetudinis ſuae curam committeret.

Aegerrime tulit hanc mutationem Sereniſſima Domus Meklenburgica. Excepit quidem illa clementiſſime Cl. Doctorem *Veer Porten*, quem Cothenius commendauerat, huncque Virum Doctiſſimum, ſtatim Ducalis aulae conſiliarium et Medicum primarium conſtituit, verum ne omnis nexus inter illam et Noſtrum deſineret, voluerunt Sereniſſimi, vt perpetuo colloquium epiſtolare de rebus ſanitatem Sereniſſimae familiae ſpectantibus inter Cl. *Cothenium* et Cl. *Veer Porten* ſubſiſteret. In ſignum clementiae miſerunt ipſi Diploma Archiatri primarii. Singularem gratiam gratiſſima mente agnoſcens, indefeſſo ſtudio allaborauit, quo Sereniſſimae domui re ipſa ſuam teſtaretur pietatem. Conſeruauit ſibi hoc modo perpetuum fauorem huius Sereniſſimae familiae, cuius et Illuſtriſſima proles illum ſemper gratia ſua dignata eſt.

Ineunte vere MDCCXLVIII. ſummus Rex, auctore et ſuaſore Noſtro, aquis medicatis Egranis vſus, eo quidem ſalutari cum effectu, vt hinc, iure meritoque, ratio prolongatae vitae Auguſtiſſimi petenda ſit. Sequente anno MDCCXLIX. Regius Magni Regis frater, *Princeps Pruſſiae*, lethali morbo, febrem hemitritaeam vocant, corripiebatur; optauit quidem Noſter ſanitatis reſtituendae curam, ordinariis Regiis Medicis committi; ſed placuit ſuae Maieſtati, ſolius Cothenii curae demandare cariſſimum fratrem, cumque, morbo ipſo licet ſuperato, tamen valde debilis adhuc Ptinceps (metus quoque erat febris lentae) Berolinum, vt votis Glorioſiſſimae memoriae *matris Regiae* ſatisfaceret, ſe conferret, Noſter illum comitari, curamque eius in itinere, et poſt aduentum, gerere a Rege iuſſus eſt, praeſentibusque Medicis Regiis in conclaui optimi Principis, Cothenium allocutus eſt *Summus Rex*, his verbis: „*Se Principem illi nunc tradere, et de omnibus ab illo vnice rationem exacturum eſſe.*„ Annuit votis omnium ſummum Numen, et Princeps feliciter cum ſanitate rediit in gratiam. Aeſtate huius anni ad Sereniſſimum *Principem Deſſauienſem*, *Leopoldum*, miſſus, et hunc a periculoſiſſimo morbo liberauit, quod quam gratum eſſet Regiae Maieſtati, munere quingentorum thalerorum *Cothenio* Noſtro teſtata eſt.

Non minus etiam iuſſu Regis Berolinum ſe contulit, ibique Illuſtriſſimo Comiti de *Podewils*, Regis in Conſiliis ſtatus ſanctioribus Adminiſtro Primario, morbo neruoſo, chronico laboranti, ſalutaribus conſiliis adſtitit. Cum Sereniſſima *Marggrauii Baruthini* coniux MDCCL. dum Regium fratrem inuiſeret, Berolini periculoſiſſima, et mortem minitante, febre neruoſa afficeretur, *Cothenio* cura Sereniſſimae Principis committebatur, qui etiam bis de die Regi de ſtatu dilectiſſimae Sororis retulit. Et hic Deus conaminibus ſuis adſtitit, et optima Princeps e periculoſo hoc morbo plenarie emerſit. Tantam inde gratiam Regis iniit Noſter, vt non

ſolum

ſolum Diploma Medici primarii Regii, ſimul etiam *Directoris ſecundi Collegii Medico-chirurgici*, et omnium rerum medico-chirurgicarum in Regno Pruſſico, ipſi traderet, ſed etiam eum in *Summum Collegium Medicum*, qua *ſecundum Directorem*, atque *Decanum*, introduci, clementiſſime vellet, cum ſpeciali mandato, vt vtraque Collegia potiſſimum eius conſiliis morem gerere deberent.

Eodem quoque anno peculiari Diplomate *Medicus Primarius totius exercitus Pruſſici* conſtitutus eſt. Non exiguum celebritati *Cothenii* Noſtri acceſſit momentum, dum eum *Academia Scientiarum Berolinenſis* membrum extraneum, vti et *Caeſarea Naturae Curioſorum Adiunctum*, eligeret. Neque minus ea felicitate vſus eſt, vt Principem *Ferdinandum*, Magni Friderici fratrem, variolis confluentibus laborantem, reſtitueret.

Anno inſequenti *Baruthum* miſſus, ad Sereniſſimam Marggrauiam regnantem, adeo gratiam Celſiſſimae Principis ſibi conciliauit, vt perpetuum commercium litterarium cum Medicis ſuis iniri, ſanitatem ſuam concernens, ab ipſo vellet, immo et ſaepius propria manu ſcriptas Noſtro miſit litteras, et iterato a Regia Maieſtate, vt ſibi *Cothenius* in nouo morbo adſiſteret, petiit, quo lubenter conceſſo, denuo MDCCLV. *Cothenius* Baruthum profectus eſt. Eodem anno *Serveſtam* abeundi ibique Principi viduae opem ferendi ei venia data eſt. Verum eodem hoc anno ipſius Regis optimi vita in maximo periculo conſtituta erat, Podagra namque retrogreſſa erat, et ex omnibus ſymptomatibus facile erat concludere, materiam ad inteſtina pulſam in his inflammationem formaſſe. Sed annuente ſummo Numine non ſolum febri inflammatoriae obex poſitus, ſed et materia podagrica felici cum ſucceſſu iterum ad pedes delata eſt, tuncque prima vice acerbiſſimos quidem dolores podagricos expertus eſt Monarcha, valde tamen ſalutares, cum ſic proſpera valetudo rediret. Auctum fuit hoc tempore honorarium noſtri

Archiatri inſigni additamento. Aeſtate huius anni ad Sereniſſimum Principem regnantem *Anhaltino-Coethenum* miſſus eſt, vt ei et Aſcitide, et hydrope pectoris, laboranti auxilium ferret. Quem etſi a morte quidem liberare haud potuit, tamen id effecit, vt per annum, longe paucioribus et minoribus moleſtiis obrutus, viveret beatus Princeps.

Vere anni MDCCLVI. iterum *Baruthum* vocato, dictaeque Sereniſſimae Marggrauiae notabile leuamen ſymptomatum, grauiter in ſyſtemate neruoſo ſaeuientium, afferenti, poſt reditum ex itinere, vacans, per obitum beati *Horchii*, ſalarium Ipſi Medici Regii collatum eſt. Ad hoc vsque tempus Noſter non ſolum *Medici ordinarii* tam *Auguſtiſſimi Regis*, quam *Regiorum fratrum*, ſed etiam plurium Principum in Provincia, neque minus Phyſici, circuli et vrbis, vti et *Orphanotrophei*, in quo ad tria millia infantum educabantur, officiis valde moleſtis, omni ſtudio et integritate perfunctus, omnemque ſic campum, qui Practico de humano genere bene merituro patet, emenſus eſt. Verum nunc eam ſortis *Cothenii* mutationem fieri voluit diuina prouidentia, qua, Magnus Vir, omnes animi ſui dotes, et quantum doctrina et ingenio polleret, vniuerſo orbi luculenter exhiberet. Bello enim conflato, cum Magnus Rex MDCCLVI. cum tribus numeroſis exercitibus terras hoſtium inuadere cogeretur, *Cothenium* Noſtrum qua Medicum ordinarium, illum ſequi oportebat. Clementiſſimus Rex vero commodis, et ſanitati, militum ſuorum magis, ac ſuimet Ipſius, proſpiciens, *Cothenium* praeprimis curam valetudinis *exercituum* gerere voluit. Inconſuetus erat Noſtro, et ſumme moleſtus labor, cui accedit, quod in itinere, cum exercitu victrici *Loboſchiiz*, in Bohemia, angina eaque periculoſiſſima, fereque lethali, corriperetur. Sed tantus erat eius bene merendi feruor, vt, vix reſtitutus a morbo, ſtatim quotidie Noſocomia intraret, in quibus vix vllum praeteriit, et cuilibet aegroto, morbo prius examinato, quae neceſſaria iudicauit,

ipſe

ipſe ordinaret. Quae cum ſic ageret, ipſe nullos labores nullum periculum, detrectaret, omnibus Medicis in exercitu, pariter atque Chirurgis, exemplo fuit, ipſosque ſic optime docuit, qua ratione cum aegrotis mercandum, quaeque tutiſſima ipſis eſſet medendi methodus. Neque ulli licitum erat, aut negligere, aut leuioris momenti habere, quae ipſi incumbebant officia. Quo melius quoque de omnibus quae in quibusuis Noſocomiis gererentur, quotidie optime inſtrueretur Noſter, conuentiones publicas, omni die habendas, inſtituit, in quibus omnes Medici vna cum Chirurgo generali, et Chirurgis primariis, pariter atque primarius Pharmacopola caſtrenſis, adeſſe, et quilibet relationes de aegrotantibus ſiue vulneratis, ipſius curae demandatis, ferre rationesque reddere, debebat, cur et quare hic vel ille non ſeruandus fuerit, morboque ſuccumbere debuerit. Nec vlli eorum, qui ſub eius auctoritate opem ferebant aegris, conſilium ſuum denegauit, quin potius iis tam generales, quam ſpeciales, regulas dederit, ſecundum quas iis in medendo procedendum eſſet. Neque in hoc tantum eius labor ſubſtitit, ſed cum omne directionis negotium ipſi commiſſum eſſet, ſimul ipſi iniunctum erat, vt et iis, qui rerum, ad oeconomiam aegrorum ſpectantium curam gerebant, inuigilaret. Satisfecit et huic officio, cum ſumma induſtria, et animi intentione, Noſter Medicus Generalis, eiusque ſtudio factum eſt, vt rariſſime, modo praeſens rerum conditio id permitteret, infirmis, ſtragula, linteamina, quaeque in vulnerum deligatione requiruntur, faſciae, carptum linteum, etc. neque minus alimenta conuenientia, famuli et mundities deficerent, et quo minus medicamentis ſufficientibus carerent noſocomia, quae in antecedentibus bellis multis expenſis advecta, ſaepe non optimae qualitatis neque in ſufficiente quantitate, vel non tum, ubi neceſſe fuit, praeſto erant, id curauit, vt in quouis noſocomio maiori (cuiusuis exercitus) laboratorium exſtrueretur chemicum, in quo a

Pharmacopolis praeparata pharmaceutica e ſimplicibus, crudis, elaborari, et vſitatiſſimas pariter ac exquiſitiſſimas, compoſitiones ſemper promtas haberi oportuit. Quum poſt praeclarum, et noſtris glorioſiſſimum, praelium, prope *Pragam*, magna copia tam uulneratorum, quam internis morbis adfflictorum, exiſteret, ob aſſiduos, horum cauſa ſuſceptos, et modum fere excedentes, labores, denuo periculoſiſſima angina correptus eſt. Vix ab hoc morbo reſtitutus iam noſocomia, et aegros, rurſus viſitare incepit, eiusque cura quoque factum eſt, vt quaedam millia aegrorum *Leutmeriziam* et ulterius *Dresdam* tranſportarentur, qui, paullo diutius ibi commorati, certiſſime in hoſtium manus incidiſſent. Tanti hoc vero aeſtimauit *Magnus Rex*, aeque ac caetera Cothenii merita, vt, inopinato, ipſi Diplomate *Conſiliarii intimi*, miſſis clementiſſimis ſimul ad illum datis litteris, beneuolentiam ſuam, pro ſolicitudine, in conſeruanda ipſius Sacratiſſimae perſonae, et Regiae Familiae, ſanitate.

Hoc anno quoque a Sereniſſimo *Landgrauio Haſſodarmſtadienſi*, Sereniſſimo *Principe Deſſauiae* regnante, nec non a plurimis primi ordinis belli ducibus in conſilii partes vocatus eſt. His acceſſere multi, in Saxonia eminentiorem locum occupantes, qui partim ipſi, partim per Medicos, a *Cothenio* conſilia ſibi expetierunt.

Anno MDCCLVIII. poſt glorioſiſſimam ad oppidum *Leuthen* reportatam victoriam, hancque ſubſequentem *Vratislauiae* recuperationem, a Rege, e *Saxonia*, Vratislauiam ſe conferre iuſſus eſt. Numerus enim aegrotorum et ſauciorum, tam noſtrorum, quam ab hoſtibus captorum, inter quos febris petechialis graſſabatur, ita modum excedebat, vt vix loca amplius ſupereſſent, in quae ſuſcipi poſſent, et non ſolum Pharmacopolium caſtrenſe, ſed etiam omnes, tam Vratislauiae, quam adiacentium ciuitatum, officinae, ita iam exhauſtae erant, vt vbique ſumma inopia tam externorum, quam internorum medicamentorum regnaret. Apparuit

paruit tum temporis, quam prouidae fuerint et ſalutares diſpoſitiones, quas Noſter antea in *Pharmacopolio caſtrenſi*, quod nunc Dresdae erat, fieri iuſſerat. Adeo enim abundans erat medicamentis huius pharmacopolii promtuarium, vt eorum magnam quantitatem Vratislauiam transmittere poſſet.

Sontica ſatis haec cauſſa fuit, quae eius praeſentiam adeo neceſſariam redderet, at non vnica. Acceſſit alia ſane non minus ardua, febris ſcilicet acuta, qua Regis frater, Princeps *Ferdinandus*, in hac vrbe decumbebat, quaeue eum in mortis periculum praecipitauerat. Ingens numerus aegrotorum febre petechiali laborantium, qua etiam multi Medicorum, et Chirurgorum caſtrenſium, corripiebantur, et inde metuendum periculum infectionis, timidos multos reddidit, et in cura aegrorum habenda, ſegnes et difficiliores. Verum optimi Praeſidis exemplum, qui ipſe omnia conclauia, in quibus aegri, in maximo mortis periculo conſtituti, decumbebant, permeabat, ſeque omnibus iniuriis et periculis exponebat, inertes pudore perfudit, timidorum animos erexit, omnesque ad priſtinam officiorum obſeruantiam reduxit.

At onus laborum ſic Vir Illuſtris humeris ſuis ſuſcepit, cui ferendo hi tandem impares erant, et cum, praeter dictos labores, omne reliquum tempus commercio litterario cum reliquis noſocomiis tam in Saxonia, quam Pommerania, et in Sileſia, praeter hoc principale conſtitutis, eorumque praefectis, impendendum eſſet, fieri non potuit, quin corpus continuis defatigationibus debilitatum et diuturnis peſtiferis exhalationibus expoſitum, tandem vi morbi ſuperatum ſuccumberet, quae tanta erat, vt ſaepe cum morte colluctans, aegerrime e ſummo periculo euaderet, vixque menſe elapſo ſanitas reſtitueretur. In tanta morbi atrocia, in ſummo mortis periculo, nunquam tamen animum abiecit, ſed ſuimet ipſius medicus non ſolum fuit, verum quoque, quod

magis

magis mirati ſunt omnes, ſatis infirma adhuc valetudine tamen, lecto adhuc adfixus, praecipuarum rerum, in omnibus ſupra dictis noſocomiis obuenientium, curam ipſe geſſit.

Cum autumno huius anni Sereniſſima *Marggrauia Baruthina* in hydropem incidiſſet, omnisque fere ſanitatis recuperandae ſpes euanuiſſet, Auguſtiſſima Romanorum Imperatrix, grauiter ſortem eius dolens, Auguſtae ſuae Perſonae Medicum, Liberum Baronem van *Swieten*, ad illam mittere ſponte ſeſe obtulit, ſed, et huius, et Cel. *Werlhofii* officia oblata, recuſauit Sereniſſima, dicens, unice hoc in votis ſe habere, vt *Cothenius* ſe inviſere poſſet, ſed vt hoc fieri poſſet, timuit, cum hic in nimis remotis provinciis eſſet, vixque tum Regius frater iam ea valetudine frueretur, vt illo facile carere poſſet. Vix haec Sereniſſimae voluntas ad aures *Sereniſſimi Marggrauii* peruenit, cum ſtatim de ea Regi referret, qui tunc cum exercitu in *Morauia* caſtra poſuerat. Citiſſime per curſores ad *Cothenium* Noſtrum, tunc temporis *Vratislauiae* commorantem, veniebant litterae, annexo ipſa Regia manu gratioſiſſimo Poſtſcripto, quo iubebatur ſtatim Baruthum ſe conferre.

Obediens Regio mandato ſine mora eo profectus, die quarto ibidem aduenit. Gaudium, quo Sereniſſima Princeps ex eius aduentu adficiebatur, tantum erat, vt omnibus antea iam diſſolutis viſis vitae viribus, nunc vero recollectis et per data medicamina ſuffultis, quilibet, praeter *Cothenium*, crederet, illam rurſus ex orci faucibus ad vitam reductum iri.

At fallax fuit, minusque durabilis, ſpes concepta, et elapſo XXXVI. horarum ſpatio optima Princeps catarrho ſuffocatiuo, qui ab aqua in pectoris cauo collecta oriebatur, e viuis erepta eſt, vita longiori digniſſima. Deſcribi vix poteſt dolor, quem *Summus Rex* ex relatione de obitu Regiae Sororis percepit, quippe quam valdopere amauit, quaeque ob ſingulares et plane eximias, quibus excelluit, virtutes,

tes, ab eo maxime tenerrimeque, diligebatur. Barutho redux, laborum copia aucta, et licet in *Sileſia* eius praeſentia ſumme neceſſaria eſſet, attamen iterum *Swedtiam* Brandenburgorum miſſus eſt, vt Sereniſſimae Marggrauiae, et Regio Principi *Ferdinando*, ſalutiferis conſiliis adeſſet, quod quidem felici cum euentu praeſtitit.

Inſequenti anno grauiſſimo Podagrae inſultu, cuius materia viſcera occupauit, laborantem *Auguſtiſſimum Regem*, ipſum ex voto ſanare feliciter, ei contigit. Sequutus tum Regiam Maieſtatem *Glogauiam*, ibi tamdiu commoratus eſt, donec *ipſe Rex in Saxoniam* proficiſceretur.

Feliciter pugna ad *Torgauiam* pugnata, quippe e qua victores Boruſſi diſceſſerunt, noua iterum optimo viro nata eſt occaſio, qua indefeſſum ſtudium et amorem, in homines omnes et ſingulos, teſtari poſſet. Bonis cum rebus ſuis ſane id experti ſunt omnes, qui numeroſiſſimi, tam ex Boruſſorum gente, quam Auſtriâca, partim *Torgauiae*, partim, ob loci anguſtiam, *Lipſiae*, et in aliis vicinis locis, in noſocomiis detinebantur, vel vulneribus, vel internis morbis, decumbentes.

Luſtranda ſibi ipſi eſſe omnia haec miſerorum domicilia, iudicauit, et vt videret, quale illud eſſet, quod *Stetini* exſtructum erat, in Pomeraniam proficiſci conſtituit. Non multo poſt vero *Magdeburgum* iter facere, ibique a ſuperato licet morbo adhuc debili, Principi *Ferdinando* non ſolum, ſed etiam Sereniſſimae eius coniugi, parturienti, opem ferre iuſſus eſt. Fecit vtrumque, ſimul vero Noſodochiorum eius loci curam geſſit, et vnicuique, tam hoſtibus captiuis, quam noſtris militibus, promtiſſimis et ſalutaribus conſiliis, et auxilio, adſtitit. Quarta vice hic lethali fere correptus eſt morbo, febri ſcilicet inteſtinali acuta, cum tanta et pertina-

 ciſſima

ciſſima alui obſtructione, vt, omnibus in vſum vocatis remediis, irritis viſis, et incaſſum adhibitis, omni fere momento ſummum adeſſet periculum, vt morbus in veram paſſionem iliacam tranſiret. Sed, diuino Numine annuente, factum eſt, vt optimus in multorum ſalutem ſeruaretur, et hac vice, remediisque, a ſe ipſo ſibi praeſcriptis, a crudeli morbo ſanatus, non diu poſt *iterum Saxoniam* peteret, ad Regium Principem *Henricum* vocatus, qui Torgauiae morbo periculoſo detinebatur. Sequutus Magnum Principem MDCCLXII. *Wittebergam*, tamdiu apud illum commoratus eſt, donec Regius heros iterum ad exercitum ſe conferret, cuius imperium rurſus ſuſcipiens, paullo poſt glorioſiſſimam reportauit victoriam quae viam ad pacem, proxime ſecutam, aperuit. Abhinc denuo in Sileſiam miſſus, ibi tamdiu manſit, donec Omnipotens Deus, qui Regum et Principum animos regit, cuiusque nutu pariter, ac voluntate, omnia geruntur, pacem nobis largiretur, ab vniuerſa Europa fere, dudum exoptatam. Etſi quidem praeſentia Noſtri *Vratislauiae* adhuc valde neceſſaria fuiſſet, tamen Regio mandato quam citiſſime *Berolinum* abire, Regiaeque Sorori, *Principi Amaliae*, chroni co morbo laboranti, auxilium ferre iubebatur.

Tot iam tantisque et varii generis laboribus atque moleſtiis, quas ei tum *Protomedici militaris*, tum *Archiatri Regii* munera imponebant, ſummo cum ſtudio atque animi candore ſuperatis, atque peractis, iam ad ſolita, quae ei *Potsdamii* incumbebant, officia rediit.

Et hic, quantum opera eius vtilis eſſet, breui apparuit, eique ſtatim, noua commoda Reipublicae praeſtandi, nata eſt opportunitas. Pharmacopolio enim Regio, quod Berolini eſt, a multis iam retro annis, praeſertim durante, per ſeptennium, bello, inſpectione debita orbato, adeo male proſpectum, hocque tantum decrementum paſſum erat, vt neque

pro

pro Regia familia tuto inde remedia peti, neque noſocomiis publicis, et legionibus quibusdam, quibus ex illo pro militibus medicamina traduntur, haec amplius dari fas eſſet. Fieri itaque non potuit, quin tot incommoda, indeque oriundae multae querelae, tandem ad Regis aures peruenerint. Directorium itaque generale iuſſum eſt, commiſſionem adornare, ad haec exploranda, melioremque in ordinem redigenda. Delecti ſunt ad hoc Collegium, cui id negotii committeretur, Aſſeſſores nonnulli Directorii Generalis, quidam Camerae Regiae Conſiliarii pariter ac Collegii Medici ſupremi ſocii, inter quos Illuſtris *Cothenius* primus fuit, huncque in finem Berolinum profectus eſt, hicque per IV. hebdomades commoratus. Sed vt in omnibus Conſiliarium noſtrum intimum atque Archiatrum, eiusque conſilia et monita ſequerentur, ſerio monitum erat Regio mandato. Apparatus medicamentorum, quae praeſto eſſe repererunt, adeo tenuis, ipſumque Pharmacopolium multo aere alieno obrutum erat. Noua prorſus facta eſt diſpoſitio, aulaeque Regiae Pharmacopolae adiunctus, prouiſor primarius, quorum vterque alter pro altero fidem ſuam interponeret. Re vero exacte perluſtrata, palam fiebat ſolam huius decrementi rationem in ſocordia nonnullorum poſitam eſſe, et vnice ſolertia et accuratiori officiorum obſeruatione, omnia fere reſtauranda. Cum itaque inſtructio, quae officinae Regiae ab anno MDCCLII. data erat, abuſus, qui abhinc ſenſim irrepſerant, impedire non potuerat, hoc anno MDCCLXIII. noua data eſt, ad mentem *Cothenii* elaborata.

Poſitae ſunt leges Pharmacopoeo Regio, Prouiſori primario, et caeteris Pharmacopolii Aſſiſtentibus omnibus ac ſingulis, ad quarum normam vicibus ſuis fungi debeant. Et in Noſodochio, quod a *Charitate* nomen accepit, publico, Pharmacopolium exſtructum eſt, ex quo tum, qui in hoc recipiuntur et curantur, cum illi, qui in publico militibus

invalidis deſtinato aedificio adſunt aegri, medicamenta depromere poſſint, huicque peculiaris praepoſitus eſt Proviſor. Inſimul quoque duo Profeſſores ex Collegio Medico-Chirurgico conſtituti, quorum alter Chemiae, inſpectionem ſpecialem omnium praeparatorum pharmaceuticorum haberet, alter vero Botanices Profeſſor, ſimplicium medicamentorum curam gereret, et de eo praecipue ſollicitus eſſet, vt bona tantum, et genuina in officinam reciperentur, ambo vero, Pharmacopoeo Regio praeſente, omnia miſſa medicamina perluſtrare deberent.

Hoc modo denique id effectum eſt, vt omnia ex voto cederent, et officina non ſolum, breui abhinc tempore, ita inſtructa eſſet, vt omnium, quibus ex ea gratis medicinas depromere conceſſum, quorumque numerus haud exiguus eſt, deſiderio atque inopiae ſatisfieri poſſet, verum etiam, poſt quadriennium, ab omni aere alieno plenarie libera eſſet, ita quidem, vt ſummo Regi nihil amplius impenſis addendum fuerit. Cuncta haec eo magis grata erant et accepta Auguſtiſſimo Regi, quo plures antea querimoniae, de mala huius Pharmacopolii adminiſtratione, a viginti abhinc annis, ad Eum delatae erant. Summum ergo Directorium perpetuam commiſſionem condere, iuſſit Rex, quae in id inuigilaret, quo praeſens Pharmacopolii ſtatus conſeruetur, nouaeque mendae, et hallucinationes, praetervertantur. Elegit Illuſtre Collegium prae ceteris dignum *Cothenium,* huicque adiunxit Conſiliarium Camerae Regiae Superioris, (*Ober-Rechencammer,*) vnumque Secretarium. Horum officium id exigit, vt praecipue rei nummariae, eiusque adminiſtrationi, proſpiciant, et praevaricationes, forte a Pharmacopolii miniſtris committendas, praepediant.

Cothenio vero praeprimis debetur, huius in rem publicam praeſtiti officii, laus atque honor. Hic enim ſuis conſiliis

et

et indefeſſo labore id effecit, vt officina Regia vix non a prora et puppi peritura, iam ad illum perfectionis gradum euecta ſit, qua nunc gaudet, omnesque nunc confuſiones eo optime praecauentur, quod exacte rationes referre teneantur Pharmacopolii adminiſtri, quorum tabulae, quouis anno elapſo, Directorio generaliori ad perluſtrationem et reuiſionem traduntur, dum ſimul venia data eſt *Cothenio*, ſi id neceſſarium iudicauerit, immediate ad ſacram Regiam Maieſtatem Ipſam deferre, quicquid ad labes, quae forte irrepere poſſent, vel praevertendas, vel tollendas, aut etiam impedienda omnia, e quibus detrimenti quid vel opprobrii in officinam redundare poſſet, ſibi commodum videretur.

Cum eodem hoc anno MDCCLXIII. Illuſtriſſimi *Directorii Pauperum Aſſeſſor* electus eſſet, praeprimis ipſi commiſſum eſt, vt eorum, quae noſocomia, et in iis receptos aegros concernunt, curam gereret, et Medicis pariter ac Chirurgis, ad illos curandos conſtitutis, inuigilaret, quo muneri ſuo quam exactiſſime ſatisfacerent.

Declinante iamiam ad finem anno MDCCLXIII. Illuſtriſſimus Medicorum Praeſes ad Sereniſſimam *Marggrauiam Onoldinam* viduam euocatus, dataque clementiſſime venia ab Auguſtiſſimo Rege, illuc abeundi et ſi opus eſſet, per menſem et vltra ibi commorandi, eo profectus, ob eximias et felices, quas non ſolum in Sereniſſima familia praeſtitit curationes, ſed etiam propter ſingularem animi integritatem, qua omnibus, et ex infima gente oriundis, aegris lubenter et ſine vllo lucri, aut emolumenti proprii, habito reſpectu, opem tulit, et Sereniſſimorum, et totius aulae ſibi conciliauit gratiam, atque amorem, cuius et plurima eaque inſignia accepit documenta. Dulcis optimo labor et dulce gaudium maximumque praemium erat, ſolamen miſeris tuliſſe malorum. Et ſane, cum paucis abhinc annis iterum *Onoldi* eſſet, nec in

curatione Sereniſſimae ſcopum prorſus attingeret, tamen multis iisque non exiguis fauoris atque honoris teſtimoniis a Sereniſſimis clementer exceptus eſt, praeprimis vero tempus, quo per quasdam hebdomades ruri fuit, valde gratum ſibi fuiſſe, quod fere ex omnibus adiacentibus locis aegri ad illum veniſſent, quos ſimpliciſſima methodo, et remediis facile parabilibus, curaſſet, ſaepius poſtea teſtatus eſt. Anno MDCCLXVI. Sereniſſima Duce *Brunſuicenſi* regnante, grauiſſimo morbo varioloſo correpta, Noſtrum, qui grauiſſimam eius curam ſuſciperet, vocauit Sereniſſimus Dux. Impetrata a Regia Maieſtate venia, ibi per menſem et vltra commoratus eſt, ſuaque cura non ſolum Dilectiſſimam Optimi Regis Sororem a morbo perículoſo penitus reſtituit, ſed etiam ſummam Sereniſſimae Brunſuicenſis Familiae, et totius aulae ſibi conciliauit gratiam atque fauorem.

Sed ea eſt rerum humanarum conditio, vt nemo vnquam mortalium perpetua vitae beatitudine frui poſſit. Sunt bona mixta malis, et omnes res noſtrae viciſſitudinibus obnoxiae ſunt. Triſti id exemplo etiam Noſter hoc eodem anno expertus eſt. Tantus enim Vir, cui hucusque fere omnia ex voto ceſſerant, et qui maxima felicitate tot mille aegrotis vitam ſeruauerat, et ſanitatem, omni cura ſummaque adhibita aſſiduitate auertere non potuit, quin Optimus Princeps haereditarius *Henricus*, *Friderici* ſecundi ex fratre *nepos*, non tandem praematura morte e viuis eriperetur. Incidit ſcilicet Diuus Princeps in morbum in itinere, dum legionem ſuam prima vice, luſtrationis cauſa, Berolinum ducere vellet. Quarto demum die accerſebatur Noſter, variolis iamiam erumpentibus. Variolarum decurſus, non quidem adeo ſiniſter videbatur, ſed acceſſit febris maligna cum Purpura alba, quae primis diebus laruata erat, et Pleuritidem mentiebatur. Attamen, licet maxime maligna ſymptomata adeſſent, vsque

ad

ad diem XI. omnia ex voto cedebant, vt ſpes ſanationis affulgeret. Verum hoc die conuulſionibus correptus Optimus Princeps, cum Purpura alba hinc inde in interſtitiis variolarum erumpente, quo ſequenti die, reuerſa exacerbatione, et in apoplexiam terminata, animam efflare debebat. Aperto cadauere, omnes partes internas, tam quas abdomen continet, quam quae thoracis cauo reconduntur, inflammatione correptas, pulmonesque vna cum hepate, ventriculo, totoque inteſtinorum tractu purpura alba quaſi obductos inuenerunt ſecantes.

Variae e triſti hoc facto Noſtro naſcebantur aegritudines. Quamuis enim Auguſtiſſimus Rex, pro ſolita ſua aequitate, et perſpicacia, proxime in illum culpam non coniiceret, tamen nefandae inuidiae, quae diu iam famae optimi inſidias ſtruxerat, aliquantum ſucceſſit, vt Noſter minus gratia apud Dominum ſuum, longe clementiſſimum, abhinc valeret, quippe qui ſacratiſſimam ſuam Perſonam, eiusque curam, nunc per aliquot annos, Celeb. *Muzelio*, Conſiliario intimo, confidit. His et variis aliis rationibus motus, Noſter, veniam Berolinum eundi efflagitauit, partim, quod crederet, ibi in variis collegiis, varioque modo praeſentiam ſuam magis fore vtilem, quam nunc Potsdamii fieri poſſet, partim vero, vt poſt tot exantlatos labores, toleratasque moleſtias, vitam ageret, paullo tranquilliorem, ad conſeruandam valetudinem ſuam ſumme neceſſariam. Neque tamen et hic otio indulſit, et quieti, nec ab omni labore abſtinuit, verum continuo partim elaboratione memorabilium Reſponſorum, tum nomine ſupremi Medicorum Collegii dandorum, tum priuatorum ab ipſo petitorum, partim aegrotorum viſitatione, et reliquis in Collegio Medico-Chirurgico, Directorio Pauperum, et Collegio Sanitatis, variis officiis et laboribus occupatus erat. Quod reliquum fuit temporis, eum eruditis conſumſiſſe lucubrationibus, inter

ter alia teſtantur egregii plures Commentarii, Actis Regiae Academiae Scientiarum Berolinenſis inſerti, quosue antea ipſe in publico Academiae conſeſſu praelegerat.

Anno MDCCLXX. Noſter, munus honorificum obtinuit *Directoris Academiae Caeſareae Naturae Curioſorum*, cui annexa, ex Imperatorum gratia, eſt, dignitas *Nobilitatis Sacri Romani Imperii*, nec non *Comitis Palatini*, et *Archiatri, Conſiliariique Caeſarei.*

Non exiguo ſane fuit honori, nec parum animum Noſtri demulſit, quod, quotiescunque Sereniſſimae Perſonae e Regia Familia Magni, tunc temporis, Principis Pruſſiae, nunc Regis, minus proſpera vterentur valetudine, ſemper Ille in Conſilii partes vocatus ſit, nec minus, quod in quouis partu, quem enixa eſt Regia, tum Princeps haereditaria, nunc Regina, ſemper adſtiterit Noſter, et per plures ſeptimanas ibi commoratus ſit.

Poteſt quidem per tempus opprimi virtus, poteſt ſol nubibus obumbrari; at, quemadmodum hic e nubibus emergens, tanto maiori ſplendore lucet, ſic et virtus oppreſſa, ad lucem rediens, tanto magis corruſcat et honoratur.

Id, quantum in *Noſtrum* quadret, res ipſa docuit. Anno enim MDCCLXXVI. cum Potentiſſimus Rex periculoſiſſimo corriperetur morbo, qui totius fere Europae Principes attentos reddidit, et omnia Medicorum, quibus per aliquot menſes vſus fuerat, ſtudia atque remedia eluſerat, *Cothenium* ſuum, ſub finem Ianuarii menſis, iterum ad ſe vocauit, redditaque prorſus fide, conſilia eius exactiſſime ſequutus, eum gratiae atque beneuolentiae ſignis cumulauit. Cunctis probe examinatis, vidit illico, et praeuidit Vir Experien-

perientiſſimus, quae agenda, quae euentura eſſent. Ingenue itaque profeſſus eſt, integrum adhuc menſem requiri, ad ſuperandum morbum, tuncque alterum menſem, ad vires reſtituendas, quae requirerentur, vt ſummus Rex *Fridericus Secundus* ſe rurſus ſolitis officiis et laboribus, cum vigore, et conſtantia debita, ſubmittere poſſet. Feliciter cuncta, vt ſolide *Noſter* praedixerat, euenere, et, ad finem vergente Martio, iamiam Berolinum reuertendi, ibique ſuis officiis fungendi, clementiſſime veniam dare *Cothenio* non dubitauit Rex, quippe qui, circa finem Aprilis, tam vegeta ſanitate et animi hilaritate gaudebat, vt ſolitae ſpeciali copiarum Berolinenſium luſtrationi intereſſe poſſet, ea quidem cum alacritate, vt omnes fidelium ſubditorum animi maximo inde perfunderentur gaudio et admiratione. Tanti vero quoque Auguſtiſſimus Rex hoc nouum a Noſtro ſibi praeſtitum officium aeſtimauit, vt non ſolum, cum, pro conſuetudine, per quosdam dies Charlottenburgi commoraretur, Illum clementiſſime hic locorum his verbis exciperet: ſe haud alia ex ratione illum euocaſſe, quam vt ipſi coram teſtaretur, perfecta ſe ſanitate frui; ſed etiam ſoſtrum eius CC. Imperialibus auxerit gratioſiſſime.

Sed non ſolum noſtrorum ciuium in admirationem, et venerationem, rapuit animos, feliciſſima haec, et omni reſpectu praeclara curatio, ſed etiam apud exteros famae ſuae atque nominis adeo adauxit gloriam, vt omnes illum, ceu principem noſtri aeui Medicorum, ſuſpicerent.

Non ſane intempeſtiuum, aut Lectoribus diſpliciturum ſpero, ſi hic, elegans, quod intimus ſtatus Miniſter, Illuſtriſſimus *Derſchauius*, compoſuerat Poema, in valetudinem Regis reſtauratam, inſeratur, cum propter elegantiam ſuam, tum ob rei grauitatem maxime dignum, quo publici

 iuris

iuris fiat, et poſteris monumentum meritorum immortalis *Cothenii* exhibeat. Sed ita canit poeta:

Laude *Machaontem* ſublimi Graecia tollat,
Hippocrate experto ſitque ſuperba ſuo.
Grati *Cothenius* praeſentis gloria ſaecli,
Atque ſequuturae poſteritatis erit.
Arte ſua Regem, populi ſeruauit amorem,
Pruſſia nunc plaudit, *Mars* et *Apollo* valent.

Eodem hoc anno ſumma Ipſi felicitas contigit, quod ad reſtaurationem optimae Reginae ex grauiſſimo morbo, ſalutaribus ſuis conſiliis ſuum conferret ſymbolum, quod ita placuit ſummo Regi, vt, quam inde coeperit laetitiam, ipſe Auguſtiſſimae coniugi litteris teſtaretur.

Anno MDCCLXXVII. non ſolum Regiae Principi Pruſſiae viduae, grauiſſime decumbenti, vna cum Medicis ordinariis opem ferens, digniſſimam hanc Regii haeredis matrem feliciter a morbo periculoſiſſimo liberauit, ſed etiam breui poſt ad Regiam Principem haereditariam euocatus, vt ei in ancipiti et valde periculoſo puerperio auxilium adferret, ea felicitate vſus eſt, vt, adnuente diuina clementia, ſua ope omne periculum auerteretur.

Neque vero inter officia, quae *Cothenius*, et Familiae Regiae, et vniuerſis regni incolis praeſtitit, reticendum putamus illud, quo anno MDCCLXXX. denuo de Regia domo, et vniuerſo populo bene merendi, ea enata eſt occaſio.

Cum

Cum enim, ſub initio menſis Maii, Celſiſſimus filius, Principis Pruſſiae, nunc Regis, natu maximus, *Fridericus*, incidiſſet in febrem ſcarlatinam, cuius malignitas, ex ſubitaneo virium lapſu in ſubiecto, pro aetate ſua, antea ſatis vegeto, lipothymia et inſequente inflammatione faucium anginoidea cognoſcenda erat, quamue ardor ſummus, praecordiorum anxietas, inquietudo, ſitis immenſa, et agrypnia, comitabantur, aduolare iuſſus *Cothenius*, periculum ſubeſſe quidem edixit, ſed ſpem felicis exitus annuntiauit. Nec irrita fuit ſpes iucundiſſima. Cum enim diu noctuque Celſiſſimo Principi adſtitiſſet Noſter, efficaciſſimaque remedia adhibuiſſet, his tantum benedixit ſummum Numen, vt in maximum Regis, et Celſiſſimorum Parentum, gaudium, in gratiam cum ſanitate rediret Sereniſſimus Princeps.

Multa licet tum propria manu ab Ipſo exarata ſint, cum ab aliis calamo excepta, chartaeque mandata, partim quae ad morbos rite curandos faciunt, quaeque, in tam numeroſa longaque praxi, ipſi feliciter ceſſerant curationes, vna cum notatu digniſſimis morborum hiſtoriis, partim quae ad medicinam legalem ſpectant, quo pertinent plus quam C. Reſponſa Medico-forenſia, ab Ipſo in Collegio Medico ſupremo elaborata, nunquam tamen, licet a pluribus amicis inſtanter rogatus, eo moueri poterat, vt quidquam, ſcriptorum ſuorum, typis euulgaret, ſicque publici iuris faceret, veram nominis gloriam in eo ponens vnice, quod re vera proximo prodeſſet, non prodeſſe videretur. Cum enim magis aegrorum, quam proprio ſuo, commodo ſtuderet, nec ſcriptorum gloria inclareſcere anhelaret, omne id, quod a publicis laboribus ei ſupererat tempus, infirmis lubens conſecrauit, ſicque et extraneis, et indigenis profuit, illis quidem per litteras, quas diſcipuli calamo excipiebant, con-

ſilia ſalutifera ſubminiſtrando, his vero praeſens opem medelamque lubenter afferendo.

Inſignis ſane eſt numerus iuniorum Medicorum, qui ſcientiam ſuam Magno huic Viro in acceptis ferunt. Sunt et inter hos quidam, qui non infimum locum in republica, non ſine laude, occupant, quiue omnes fortunam ſuam famamque, pariter ac fauſtum, qui curationes ſuas comitatur, ſucceſſum, ſe ab Illuſtri *Cothenio* habere, lubenter gratoque animo profitentur. Volupe huic et iucundum eſt reminiſci, ſe felicis horum ſortis autorem fuiſſe, eosque veram, tutam, certamque medendi methodum docuiſſe. Melius ſic ſe de republica meritum eſſe, ratus, quantus ſit ipſe, quam praeſtantiſſima animi indoles et probitatis ſtudium teſtatus eſt, quam ſi ſexcentas hypotheſes et theorias excogitaſſet, et in hoc magni Viri et vere Philantropi, et Chriſtiani, faciem praebet, et imaginem meretur.

Rara etiam *Cothenio* contigit felicitas dum d. XV. Auguſti anni MDCCLXXXII. ante quinquaginta ſcilicet annos, in Academia Halenſi, dignitate Doctorali ornatus, nunc Iubilaeum celebraret, Facultas Medica Academiae Halenſis, ſuam in tantum Virum teſtatura obſeruantiam, nouo Diplomate Doctorali eum condecorare decreuit.

Anno MDCCLXXXIV. Sereniſſimus Rex munus Directoris Collegii medici ſuperioris, quod eo vsque a viris Iurisperitis, in Collegiis ſuperioribus iuſtitiae vel Directorii generalis, aſſidentibus adminiſtrabatur, *Cothenio*, e ſingulari fiducia, contulit. — —

Sequuntur hic, in apographo, Berolino accepto, nonnulla, quae animaduerſiones concernunt, ea propter, quod Vir beatus in

in vltimo Maximi Regis morbo, morte demum terminato, directe non fuerit in conſilium vocatus. Sed prouti Is quoque, ob decreſcentes, in increſcente ſenio, vires, et viſus imbecillitatem, iam in bello A. MDCCLXXVIII. gratioſiſſime diſpenſatus erat, ne, vt olim, vt exercitus Boruſſici ſupremus Medicus, amplius caſtra ſequeretur; ſic ea, quae breui antea tetigimus, magis ſilentio praeterire, rati ſumus, propterea, quod iis nec integritati, neque meritis, honori, et famae, Viri beati, quidquam derogetur.

Sed indicandum tamen adhuc eſt, qui fuerit rei familiaris, et domeſticae, *Cothenii* ſtatus. Scilicet Anno MDCCLXIX. *ſecundum matrimonium* iniuit, cum femina non minus morum, comitate et elegantia, quam ſingulari prudentia in negotiis domeſticis gerendis, ac honeſtate conſpicua, virtutibusque aliis, inter plurimas praeeminente, *vidua Conſiliarii aulici et Profeſſoris Medicinae* Halenſis, *Friderici Hoffmanni*, per orbem celebratiſſimi Conſiliarii Regis Boruſſorum intimi, Archiatri et Profeſſoris Medicinae primarii, *Friderici Hoffmanni*, filii, *Chriſtiana Carolina*, e gente *Sellentinia* Halae florente, quam vero anno MDCCLXXXIII. die VI. Aug. mors e ſinu ſuo eripuit, eumque in acerbiſſimum luctum praecipitauit. E coniugiis binis nullos ſuſcepit liberos. *Sellentinia* ſua autem tres filias, et vnum filium, e coniugio *Friderici Hoffmanni* genitos, *Cothenio* quaſi proprios liberos, intulit, quos etiam ſingulos paterno amore complexus eſt. Cum ſibi itaque non liceret, adeo eſſe felici, vt ipſe dulci patris nomine gauderet, Pronepotem *Chriſtianum Andream Cothenium* ſibi adeo adſciuit, vt educationis ſuae curam in ſe ſuſciperet, ſtudioque medico eum deſtinaret. — —

Hactenus chartae illae, quae Berolino ad me miſſae ſunt. — — Sed maxime nunc neceſſe eſt, vt mentionem *generoſi illius legati* faciamus, *quo Vir beatus academiae Naturae Curioſorum liberaliter proſpexit.* Ne autem eadem iterata vice repetantur, quae iam ſcripta ſunt, et ne hi commentarii chartarum mole nimis onerentur, ſtatim illud programma hic adiungere viſum eſt, quo plura, hanc rem concernentia, continentur.

NOTI-

NOTITIA LEGATI

QVO

VIR DVM VIVERET

PERILLVSTRIS ATQVE EXPERIENTISSIMVS

D. CHRISTIANVS ANDREAS COTHENIVS

SACRI ROMANI IMPERII NOBILIS

ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM EPHEMERIDVM DIRECTOR POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS CONSILIARIVS INTIMVS ARCHIATER PRIMARIVS REGIORVM EXERCITVVM PROTOMEDICVS COLLEGII MEDICI SVPREMI NEC NON COLLEGII MEDICO CHIRURGICI DIRECTOR ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS MEMBRVM HONORARIVM ACADEMIAE RRGIAE MEDICAE PARISIENSIS SODALIS COLLEGII SANITATIS BEROLINENSIS ET INSTITVTI PAVPERVM CVRAM GERENTIS ASSESSOR

ACADEMIAE IMPERIALI NATVRAE CVRIOSORVM

LIBERALITER PROSPEXIT

QVAMQVE

CVM LECTORIBVS EX MERITO COMMVNICAT

ATQVE

THEMA PRIMVM

SECVNDVM EIVS TESTAMENTI TENOREM

AD PRAEMIVM IMPETRANDVM

PROPONIT

D. HENRICVS FRIDERICVS DELIVS

SACRI ROMANI IMPERII NOBILIS ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESES CONSILIARIVS ARCHIATER ET COMES PALATINVS CAESAREVS CONSILIARIVS INTIMVS AVLICVS BRANDENBVRGICVS MEDIC. PROFESSOR PRIMARIVS IN ACADEMIA FRIDERICO ALEXANDRINA ERLANGENSI ACAD. SCIENTIAR. MONSPELIENS. RHOTOMAG. ET BAVARICAE SODALIS.

VIRGIL.

Daphnin ad aſtra feramus,
amauit nos quoque Daphnis!

Quamuis iam antea, ac poſtea, quam Praeſidium Academiae Imperialis Naturae Curioſorum, in me deuolutum erat, eius graue onus, pro rei tunc ſitu, quem in PHILYRA, eapropter exarata, deſcribere cogebar*), ſatis perſenſerim, tamen magnopere illud auctum eſt, cum breui poſtea, Vir perilluſtris, Academiae noſtrae Ephemeridum Director, COTHENIVS, cuius nomen idem, ac Eius laus, eſt, cuique ſalus academiae curae ſemper cordique fuit, d. V. Ian. MDCCLXXXIX. anno aetatis LXXXI. diem, placidiſſime quidem, obiret ſupremum, atque noſter non amplius eſſet, et ego praeſertim tanto viro, et fautore, et amico veterano, carerem.

Eius autem biographiam, ſeu, quod idem eſt, meritorum recenſionem, hic fuſius exhibere, inſtituti ratio vetat, ſiquidem eam, proximo Tomo nouorum Actorum phyſico medicorum inſerendam, curabo. Subſiſtam ſaltem nunc in commemoratione ſingularis illius meriti, quo Vir, nunc diuus, academiam noſtram generoſiſſime beauit.

Scilicet, nouerat quidem, fiſcum modicum academiae, vnde Eius res gerendae, et impenſae, multifariae, ſoluendae, ſint, nunc ſaltem conſtare, ex uſuris *Legati Genſeliani*, ac ex iis muneribus, quae plures, ex nouis inprimis membris, ſponte, ſuppeditarunt; Sed doluit tamen Vir integerrimus, res Academiae nondum eo perueniſſe, vt ea felicitate fruatur, qua plures aliae academiae gaudent, vt nimirum poſſit, ſuis temporibus, publice aliquod thema proponere, in quo exantlando viri eruditi laborare queant, ita, vt autori elaborationis, quae rei quaeſitae maxime reſpondet, et pro digniſſima

*) *Erlangae*, d. XV. Dec. MDCCLXXXVIII.

ſima iudicatur, praemium decernatur. (Illius enim boni viri, cuius meritiſſimus olim Praeſes BÜCHNERUS, in Hiſtor. acad. Imp. Nat. Cur. p. 562. tecto nomine, meminit, bona, poſt eius mortem, non ſuffecerunt, vt, quidquam eorum, vti ſibi propoſuerat, ad academiam redire potuerit.)

Itaque Ipſe Vir egregius, qui, vti meritis, ſic et opibus, abundabat, academiae proſpicere volebat, vt, praeter eos libros, quos in codicillo, de XXIV. Mai. MDCCLXXXV. bibliothecae academiae donauit, in ipſo teſtamento de dato XXV. Auguſt. MDCCLXXXIII. §. XV. ipſi legaret *mille thaleros imperiales*, ex quorum vſuris „*omni biennio*, *moneta* „*aurea*, pretio, ad minimum, LX. thalerorum, *excudi* de- „beret, quae Illi traderetur, qui, ſecundum vota Praeſidis, „Directoris, et nonnullorum ex Adjunctis, quaeſtionem „quandam, *medico practicam*, publice propoſitam, optime „enodauerit, qua veritas quaedam noua, vel medicamen- „tum aliquod, hucusque non ſatis cognitum, detegatur, et „manifeſtetur, aut, dubia hactenus, quaedam veritas enu- „biletur, et maiori luci exponatur." Haec moneta referat imaginem Teſtatoris, cum epigraphe: CHRISTIANVS ANDREAS COTHENIVS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM DIRECTOR CONSILIARIVS INTIMVS BORVSSORVM REGIS ET ARCHIATER. Altera autem nummi facies contineret hanc inſcriptionem: PRAEMIVM VIRTVTIS SALVTEM MORTALIVM PROVEHENTIBVS SANCITVM DIE . . . . ANNI . . . .

Sicuti autem vir beatus executores, vt vocant, teſtamenti, in vniuerſum, inſtituit virum experientiſſimum et celeberrimum, Chirurgum exercitus Boruſſici generalem, I. C. A. THEDEN, et virum conſultiſſimum HVVLBECK Camerae Conſiliarium aſſiſtentem; Sic et virum illuſtrem et experientiſſimum, I. C. W. MOEHSEN, Archiatrum regium Boruſſicum, collegii medici ſuperioris, et academiae ſcientiarum regiae Boruſſicae membrum, academiae Imperialis Nat. Cur.

Cur. Adiunctum, *rel.* rogauit, vt ea, quae dictae academiae legata concernunt, ſibi commendata habeat, et curet, vt ea cuncta rite adminiſtrentur, et exſequantur. Hanc curam autem Vir illuſtris ita hucusque, generoſe geſſit, vt laudes et grates, ipſi perſoluere merito debeamus, ſiquidem et ſtudium ſuum, apud haeredem ex aſſe, Virum praenobiliſſimum, *Michaëlem Conradum Cothenium*, Subcenturionem hactenus in exercitu Danico, beati noſtri COTHENII (cui non licuit eſſe ita felicem, vt dulci patris nomine ipſe gauderet,) ex fratre nepotem, ita locauit, vt Ille cuncta, in academiae emolumentum, per teſtamentum juſſa, capeſſere, fas duxerit. Sicuti quoque vir praenobiliſſimus G. H. BOEHR, Medicinae Doctor, quo, per plures annos, beatus COTHENIVS, et ex quo oculorum debilitate laborauit, vt Secretario vſus eſt, in hoc negotio ſuos labores impendit.

Habent itaque hic beneuoli lectores, breuem hiſtoriam legati COTHENIANI, habent materiam venerationis erga generoſum eius conditorem, cujus beneficii memoriam nullum vnquam tempus obſcurabit.

Ego autem, quamquam de obitu viri perilluſtris, fautoris et amici, cuius quoque vices Directoris per nonnulla luſtra, rogatus, geſſi, grauiter contriſtatus fuerim, de hoc tamen laetor, vt, pendente Praeſidio meo academico, ea mihi contigerit ſors, vt primus eſſe potuerim, qui, vltimam magni viri, et deſideratiſſimi amici, voluntatem explere, et, ex Eius mandato, materiam publice proponere queam, ſuper qua eruditi meditari, et de praemio impetrando certare, poſſint.

Vt autem conditiones, a beato COTHENIO ſtabilitae, circa quaeſtionem proponendam, quae *medico practicae* indolis ſit, rite obſeruentur, habita, cum coniunctiſſimis collegis, ſuper ea re, conſultatione, prima vice ſequentia proponere placuit:

 Notiſ-

Notiſſimus nimirum, inter medicos, priſtini, et noſtri temporis, eſt terminus *primarum viarum*, atque *in iis* quoque *plurium morborum fons*, et *origo*, ponitur. Interim plures medici *earum vitia* nimis ſupponere, plures minus attendere, videntur. Intereſt itaque omnino medicinae, et generis humani ſaluti, vt

vera notio, et cura, morborum primarum viarum magis euoluatur, et determinetur. Quaeritur ergo:

I. Quaenam ſint, proprie, primae viae? et quid ſub hoc nomine, recte intelligatur?

II. Quinam ſint, proprie, morbi, ex vitiis primarum viarum nec aliis organis, oriundi? adeoque idiopathici?

III. An, et quinam, ſint earum morbi deuteropathici, aut ſymptomatici?

IV. Quales ſint hi morbi, qualia pathemata, quale eorum Schema? in ſtatu vario, acuto, et febrili, et chronico? ac quomodo recte diſtribui, et claſſificari, queant?

V. Quaenam, qualiaque, ſint ſigna morborum, e primis viis, earumque vario ſtatu, oriundorum? diagnoſtica, et prognoſtica?

VI. Quales ſint dictorum morborum cauſſae? ſpontaneae, procatarcticae, et formales? *et qualis ſit, proprie, ea cauſſa, quae modo hoc, modo illud, praecipuum, ſymptoma producit?* qua occaſione breuibus inquiratur, *utrum conſenſus primarum viarum cum aliis organis, magis a ſyſtemate vaſorum, ſanguiferorum, aut lymphaticorum, an magis a diſtributione*, et affectione, *neruorum pendeat?*

VII. Qualis ſit therapia, ſaltem generalis, morborum primarum viarum? atque praeſertim eius morbi ſpeciei, quae nunc proſtat? qualesque cautelae ſint obſeruandae?

Omnes

Omnes itaque medici eruditi, quocunque demum loco commorentur, humaniſſime inuitantur, velint ſuper propoſitis quaeſtionibus meditari; et ii, quibus volupe eſt, de praemio certare, exarent diſſertationem quandam, idiomate latino, gallico, vel germanico, (latinum vero magis arridebit) conceptam, et literis perſpicuis ſcriptam, in qua ad dictas quaeſtiones reſpondeatur. Autori ſcripti illius, quod ſecundum vota iudicum decretorum, aſſenſum maxime meretur, aut, quod rei propoſitae magis appropriatum eſſe videtur, nummus ille aureus, ſupra deſcriptus, tribuetur. De praemio certantes autem rogantur, vt elaborationes ſuas ante I. Septembris, anni MDCCLXXXX. ad academiae Imper. Natur. Curioſor. Praeſidem, Erlangam, ſolutis transmiſſionis ſumtibus, mittant, aut ad vnum, vel alterum, ex Academiae Adiunctis, prout ipſis magis commodum videbitur. Nomen ſuum quisque haud quaquam ſubſcribat, ſed adiungat ſaltem, ſub finem, ſymbolum aliquod, quod idem inſcribant chartae, ſigillo clauſae, quae verum autoris nomen, atque characterem, cum commorationis loco notato, contineat, prouti mos talis etiam apud alias ſcientiarum academias obſeruatur.

Notent vero, rogamus, viri eruditi, qui in dilucidatione quaeſtionum propoſitarum laborabunt, academiam non exſpectare integrum, aut ſpiſſum, librum, qui longum temporis ſpatium, ad perlegendum illum, expoſcat; ſed amare illam ſcripta, quae concinna, ſolidaque, breuitate, et ſuccincta reſponſione ad quaeſita, placeant. Nolint itaque, nimis amplo ſermone vti, vel autores citare, qui forte idem argumentum tractarunt, ſed exhibeant propria, nec analogiae medicae, et principiis medicinae, contraria, theoriae, potius, et experientiae, conformia, ſua cogitata, et quaeſtionibus reſpondentia.

Iudices autem deſignati curabunt, vt, ante dictum tempus, exhibita, debite perlegantur, et juſta animi lance pon-

derentur, ita, vt praemium aureum, reſignata ſchedula, autori illi, B. C. D. d. V. Ianuarii, anni MDCCLXXXXI. in memoriam diei emortualis beati fundatoris, decerni poſſit, cuius ſcriptum, maxime quaeſtionibus appropriatum, iudicabitur. Ipſum autem hoc ſcriptum poſtea typis mandabitur, atque ſeruabitur in Nouis Actis Academiae Naturae Curioſorum, quorum Tomus Octauus ſtatim prelo ſubiicietur, ſimulac nonnulla adhuc ſymbola, ab academiae Sodalibus promiſſa, quae auide exſpectamus, et erogitamus, erunt collata, et exhibita. —

Ceterum, vt et noua haec acceſſio, nouumque inſtitutum, in nouum academiae honorem, incrementum, ſcientiae medicae augmentum, atque generis humani emolumentum, cedat, omnes academiae bene cupientes, nobiſcum peroptabunt, ſicuti nos eos, et beneuolos lectores, rectiſſime valere iubemus.

Dabam *Erlangae* d. X. Octobris. MDCCLXXXIX.

D.

D. HENRICVS FRIDERICVS DELIVS

S. R. I. N. ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM H. T. PRAESES REL.

THEMATIS
AD IMPETRANDVM PRAEMIVM
EX LEGATO B. COTHENII
VLTERIOREM NOTITIAM
PROPONIT.

Effluxit ille terminus, dies ſcilicet I. Septembris huius anni, qui d. X. Octobris MDCCLXXXIX. in peculiari programmate, quod *notitiam legati beati* COTHENII continebat, quo Academiae Imperiali Naturae Curioſorum liberaliter proſpexerat, praefixus erat, ut interea transmitterentur doctorum medicorum ſcripta, quae *veram notionem, et curam, morborum primarum viarum*, magis evoluerent, et determinarent, ita, ut huic, quod, ex transmiſſis, propoſitae rei maxime ſatisfaceret, die V. Ian. MDCCLXXXXI. ut die emortuali *b.* Teſtatoris, *praemium aureum*, poſſit decerni.

Verum intra illud tempus unica ſaltem tractatio ad academiam pervenit, quae germanico, nec ſatis puro, idiomate conſcripta, collegialiter perlecta, rei non ſatis feciſſe, judicata eſt.

Cum

Cum porro relatum nobis ſit, pluribus doctis viris illud temporis ſpatium, quod tum praefixum erat, nimis anguſtum viſum fuiſſe, ut interea exaſciata quaedam elaboratio potuerit condi, et perfici; atque tamen *thematis propoſiti*, *in medicina practica, ea fuerit* dignitas, et neceſſitas, ut ſolida ejus illuſtratio exoptari queat; viſum academiae eſt, iſtud *thema*, (ſiquidem tale, ex lege b. fundatoris, *medico practicum*, et *generis humani ſalutem* praecipue *reſpiciens*, eſſe debet,) iterum proponere, atque iſtius ulteriori evolutioni, et determinationi, longius temporis ſpatium, concedere.

Praemittamus itaque primum ea, et repetimus, quae, in dicto programmate, ſcripta erant, et addamus tum nonnulla:

"Notiſſimus, inter medicos, priſtini, et noſtri, tempori eſt "terminus *primarum viarum*, atque *in iis* quoque *plurium* "*morborum fons*, et *origo*, ponitur. Interim plures medici "*earum vitia* nimis ſupponere, plures minus attendere, vi-"dentur. Intereſt itaque omnino medicinae, et generis hu-"mani ſaluti, ut

"*vera notio, et cura, morborum primarum viarum,*

"magis evolvatur, et determinetur. Quaeritur ergo:

"*I. Quaenam ſint, proprie, primae viae? et quid ſub hoc no-*"*mine, recte intelligatur?*

"*II. Quinam ſint, proprie, morbi, ex vitiis primarum via-*"*rum, nec aliis organis, oriundi? adeoque idiopathici?*

"*III.*

"*III. An, et quinam, ſint earum morbi deuteropathici, aut "ſymptomatici?*

"*IV. Quales ſint hi morbi, qualia pathemata, quale eorum "Schema? in ſtatu vario, acuto, et febrili, et chronico? "ac quomodo recte diſtribui, et claſſificari, queant?*

"*V. Quaenam, qualiaque, ſint ſigna morborum, e primis "viis, earumque vario ſtatu, oriundorum? diagnoſtica, "et prognoſtica?*

"*VI. Quales ſint dictorum morborum cauſſae?* ſpontaneae, "procatarcticae, et formales? *et qualis ſit, proprie, ea "cauſſa, quae modo hoc, modo illud, praecipuum, ſym-"ptoma producit?* qua occaſione brevibus inquiratur, "*utrum conſenſus primarum viarum cum aliis organis, "magis a ſyſtemate vaſorum, ſanguiferorum, aut lym-"phaticorum, an magis a diſtributione,* et affectione, "*nervorum pendeat?*

"*VII. Qualis ſit therapia, ſaltem generalis, morborum pri-"marum viarum? atque praeſertim eius morbi ſpeciei, "quae nunc proſtat? qualesque cautelae ſint obſervandae?*

Addimus autem nunc his propoſitis, velint benevoli, doctique, commentatores, eo praecipue reſpicere, ut determinent, quales praeſertim ſint *morbi*, dicti *gaſtrici*, qui cauſſam in *primis viis* agnoſcunt, et qualis eſſe debeat, ac

 poſſit,

poſſit, *methodus therapeutica gaſtrica*, in iis morbis, qui, pro ſymptomatum ratione, *aliud*, et varium, et cuicunque ſpeciei proprium, morbi *Schema*, prae ſe ferunt, quanquam in ipſo morbi progreſſu, nonnulla, ſaepe manifeſtentur, quae, primarum viarum habendam eſſe rationem, moneant; ſimul autem conſiderationem expoſcant, *non unam, nec perpetuam eandem*, eſſe *indicationem*, qua morbis primarum viarum, et ſymptomatibus, inde pendentibus, et interdum urgentibus, debito loco, et tempore, ſuccurrendum ſit! ita, ut neque minus, neque nimis, quidquam fiat, nec quoque, dum unum agitur, alterum omittatur: quorum omnium rationem habendam eſſe, in praecedenti numero VII. ſub voce *cautelae*, intelligi voluimus.

"Omnes itaque medici eruditi, quocunque demum loco "commorentur, humaniſſime invitantur, et rogantur, ve-"lint ſuper propoſitis quaeſtionibus meditari; et ii, quibus "volupe eſt, de praemio certare, *exarent diſſertationem* "*quandam*, idiomate latino, gallico, vel germanico, *(lati-*"*num vero magis arridebit)* conceptam, et literis perſpicuis "ſcriptam, in qua ad dictas quaeſtiones reſpondeatur. Au-"tori ſcripti illius, quod, ſecundum vota iudicum decreto-"rum, aſſenſum maxime meretur, aut, quod rei propoſitae "magis appropriatum eſſe videtur, *nummus ille aureus*, ſupra "notatus, tribuetur. De praemio certantes autem ro-"gantur, ut elaborationes ſuas *ante* I. *Septembris*, anni "MDCCLXXXX. ad Academiae Imper. Natur. Curioſor. "Praeſidem, Erlangam, ſolutis transmiſſionis ſumtibus, "mittant, aut ad unum, vel alterum, ex Academiae Adiun-"ctis, prout ipſis magis commodum videbitur. Nomen "ſuum quisque haud quaquam ſubſcribat, ſed adiungat ſal-"tem, ſub finem, ſymbolum aliquod, quod idem inſcri-"bat chartae, ſigillo clauſae, quae verum autoris no-

men,

"men, atque characterem, cum commorationis loco nota-
"to, contineat, prouti mos talis etiam apud alias ſcien-
"tiarum academias obſervatur.

Notent vero, rogamus, viri eruditi, qui in dilucidatione quaeſtionum propoſitarum laborabunt, *academiam non exſpectare integrum*, aut *ſpiſſum*, *librum*, qui longum temporis ſpatium, ad perlegendum illum, expoſcat; ſed amare illam ſcripta, quae *concinna*, *ſolidaque*, *brevitate*, et ſuccincta reſponſione ad quaeſita, placeant. Nolint itaque, nimis amplo, et taedioſo, ſermone, recte iam, in ſimili materia, vituperato, uti, vel autores citare, qui forte idem argumentum tractarunt, ſed exhibeant propria, nec analogiae medicae, et principiis medicinae, contraria, theoriae, potius, et experientiae, conformia, *ſua* cogitata, et quaeſtionibus reſpondentia.

Ut autem iis viris eruditis, qui jamjam forte labori manus admoverunt, et tempore ſaltem praepediti erant, ac iis, qui, novo hoc Schediasmate, ad ſuſcipiendum laborem ſeſe excitari ſinunt, aut ad finiendum, aut condendum, laborem, temporis ſpatium concedatur, *extendimus terminum transmittendarum elaborationum usque ad I. Octobris*, *anni MDCCLXXXXI.* ut, poſt illud tempus, a judicibus deſignatis, ſcripta exhibita perlegi, ac debite dijudicari, queant, et illius tractationis, quae maxime rebus quaeſitis appropriata eſſe, reperitur, autori, *nummus* ille *aureus*, *qui* nitide exſculptus, et eleganter excuſus, interea in fiſco academiae depoſitus eſt, ac *XX. ducatorum pretium* ex aſſe complet, d. V. Ianuarii, anno MDCCLXXXXII. decerni, atque, in laborum, et honoris, praemium, exhiberi, et ipſum ſcriptum, ſuo tempore, cum publico communicari, poſſit.

Ceterum, ut et novum hoc inſtitutum, in novum academiae honorem, et incrementum, ac ſcientiae medicae augmentum, feliciter cedat, omnes academiae bene cupientes, nobiscum peroptabunt, ſicuti nos eos, et benevolos lectores, rectiſſime valere jubemus.

Dab. Erlangae d. XX. Novembris
MDCCLXXXX.

ME-

MEMORIA

VIRI

CLARISSIMI CELEBERRIMI

MAXIMILIANI IACOBI DE MAN

MED. DOCTORIS, NOVIOMAGENSIUM TETRARCHIAE AEQUE AC CIVITATIS ARCHIATRI, SOCIETATIS SCIENTIARUM HOLLANDIAE, PROVINCIALIS ULTRAJECTINAE, ET ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOLDINO-CAROLINAE, NATURAE CURIOSORUM SOCII,

NOMINE

EPIGENIS.

Maximilianus Iacobus de Man, ex antiqua apud Gelros, eaque nec ignobili, Gente ortus, Patrem habuit *Ioannem Wilhelmum de Man*, I. U. D. Toparcham in Noordgoun, Cauſarum apud Neomagenſes Patronum, Conſilii Militaris Fiſcum, eique ab actis, Oppidi Batoburgi Praetorem, Iudicem ac Chomarchum, Iudicem in Hernen, Keent, Balgoy et Doddendael, aggerumque ibidem Praefectum etc. etc. Matrem honeſtiſſimam feminam *Henricam Backer*, Noviomagenſes inter plebis tribunos conſpicui viri *Thomae Backer* et *Iacobae Verhagen* filiam.

Avus paternus fuit Strenuiſſimus cum aliis, initio huius ſeculi, Catoloniae victor *Engelbertus de Man*, Pedeſtris inter Belgas Centurio, Militumque, *Majorem* quem vocant, Praefectus; Avia *Clara van der Meer van Berendrecht*, ex illuſtriſſima Comitum *Tecklenburgenſium* oriunda domo. Natus eſt d. 26. Aprilis 1731. — Matrem amiſit 1736. Patrem 1741.

Parentibus orbus, vix annum agens decimum, tutorem habuit Fratrem natu maximum, *Engelbertum de Man* I. U. D. Paterni Feudi haeredem, Conſilii Militaris per annos itidem Fiſcum; dehinc vero Civitatis Neomagenſis Senatorem, ac Scabinum, nec non Ordinibus Tetrarchiae, ejusdem nominis, ab actis et ſecretis.

Decurſo, Neomagi, trivialium ſcholarum ſtadio, Groningam mittitur Anno 1748; ibique per triennium in Philoſophicis utitur Acutiſſimo *Engelhardo*; in Medicina autem cum Theoretica, tum Practica, Celeberrimo *Croeſero*, qui in omnibus illi patris adinſtar fuit.

Relicta

Relicta Academia Groningana, Lugdunum Batavorum petit; ubi, per alterum triennium, operam dedit principibus in arte Viris, *Gaubio*, *Royeno*, utrisque *Albinis*, ac in Philoſophicis ſummo *Muſchenbroeckio*; donec 27. Iulii 1754. edito ſpecimine, *de Natura Humana, quatenus ſanitatis praeſentis eſt cuſtos, abſentis vindex*, Laurea Doctorali donaretur.

Sic domum redux, in patria civitate Praxin auſpicatur, et menſe Novembri 1756. unanimi Magiſtratus conſenſu, in locum defuncti hoc tempore Archiatri, *I. H. Degneri*, ſuccedit: Anno vero 1778. univerſae Tetrarchiae Noviomagenſis Archiater renunciatur.

Uxorem duxit praeſtantiſſimam Virginem *Adrianam Iacobam de Ruyter* et *Annae Eliſabethae Vermaeſen*, filiam unicam: Ex quo conjugio, ſpatio annorum nondum duodecim, decem ſuſcitavit liberos; quorum tres in tenera admodum aetate exſtincti, reliqui ſeptem adhuc in vivis ſunt, tres ſcilicet Filii, quatuorque Filiae; nomina quorum, juxta aetatis ordinem, ſequentia ſunt; *Anna Eliſabetha*, *Ioannes Wilhelmus Engelbertus*, *Matthaeus Wilhelmus*, *Henrica*, *Maximilianus Iacobus*, *Adriana Iacoba*, et *Clara Cornelia*.

D. 4. Iulii 1768. cara haec conjux, annum agens vigeſimum octavum, acerbo prorſus ac intempeſtivo funere inopinato illi eripitur, viduatumque lectum relinquit usque in d. 25 Novembris 1770; quando ſecundis nuptiis matrimonium init cum ſuaviſſima ac pia Virgine *Cornelia Catharina Margarita Swaen*, Proconſulis Neomagenſis *Ioannis Swalen* et *Catharinae Beeckmann* filia. Nulla vero hoc e toro proles.

Hollandiae Scientiarum Societati *Harlemenſi* adſcribitur anno 1770. *Ultrajectinae* Provinciali, anno 1777. Academiae Caeſareae Leopoldino - Carolinae Naturae

Curio-

Curioſorum, 1779. Earumque actis et ſua paſſim inſeruit.

Edidit praeterea, idiomate Belgico, tractatum *de Febre maligna putrida Mauricana ac Dreumelenſi*, nec non alium, de *Neomagenſi funeſto ex alaudis prandio.*

Exſtat et eadem lingua tertius illius tractatus, in actis *Societat. Medicor. Amſtelodamenſis* (cui Symbolum, *Servandis civibus*) Vol. I. quo ad propoſitam quaeſtionem *de uſu et abuſu veſicantium in genere, praeſertim autem in Febre petechiali et putrida etc.* Suſpenſam Lauream, aureum videlicet Numiſma, primus omnium reportavit, prima ſic jaciens hujus ſocietatis ſundamenta.

Valetudine proſpera, tota vitae ſuae periodo, fuit uſus. — Aſt ex improviſo illum Febris maligna putrida, primum febricula tantum catarrhalis viſa, invaſit, quae per ſeptem dierum ſpatium illum detinuit — donec d. 12. Novembris 1785. hora quarta matutina, tranquillo ac conſtanti animo, inſigni in Servatore ſuo fiducia, totus Deo devotus, in Cariſſimae Familiae, ac communem Civium luctum, placidiſſime exſpiravit.

Vixit annos 54. Menſes circiter 6.

INDEX

Aſteriſcus numeris praefixus Appendicis paginas indicat.

A.

Abdominis in cavo libere fluctuans medulla ſpinalis, ob cariem vertebrarum 123
Abildgaard citatur 60
Abortus iterati cauſſa, Belladonna ſublata 85
Abſceſſus hepatis per diaphragma in pericardium prorumpens 41
Acervulus cerebri 162. eſt concretio ſabuloſa, ſeu lapilli, prope, vel intra, glandulam pinealem 163. in conariis omnium hominum, ultra quindecim annos natorum, reperitur, ib. pro morbo eſt habendus 165. ejus varia nomina 165. ſeq.
Aceto ſolutum gummi ammoniacum tineam capitis ſanat 80
Achatis ſpecimina prope Erlangam inveniuntur 201
Acida mineralia metallis tanquam medium mineraliſandi inſerviunt *58. 97
Acidi nitroſi efficacia in ſericum 27 ſeq.
Acidi Wolframi character, color citrinus *104
Acidum diuturnam gaſtrodyniam efficiens, cum ſubſequente polyſarcia adipoſa 230
Acidum lapidis ponderoſi *78
Acidum, metallicae indolis, in Lapide ponderoſo et Spuma lupi inventum *57. cum auro, marte, plumbo, ſtanno, mineraliſatum 58
Acidum molybdaenae in minera plumbi Carinthiaca repertum *103
Acidum phoſphori, ex oſſibus parati 44. ſeq.
Acidum ſalis communis in gypſo 61
Acidum ſive Calx Vulcani *59 cujus caracter color citrinus 63. 72
Acidum, terram calcaream in gypſum mutans, non eſt ſolum vitriolicae naturae 63
Acidam ventriculi acrimoniam corrigit aqua Sinnbergenſis 87
Aconiti ſpecies, Napellus latifolius major, radicis venenatiſſimae,

hucusque anonymae, planta eſſe videtur 6
Aconitum Cammarum et Aconitum Napellus, quibus partibus diffe-rant? 7
Actinia cylindrica, laevis, truncata 264
 ſtriata, laevis 263
 equina 260
 ſalina 262
 judaica 264
 ſemiovalis, laeviuſcula 260
 ſenilis 261
 ſubcylindracea transverſe ru-goſa 261
Adelung citatur *22. 23
Adipoſa polyſarcia, ſub diuturna gaſtrodynia ab acido generata 230
Adolphi citatur 187
Adriatici maris littorum zoologicae deſcriptiones 235
Adulta virgo, convulſionibus cor-repta, ex dentitione perdifficili 157
Adulterati vini rubri examen accu-ratius, exſtinctione coloris in-ſtituendum 120
Africes interioribus in regionibus detectorum Meſembryanthemo-rum quorundam deſcriptiones *1 ſeqq.
Agoſta, nomen italicum Cancri Lo-cuſtae 314
Alcali mineralis puri praeparatio *60. 98
Alcali volatilis uſus externus in tu-moribus oedematoſis calidis, rheu-matiſmis 59 ſeq.
Alcalinum ſal vegetabile, antido-tum arſenici 150
Aldrovandus citatur 254. 260. 266. 268. 276. 278. 279. 282. 286. 289. 296. 298. 302. 305. 314. 317. 319. 321. 323. 325. 332. 339. 341. 342. 344. 345. 348. 350. 352. 354. 356 *2
Aloes Americanae per ſuum ſemen propagatio *120
Alpinus cuculus deſcribitur 228
Alvi obſtructionis rara cauſa 167
Alutatio, ſpecies aurilegii 97. ſeq. hanc olim jam in Dacia exercue-runt coloniae romanorum 99
Ammoniacum gummi, in aceto ſolutum, tineam capitis ſanat 80
Amphitrite cirrata 270
Amputatione brachii, ſpina ventoſa laborantis, hecticus morbus ſub-latus 142
Andry citatur 18
Anevryſma cordis et aortae 8. ſeq. ejus cauſſae 11
Anevryſmata frequentius occurrunt in arteria aorta, quam in pulmo-nali 12
Aniſi oleum deſtillatum eſt antido-tum arſenici 152
Annulus valvuloſus, ſiniſtri cordis, cartilagineis lamellis obſitus 10
Anthel-

Anthelminthica virtute gaudet aqua Sinnbergenſis 87
Antidotum arſenici eſt ſal alcalinum vegetabile 150
Aortae et cordis anevryſma 8. ejus cauſſae 11
Aorta, cur, prae pulmonali, frequentius laboret anevryſmate 12. 13
Aphrodita ſquamata 275
Aphthae in aeſtate crebro apparent poſt vehemens frigus hiemis praecedentis 137
Aplyſia depilans 266
Apoplexiae ſanguineae 22
Aqua putei cujusdam Windsheimenſis, cum gallis turcicis purpuraſcens, cum lixivio ſanguinis caeruleſcens 91
Aquae et ſanguinis profluvium ex perfoſſo Chriſti latere illuſtratur *43
Aragna di mare, nomen italicum Cancri Aranei 350. et tribuloidis 352
Aranea marina 350
Arcano *Herrenſchwandiano* Taenia expulſa 16. ejus praeparatio deſcribitur 18
Arcus aortae tunicae propriae disruptae 10
Arena mobilis 196
Argonauta Argo 254
Armeniſtari *24
Arſenici antidotum, ſal alcalinum vegetabile 150. oleum aniſi deſtillatum 152
Arteria aorta, cur frequentius laboret anevryſmate, quam pulmonalis? 12. 13
Arteria pulmonalis multo rarius patitur anevryſma, quam aorta 12
Arthritidis cauſſa ſunt vermes inteſtinorum 185
Arthrocenae, radicula, armilla, rapiſtrum *91. 92
Aſcarides celerrime necat et expellit aqua Sinnbergenſis 87
Aſcaridum lumbricoidum excretione per alvum arthritis chronica ſublata 190
Aſcidia adipoſa 257
intestinalis 258
laevis alba membranacea 258
papilloſa 256
Aſtacus mediae magnitudinis prior 317. verus 319
Aſtacus fluviatilis 321
Aſterias aranciaca 286
ciliata 289
leptocnemos 289
paraſitica 291
rubens 284
ſanguinolenta 292
ſtellata 284. 286
Aſthmati medetur Rob ſambuci 2
Aſtiſche, nomen italicum Cancri Gammari 319
Auditus difficultas haereditaria 125
ejus cauſſae occaſionales 132
Auditus gravis uſtione capitis ſublatus 104
Avium duorum deſcriptiones 228

Aurilegium Daciae Tranſalpinae 97. inſtituitur lotione, aut alutatione ib. ſeq.
Aurium affectus uſtione capitis ſublati 102. 104
Autumnalis et hyemalis conſtitutio epidemica Halenſis, anni 1790. 177. ſeq.

B.

Baieri (D. *Ferdin. Jacobi*) Memoria *117 ſqq.
Bajon citatur 111
Barrelierius citatur 285. 286. 289. 341
Bartholinus (*Thom.*) citatur 53
Bartholinus citatur *45. 49
Baryecoia haereditaria 125. ejus cauſſae occaſionales 132
Baſterus citatur 262. 263. 275. 285 296. 307. 310. 312. 319. 323. 325. 334. 335. 339 *22. 23. 28. 29. 30
Belladonna mucoſus ſanguis diſſolvitur 85
Belladonna, ſublata cauſſa iterati abortus 85
Beroë conf. Meduſa
Beroe tentaculatae *21
cucullus *21
tintinabulum 22
ovum 22
hexagona 22
laevigata 22
denſa 22
pileus 22
tentaculis nullis *23
Berce rufeſcens 23
albens 23
infundibulum 23
ovata 23
volvox 23
cucumis 23
ſcaturigo 23
Berolinenſis caerulei geneſis illuſtratur 90
Bertholon citatur 209
Bilocularis ventriculus 94 ſeq.
Blackwell citatur 5
Blaſius citatur *45
Bleyſpath aus Bleyberg in Cärnthen deſcribitur *59. 97. *Würflichter aus Villach* 68. 107
Blumenbach citatur *24. 29
Bohadſch citatur *24. 256. 258. 266. 268
Bomare citatur *29. 31
Bonannus citatur 254. 296. 298. 302
Borlaſe citatur *27. 29. 30. 31. 34.
Born citatur 254
Brachii amputatione hecticus morbus ſublatus 142
Brambilla citatur 142
Brandebole *29
Brendelius citatur 140
Browne citatur *23. 24. 25. 29. 31
Brünning citatur 134
Bufonum pulvis ad abigendam tineam capitis adhibetur 77. ſed fruſtra 78. 80

C.

C.

Cactus hexagonus *Linn.* novis obſervationibus illuſtratus 360. ſemper fere ſenis plures habet angulos 362. ejus corolla, utrum monopetala, an polypetala ſit, inter Botanicos diſceptatur 362. ſeq. numerus partium ejusdem non in omnibus floribus idem 367. flos ei eſt irregularis ib.
Caerulea urina 92
Caerulei Berolinenſis geneſis illuſtratur 90
Caeruleſcens aqua putei cujusdam Windsheimenſis cum lixivio ſanguinis 91
Calamari, nomen italicum Sepiae Loliginis 282
Calcarea terra non a ſolo acido vitriolico in gypſum mutatur 63
Calculos viarum urinariarum expellit aqua Sinnbergenſis 89
Calx ſive Acidum Vulcani *59 cujus caracter color citrinus 63. 72
Cammarum vid. Aconitum.
Canalis uterque arachi apertus in homine quadraginta annorum 121
Cancellus 325
Cancer agilis 337
Araneus 350
Aſtacus 321
Bernhardus 325
bipes 310
cordatus 347
depurator 340
Cancer Eremita 329
Gammarus 319
hexapus 336
heracleoticus 345
hirtellus 344
hirſutus Rondeletii 344
lanatus 347
Locuſta 312. 314
longicornis 335
Maenas 339
Maja 354
Mantis 331
marinus 339. 341
minutus 334
minutior 350
norvegicus 317
Nutrix 334
Pagurus 342
ejus varietas 343
perſonatus 345
Pulex 312
ſagittatus 347
Squilla 323
tribuloides 352
tribulus 352
Cannochia, nomen italicum Cancri Mantis 332
Capiti abraſo applicatum veſicatorium eſt in melancholia primarium remedium 116 ſeq.
Capitis bonae ſpei Africes interioribus in regionibus detectorum Meſembryanthemorum quorundam deſcriptiones *1 ſqq.
Capitis et faciei lichenem repulſum ad partes cerebri ſecuta melancholia, ſanata 108.

Capitis Tineae curatio 74. ſeq.
Capitis uſtionis ſalutaris effectus 101
Caput humanum, mole, monſtroſum 176
Carburi citatur *24
Carduus maris, ſynonymum Echini Cidaris 298
Cariem oſſium faciei ſequitur pericardii pure repletio 38
Caries cartilaginis cricoideae lethalis 118
Caries vertebrarum, cum medulla ſpinali, libere iu abdomine fluctuante 123
Carinae Nautilorum uſus *87
Carinthiacarum Plumbi minerarum duae ſpecies chemice examinatae *55 ſeq. 95 ſeq.
Carnea plica inteſtinum colon occludens 169
Carneoli, Silices, prope Erlangam reperiuntur 197
Cartilagineis lamellis obſitus annulus valvuloſus ſiniſtri cordis 10
Cartilaginis cricoideae caries lethalis 118
Caſeoſa pars lactis coloris vini rubri materiam arripit, et ſecum in fundum ducit 120
Caſum ab alto caries vertebrarum ſecuta 123
Cazzo di mare, nomen italicum Holothuriae tremulae 268
— — *roſſo,* nomen italicum Actiniae equinae 260
— — *verde,* nomen italicum Actiniae ſenilis 262
Cerebri acervulus, vid. Acervulus cerebri
Cerebri ad partes nobiliores repulſum lichenem capitis et faciei, melancholia ſecuta, ſanata 108
Cerebri commotiones baryecoiam producunt 133
Cereviſia fortior Anglica agrypniam abigit 208
Chalcedonius lapis, ramulos Gorgoniae Palmae *Pallaſii* includens 198
Chemica experimenta cum ſpeciebus duabus Minerarum Plumbi Carinthiacarum *55. ſqq. 95. ſqq.
Chemnitius citatur 172
Chemnitz (*Jo. Hier.*) Obſervationes de Teſtaceis multivalvibus nonnullis *35
Chemnitz citatur *39. 40. 41
China royal, eſt praeſtantiſſimum remedium antifebrile 179
Chitones, genus teſtaceorum multivalvium *38
— — ſquamoſi, limbo ſquamuloſo 39
— — ſcabri, variegati 39
— — denticulares 39
— — laeves variegati 39
— — picei, granulati, corpore aculeato 39
— — ex rubro et albido marmorati 40
— — nigri 40
Chitonum concreta 41
Chriſti ex perfoſſo latere ſanguinis et

et aquae profluvium illuſtratur *43 ſeq.
Chryſolithi prope Erlangam obvii 198
Cicada ſive Squilla Mantis 332
Cicatrices in liene inventae 96
Coffeae potus ſaturatior electricitatem ſpontaneam in corpore humano producit 207
Cogitationes de ſanguinis et aquae profluvio ex perfoſſo Chriſti latere *43. ſeqq.
Coli inteſtini coarctatio, cauſa obſtructionis alvi lethalis 169
Coli inteſtini portio penetrans per fiſſuram diaphragmatis, in cavum thoracis 19
Coloniae romanorum olim jam in Dacia exercuerunt aurilegium per alutationem 99
Coloris vini rubri exſtinctio neceſſaria ad examen accuratius adulterati inſtituendum 120. quae perficitur lacte vaccino dulci ib.
Colum marinum 264
Columna citatur 239. 285 *24
Commotiones cerebri baryecoiam producunt 133
Conaria lapidoſa 163. conf. Acervulus cerebri
Conceptio ſine menſtruis 107
Conſtitutio epidemica Halenſis, autumnalis et hyemalis, anni 1790. 177. ſeq.
Contractiones ſpaſticae inteſtinorum et veſicae poſt mortem 21
Convulſiones, ex dentitione perdifficili, in adulta 157
Convulſiones cum vomitu cruento alternantes 160
Coquilles multivalves *37
Cor ſanum, pericardio pure repleto 41
Cordis et aortae anevryſma 8. ſeq. ejus cauſſae 11
Cordis ſiniſtri annulus valvuloſus, lamellis cartilagineis obſitus 10
Cornu Hammonis depreſſum, umbilico carens, plerumque marginatum 246
— — — umbilico concavo 239
— — — orbiculatum ſtriatum, umbilico prominente 244
— — — ſiliquam radiculae referens 253
— — — raphaniſtri referens 248
— — umbilico prominente, et plerumque marginatum 245
— — vulgatiſſimum 238
Coronae in *Tranſylvania* icteri epidemici 133. eorum cauſſae 136
Corporis humani electricitas ſpontanea 205. ſeq.
Cortex peruvianus regius eſt praeſtantiſſimum remedium 179
Cortex ulmi egregium remedium in lichene 111
Cos quadrus 196

Cothenii (D. *Chriſtiani Andreae*) Memoria *145. ſeq.
Cotheniani Legati notitia, et Thema primum, ad praemium impetrandum *183. ſeq. ulterior hujus Thematis notitia 191. ſeq.
Crantz citatur *22
Crellius citatur *57. 58. 116
Cricoideae cartilaginis caries lethalis 118
Cruentus vomitus, cum variis ſymptomatibus conjunctus, ſanatus 159
Cuculus Alpinus deſcribitur 228
Cyclops, infans monoculus 25

D.

Daciae transalpinae aurilegium 97
Dahl citatur *29
Dana citatur *24
Deglutitio impedita 105. nullis, niſi externis, remediis ſublata 106
Delius citatur 61. 93. 94. 195. 199. 360
Delii (D. *Henr. Frid.*) Philyra, dum munus Praeſidis A. N. C. in ſe ſuſciperet *131. ſeq.
— — — Notitia legati *Cotheniani* et Thema primum, ad praemium impetrandum *183. ſeq.
— — — ulterior hujus Thematis notitia *191. ſeqq.
Dentitio perdifficilis, cum convulſionibus, in adulta 157
Deſcriptiones zoologicae, ad Adriatici littora maris concinnatae 235
Deſcriptiones Meſembryanthemorum quorundam in Capitis bonae ſpei Africes interioribus regionibus A. MDCCLXXIV. a *Carol. Petr. Thunberg* detectorum *1. ſeq.
Diaphragmatis fiſſuram penetrans portio inteſtini coli usque in cavum thoracis 19
Diaphragma perforans abſceſſus hepatis cum effuſione puris in pericardium 41
Diarrhoeam, intempeſtive ſuppreſſam, ſequitur Triſmus tonicus 13
Duncans citatur 76

E.

Echino ſpataco 300
Echinometra maxima pelagica Sardica 296
Echinus Cidaris 298
eſculentus 296
e mari rubro 298
lacunoſus 301
ſaxatilis 293
ſpatagus 300. 302
Electricitatis ſpontaneae in corpore humano indicia 205. ſeq.
Effluvia paludum ſtagnantium ſunt cauſa febrium intermittentium 178
Elhuyar (*Joſeph. et Fauſtus* d') citantur *57

Epi-

Epidemica Conſtitutio Halenſis, autumnalis et hyemalis anni 1790. 177. ſeq.
Epidemicorum icterorum hiſtoria 133. eorum cauſſae 136
Epilepſia adultae virginis, ex dentitione perdifficili 157
Equus hernia interna demortuus 18
Erbgrind 74
Erlangenſis oryctographiae ſpecimina quaedam, inprimis ſpongiarum petrificatarum 194. ſeq.
Eſper citatur 202
Evacuantia et reſolventia remedia non omnes fugant febres intermittentes 178
Examen accuratius vini rubri adulterati, exſtinctione coloris inſtituendum 120
Exhilarans virtus opii 53. ſeq.
Experimenta circa phoſphorum, ex oſſibus paratum, ejusque acidum 44
Experimenta chemica cum ſpeciebus duabus Minerarum Plumbi Carinthiacarum *55. ſeq. 95. ſeq.

F.

Fabricius citatur 270. 275. 278. 281. 284. 293. 310. 312. 317. 319. 323. 366
Fabricius (O) citatur *22. 23. 25. 29. 30. 32. 33
Fabricius (Joh.) citatur *29
Fachino, nomen italicum Cancri lanati 347
Faciei et capitis lichenem, ad cerebri partes nobiliores repulſum, melancholia ſecuta, ſanata 108
Farinoſa multum valent ad involvenda ac obtundenda venena acerrima 153
Febres intermittentes quaedam non tolluntur evacuantibus et reſolventibus remediis 178. ſed roborantibus 179
Febres intermittentes producuntur ab effluviis paludum ſtagnantium 178
Febres intermittentes originem non deducunt a ſaburra gaſtrica 179
Febris morbilloſa ſine morbillis 183
Ferri ochra granuloſa et intime conjuncta agri Erlangenſis 195
Fluorem album tollit aqua Sinnbergenſis 87
Foeminae adultae convulſiones ex dentitione perdifficili 157
Follie (de la) citatur 29
Folpo, nomen italicum Sepiae octopodiae 278
Fontanus citatur *51
Fonticulorum uſus in pleumonia, ſi non plane proſcribendus, valde tamen limitandus 138
Forskal citatur *22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 30. 32. 33
Fothergill citatur 141
Frankenau citatur *38

Friſch citatur 312
Fritze citatur 141

G.

Galea picea *58
Gallis turcicis purpuraſcit aqua putei cujusdam Windsheimenſis 91
Gambarello, nomen italicum Cancri Squillae 323
Gambarudula, nomen italicum Cancri Bernhardi et Eremitae 326
Gambaro, nomen italicum Cancri Aſtaci 321
Gaſtrodyniam diuturnam ab acido ſequitur polyſarcia adipoſa 230
Geer (de) citatur 312. 317. 321. 325. 332. 357
Gelée de mer *27
Geneſis caerulei Berolinenſis illuſtratur 90. ſeq.
Geofroy citatur 304. 312. 321
Geſnerus citatur 266. 278. 279. 282. 289. 314. 323. 325. 332. 350
Ginannus citatur 238. 244. 254. 300
Glacies Mariae, gypſi ſpecies, continet acidum ſalis communis 62
Glandulae meſenterii in calculos mutatae 170
Glandulas obſtructas reſerat aqua Sinnbergenſis 87
Glandula pinealis lapidoſa 163. conf. Acervulus cerebri
Globuli lapidei ex jaſpide conſtantes 201
Göttling citatur *65
Gorgoniae Palmae *Pallaſii* ramuli in Chalcedonio incluſi 198
Goſſypio facta uſtio capitis ſalutaris 103
Grampo, nomen italicum Cancri perſonati 345
Grancevoli, nomen italicum Cancri Majae 354
Granci, nomen italicum Cancri depuratoris 341
Grancipori, nomen italicum Cancri Paguri 342
Gravida, poſt arſenicum deglutitum, feliciter reſtituta 152
Greuius citatur *57
Grind, böſer 74
Gronovius citatur *22. 26. 29. 31
Gualtierus citatur *89. 91. 92.
Gummi ammoniacum, in aceto ſolutum, tineam capitis ſanat 80
Gypſum continet acidum ſalis communis 61

H.

Haar (J. van der) citatur *48
Haarmannus citatur 234
Haemorrhoidalium affectuum levamen, aqua Sinnbergenſis 87
Haemorrhoidali fluxu Triſmus tonicus diſcusſus 14
Halenſis conſtitutio epidemica autumnalis et hyemalis, anni 1790 177. ſeq.

Halle-

Hallerus citatur 6. 166. *51
Hammoniae a Nautilis ſunt diſtinguendae *87
Haſſelquiſt citatur 278
Haſtati milites *45
Hecticae et phthiſeos diſcrimen 139
Heiſterus citatur 67. 94
Helix algirae *89
Hepar ſulphuris, antidotum arſenici 155
Hepatis abſceſſus per diaphragma in pericardium prorumpens 41
Hermannus citatur 362. 366
Hernia interna 18
Hernia medullae ſpinalis 124
Hernia ſcrotalis enormis 24
Herrenſchwandiano remedio taenia expulſa 16. ſeq. ejus compoſitio deſcribitur 18
Heyeri (Juſt. Chriſt. Henr.) Experimenta chemica cum ſpeciebus duabus Minerarum Plumbi Carinthiacarum *55.ſeq. 95. ſeq.
Hippocampus Locuſtae genus 331
Hirudo adriatica 255
Hiſtoria icterorum epidemicorum 133
Hoffmannus (Fr.) citatur 178
Holothuria tremula 267
Holothuria ſpirans *24.
denudata 24
Home citatur 90
Homo, capite, mole, monſtroſo 176
Hoven (von) citatur 178
Houlſton citatur 154
Houttouyn et Stat. Müller citantur *22. 23. 24. 25. 26. 28. 29. 31. 32. 33
Humani corporis electricitas ſpontanea 205. ſeq.
Humeri luxati repoſitio facillima per inſtrumentum noviter inventum 64. ſeq.
Hyacinthi, Silices, prope Erlangam reperiuntur 197
Hydra 268
Hyemalis et autumnalis conſtitutio epidemica Halenſis, anni 1790. 177. ſeq.
Hypochondriacos affectus levat aqua Sinnbergenſis 87
Hyſtericorum affectuum levamen praeſentiſſimum, aqua Sinnbergenſis 87

I.

Iaſpidea petrefacta 200
Iaſpidis polyzonias fruſta prope Erlangam reperiuntur 201
Icterorum epidemicorum hiſtoria 133. eorum cauſſae 136
Ileus ex hernia incarcerata interna 19
Illuſtrationes in *Soldani* Opus, *Saggio orittografico* dictum *85. ſeq.
Imperatus citatur *24
Inflammatio pulmonum occulta 181
Inſitio variolarum 78
Inteſtini coli portio penetrans, per

 ſiſſu-

ſiſſuram diaphragmatis, in cavum thoracis 19
Inteſtini coli coarctatio, cauſa obſtructionis alvi lethalis 169
Inteſtinorum et veſicae ſpaſticae contractiones poſt mortem 21
Inſtrumentum pro repoſitione humeri luxati 67. ſeq.
Inſtrumentorum, ad repoſitionem humeri luxati hucusque adhibitorum, vitia 66
Ionſton citatur 260. 262. 268. 276. 278. 279. 282. 286. 314. 319. 321. 323. 325. 332. 342. 345. 350. 352. 354.
Ionſton citatur *27. 29
Iovis lupus *57
Iſchuria, contuſionem regionis pubis ſecuta 121
Iulus ſubmarinus 303
Iuniperi Rob uſus egregius in obſtructionibus viſcerum infimi ventris 2. 3

K.

Kaempf citatur 90
Kalm citatur 334. *28. 29. 31. 34
Kirſtenius citatur *53
Klaprothius citatur *57. 58
Kleinius citatur *89. 90. 91
Knorr citatur 5. 254. *88
Koelle citatur 8
Koenig citatur *24
Kopfgrind 74

L.

Lac vaccinum dulce vinum rubrum colore ſuo privat 120
Lactis ſecretio ſine lactatione 104. cum menſium fluxu alternans 105
L'Agoſta, nomen italicum Cancri Locuſtae 314
Lamellis cartilagineis obſitus annulus valvuloſus ſiniſtri cordis 10
Lampe citatur *53
Lanciſius citatur 178
Lanius rufus *Briſſonii* deſcribitur 229
Lapis ponderoſus *57
Lapidis ponderoſi acidum *78
Laplyſia (Aplyſia) depilans 266.
Laurentius citatur *47
Ledermüller citatur *90. 92
Legati *Cotheniani* notitia, et Thema primum, ad praemium impetrandum *183. ſeq. ulterior huius Thematis notitia 191. ſeq.
Lernaea 266
Lepades, a *Linnaeo* Tintinnabula vocatae *41
— echinatae ſ. ſpinoſae 41
— Diadema *Linn.* 42
— pollicipedes 42
— anatiferae 42
— anſeriferae 42
Lepus marinus 266
Leſke citatur *24. 28. 33
Lichenis capitis et faciei repulſionem, ad partes cerebri, ſecuta melancholia, ſanata 108

Lienis

Lienis cicatrices inventae 96
Linnaeus citatur 6. 238. 239. 244. 245. 247. 248. 249. 250. 251. 253. 254. 256. 258. 261. 263. 264. 266. 267. 270. 275. 278. 279. 281. 283. 284. 286. 293. 296. 298. 300. 301. 304. 305. 312. 317. 319. 321. 323. 325. 330. 331. 334. 336. 339. 341. 342. 344. 345. 347. 350. 352. 354. 356
Linnaeus citatur *22. 23. 24. 26. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 39. 40
Liquor pericardii erat aqua illa ex perfoſſo Chriſti latere fluens *53
Lithiaſin levat aqua Sinnbergenſis 87
Lithiaſin ſanat aqua Sinnbergenſis 89
Lithoxyla, achatina, jaſpidea, quarzoſa et calcarea, prope Erlangam reperiuntur 197. viridis coloris 198
Lixivio ſanguinis caeruleſcit aqua putei cujusdam Windsheimenſis 91
Locuſta Carabus 314
— marina 314
Loefling citatur *24. 29. 31. 33
Loligo Salviani major 282
Lotio, ſpecies aurilegii 97
Lumbrici inteſtinorum, ſunt plurimorum morborum, praecipue arthritidis, cauſſa 185
Lumbricus latus vid. Taenia
— — cucurbitinus vid. Taenia
Lupi ſpuma *57. ejus acidum 80
Lupus Iovis *57
Luxati humeri repoſitio facillima per inſtrumentum noviter inventum 64. ſeq.
Lycoperdaſtrum ſoboliferum etc. *Burmanni*, ſynonymum Meſembryanthemi truncati *6

M.

Machina pro repoſitione humeri luxati 67. ſeq.
Man (Max. Jac. de) Cogitationes, de ſanguinis et aquae profluvio, ex perfoſſo Chriſti latere *43. ſeq.
Man (Maximil.. Jacob de) Memoria *197
Manäte *22. 29
Manges kallede *37
Margaritarum origo in myis 172
Margaritae non ſunt morboſum concharum productum 172
Mariae glacies vid. Glacies Mariae.
Maris Adriatici littorum zoologicae deſcriptiones 235
Martens citatur *21. 23. 28. 30
Martini citatur *88. 89. 90. 92
Maſinetta, nomen italicum Cancri Maenadis 339
Matrona di mare, nomen italicum Actiniae felinae 263
Matrix vid. Uterus
Matthiolus citatur 279. 331
Maxillae inferioris Tetanus, poſt diarrhoeam intempeſtive ſuppreſſam, variolis ſpuriis ſupervenientibus ſublatus 13

Mead citatur 137
Medicarum obſervationum pentas 18. ſeq.
Meditationes ſolito vehementiores, baryecoiam producunt 133
Medulla ſpinalis, libere in abdomine fluctuans, ex carie vertebrarum 123
Meduſa Beroe denſa *22
rufeſcens 23
albens 23
fimbriata 276
velella 24
porpita 24
umbella 24
Meduſae ſtipitatae *25. ſeq.
proboſcidalis 25
digitale 25
perla 25
noctiluca 25
ſanguinolenta 26
pileata 26
cacuminata 26
cruciata 26
cymbaloidea 26
hemiſphaerica 26
unguiculata 26
ocellata 27
cephea 27
octoſtyla 27
perundulata 27
miſea 28
nima 28
brachiatae 28
brachiata 28
marginata 28
purpurata 28
Meduſae brachiatae aurita 29
campanula 30
corona 30
lunulata 30
Andromeda 30
capillata 30
Meduſae brachiis ſtipiteque nullis *31
duplicata 31
conifera 31
pilearis 32
bimorpha 32
mollicina 32
coelum penſile 32
patina 32
marſupialis 32
pelagica 33
globularis 33
aequorea 33
reniformis 33
tetraſtyla 33
cruciata 33
ſimplex 34
Meduſae tentaculatae *21. ſeq. vid. et Beroe, Phyllidoce
— — tentaculis nullis *23
Meduſarum Syſtematis ſtabiliendi Tentamen *19
Melancholia, poſt repulſum lichenem capitis et faciei ad partes cerebri nobiliores orta, ſanata 108
Melancholiae primarium remedium eſt veſicatorium, capiti raſo applicatum 116. ſeq.
Melon di mare, nomen italicum Echini eſculenti 296

Memoria D. *Ferdinandi Jacobi Baieri* *117. ſeq.
Memoria D. *Chriſtiani Andreae Cothenii* *145. ſeq.
Memoria *Maximiliani Jacobi de Man* *197
Menſium fluxu deficiente, tamen conceptio ſecuta 107
Menſium fluxus cum lactis ſecretione alternans 105
Mentula marina 268
Mentulam virilem referens excreſcentia in fronte infantis 25. 26
Mercurius ſublimatus corroſivus ad ſanandam tineam adhibetur 76
Mercurium, in corpore latentem, expellit aqua Sinnbergenſis 87. ſeq.
Meſembryanthemorum quorundam, in Capitis bonae ſpei Africes interioribus regionibus detectorum, Deſcriptiones *1. ſeq.
Meſembryanthemum ſpathulatum *5
— truncatum *5
— teſticulare *6
— digitiforme *6
— moniliforme *7
— faſtigiatum *7
— ovatum *8
— emarcidum *9
— articulatum *10
Meſembryanthemum ejus varietates *11
— faſciculatum *11
— ciliatum *11
— ſimile meſembryanthemo articulato *12
— corallinum *12
— cordifolium *13
— capillare *13
— ſeſſile *14
— trichotomum *14
— ejus differentia a meſembryanthemo geniculifloro *15
— pinnatum *15
— aureum *16
— laeve *16
— pruinoſum *17
— ſabuloſum *17
Meſenterii glandulae in calculos mutatae 170
Metallum lapidis ponderoſi *58. 80
— — ſpumae lupi ib.
Metallum Uranium *58
Metaſtaſes baryecoiam producunt 133
Meza (de) citatur 187

Mictus

Mictus involuntarius poſt ruptam et deformatam veſicam urinariam 169
Milites haſtati *45
Minerarum Plumbi Carinthiacarum duae ſpecies chemice examinatae *55. ſeq. 95. ſeq.
Modeer (Adolphi) Tentamen Syſtematis Meduſarum ſtabiliendi *19
Modeer (Adolph.) Illuſtrationes in *Soldani* Opus, *Saggio orittografico* dictum *85. ſeq.
Maehſen citatur 154
Moeror gravis, cauſſa occaſionalis baryecoïae 133
Molitoris ſingulare et graviſſimum vulnus, a rota molari acceptum, feliciter perſanatum 211. ſeq.
Molybdaenae acido mineraliſata minera plumbi Carinthiaca *95. ſeq.
Monoculus roſtratus 310
Monſtrum, uno ſaltem oculo praeditum 25
Monſtroſum, mole, caput humanum 176
Morbi varii ex mala uteri conſtitutione oriuntur 82
Morbilli anno 1790. Halae graſſantes 181. quoad maximam partem tantum ſpurii 183. methodus curativa adhibita 182. ſeq.
Morbilloſa febris ſine morbillis 183
Morgagni citatur 21. 165
Morgagni citatur *49. 51
Mucus ſanguinis Belladonna diſſolvitur 85
Müller (Statius) citatur 261. 263 266. 267. 289. 293. 301
Müller (O.) citatur *23. 25. 26. 29. 30. 32. 33.
Multivalvia Teſtacea nonnulla *35
Murray citatur 58. 75
Myae, quo modo margaritae in iis oriantur 172
Mytili, quo modo margaritae in iis enaſcantur 172

N.

Napelli anguſtifolii nomen, Aconitum Cammarum denotat 6
Napellus latifolius major, Aconiti ſpecies, venenatiſſimae radicis, hucusque anonymae, planta eſſe videtur 6
Nautili ab Hammoniis et Orthoceris ſunt diſtinguendi *87
Nautilus 254
Acicula 252
Beccarii 238
Calcar 245
criſpus 243
Faſcia 251
Granum 248
littoreus 241
navicularis 241
obliquus 249
Planci 246

Nautilus Radicula 253
Raphaniſtrum 247
Raphanus 248
Scapha 242
Sertum 240
umbilicatus 239
Nautilus papilloſus *88. criſpus 89. *Beccarii* ib. raphaniſtrum ib. obliquus ib. radicula 90. raphanus 91. rapiſtrum 91. leguminis 92
Nereis adriatica 272
cirroſa 270
pellucida 273
Neſanus citatur *45
Nitroſi acidi efficacia in ſericum 27. ſeq.
Notitia Legati *Cotheniani*, et Thema primum, ad praemium impetrandum *183. ſeq.
— ulterior hujus Thematis 191
Noxa ſtudiorum lethifera 43

O.

Obſervationes, circa conſtitutionem epidemicam Halenſem, autumnalem et hyemalem, anni 1790. 177. ſeq.
Obſervationes *Jo. Hier. Chemnitz* de Teſtaceis multivalvibus nonnullis *35
Obſervationum medicarum pentas 18. ſeq.
Obſervationum de Cacto hexagono *Linn.* Spicilegia 360
Obſtructionis alvi rara cauſa 167
Obſtructionibus viſcerum medentur ſucci inſpiſſati, Rob dicti 1
Oculo ſaltem uno praeditus infans 25
Ochra ferri granuloſa et intime conjuncta agri Erlangenſis 195
Oedemati pedum medetur Rob ſambuci 2
Oedematoſis tumoribus calidis medetur alcali volatile, externe applicatum 59. ſeq.
Olaſſen citatur *29
Oleum aniſi deſtillatum eſt antidotum arſenici 152
Oleum tartari per deliquium eſt antidotum arſenici 150
Oniſcus Armadillo 303
Aſilus 305. 308
littoreus 308
Pulex 312
Opii virtus exhilarans 53. ſeq.
Origo margaritarum in myis 172
Orthocerae a Nautilis ſunt diſtinguendae *87. earum characteres generici ib.
— — Teſta recta et oblituiformi ib.
Orthocera criſpata *88. orbiculus ib. raphaniſtrum 89. obliqua ib. armilla 90. radicula ib. raphanus 91. rapiſtrum ib. 92. leguminis 92. pupa ib.
Oryctographiae Erlangenſis ſpecimina quaedam, inprimis ſpongiarum petrificatarum 194. ſeq.

Osbeck citatur 281. 334
Oſſa combuſta, alba et nigra, apta ſunt ad phoſphorum parandum 49
Oſſium faciei cariem ſequitur pericardii pure repletio 38
Oſtreghe di palo, nomen italicum oſtreae edulis L. 334

P.

Pagurus niger brachychelos, remipes 341
Pallas citatur *30
Paludum ſtagnantium effluvia producunt febres intermittentes 178
Pancreas ſuppuratum 51
Pechblende *58
Pechhaube 75
Pediculus marinus 305
Pedum tumori medetur Rob ſambuci 2
Pennant citatur *28. 29. 30. 31. 34.
Penem referens excreſcentia in fronte infantis 25. 26.
Pentas obſervationum medicarum 18. ſeq.
Pericardii liquor erat aqua ex perfoſſo Chriſti latere fluens *53
Pericardium pure repletum, poſt cariem oſſium faciei 38
Petrefacta jaſpidea 200. ſeq.
Philyra D. *Henr. Frid. Delii*, dum munus Praeſidis A. N. C. in ſe ſuſciperet *131
Pholades, naves exedentes *42
Pholades, criſpati *42
Phoſphorum ex oſſibus parandi modus 44. ſeq.
Phthiſis lethalis, nullis fere ſymptomatibus manifeſtata 181
Phthiſeos variae ſpecies 139
— — pulmonariae verae nulla ſanatio 140. 150
— — et hecticae diſcrimen 139
Phyllidoce *23. ſeq. conf. Meduſa
— — velella 24
— — denudata 24
— — porpita 24
Picae, ſpecies Turbinum *40
Picatio 75. non ſemper ſalutarem producit effectum in tinea capitis 80
Pidochio di mare, nomen italicum Oniſci Aſili 305
Pinealis glandula lapidoſa 163. conf. Acervulus cerebri
Pinguedo praeternaturalis virginis, ſub diuturna gaſtrodynia ab acido generata 230
Piſolithus *89
Pituitam lentam reſolvit aqua Sinnbergenſis 87
Plancus citatur 238. 239. 244. 245. 246. 248. 253. 260. 262. 263. 264. 268. 296. 341. 347
Plancus citatur *32. 88. 90. 91. 92
Planta venenatiſſimae radicis anonymae

nymae, in N. Act. N. C. memoratae, reperta 4
Plenk citatur 19
Pleumoniae ſanatio per ulcera artificialia fruſtra tentata 138. ſeq.
Pleumonia vera laborans nunquam ſanatur 140. 150
Plica carnea inteſtinum colon occludens 169
Pluche citatur 172
Plumbi minerarum Carinthiacarum duae ſpecies chemice examinatae *55. ſeq. 95. ſeq.
Pneumonia vid. Pleumonia
Pneumonia occulta 181
Poda (Nicol.) citatur 100. 308
Polpo, nomen italicum Sepiae octopodiae 278
Polypus 278
Polyſarcia adipoſa, ſub diuturna gaſtrodynia ab acido generata 230
Ponderoſus lapis *57
Ponderoſi lapidis acidum *78
Pontoppidan citatur *29. 31
Porpita *24
Poſnerus citatur *45
Potta marina, nomen italicum Meduſae fimbriatae 276
Pouſſepieds *42
Pubertatis in annos incidit origo acervulorum cerebri 166
Pulmo marinus *Matthioli* 276
Pulmo marinus *27
Pulmones in adultis fere ſemper pleurae vel mediaſtino adhaerentes inveniuntur 165
Pulmonum inflammatio occulta 181
Pure repletum pericardium, poſt cariem oſſium faciei 38
Purpuraſcens aqua putei cujusdam Windsheimenſis cum gallis turcicis 91
Putei cuiusdam Windsheimenſis aqua, cum gallis turcicis purpuraſcens, cum lixivio ſanguinis caeruleſcens 91

Q.

Quarzum ſelectum 198. pellucidum 201. hyalinum ib.

R.

Raſenerz 195
Reaumur citatur *27
Reid citatur 141
Remedia evacuantia et reſolventia non fugant quasdam febres intermittentes 178. ſed ſola roborantia 179
Renes vere coaliti 24
Renum calculos expellit aqua Sinnbergenſis 89
Rheumatismis medetur alcali volatile, externe applicatum 59. ſeq.

Riccio marino, *Melon di mare*, nomina italica Echini eſculenti 296
Richter citatur 111. 142
Riolanus citatur *51
Ritterus citatur *45. 54.
Rizzo, nomen italicum Echini ſaxatilis 293. eſculenti 296
Rob, ſive ſuccorum inſpiſſatorum egregius uſus in obſtructionibus viſcerum 1
— juniperi uſus in obſtructione viſcerum infimi ventris 2. 3
— ſambuci uſus in aſthmate, cum tumore pedum 2
Roborantia remedia ſola fugant quasdam febres intermittentes 179
Roeſel citatur 312. 321. 356.
Romanorum coloniae olim jam in Dacia exercuerunt aurilegium per alutationem 99
Rondelet citatur *29
Rotzfiſch 21. Springbrunnen 23. *roſener* 30
Rozier citatur *24
Rubri vini adulterati examen accuratius, exſtinctione coloris inſtituendum 120
Rudolph citatur 101
Rueff (Jo. Caſp. de) citatur 16
Ruptura et deformitas veſicae urinariae, cauſa mictus involuntarii 169

S.

Sacchari ſpiritus, remedium contra agrypniam 208
Saggio orittografico Soldani illuſtratur *85. ſeq.
Sal alcalinum vegetabile, antidotum arſenici 150
Salis communis acidum in gypſo 61
Sambuci Rob egregius uſus in aſthmate cum tumore pedum 2
Sanguineae apoplexiae 22
Sanguis mucoſus Belladonna diſſolvitur 85
Sanguinis et aquae profluvium ex perfoſſo Chriſti latere illuſtratur *43. ſeq.
Sanguinis lixivio caeruleſcit aqua putei cujusdam Windsheimenſis 91
Sapo, antidotum arſenici 155
Scampo, nomen italicum Cancri norvegici 317
Schenkius citatur 53
Schrank citatur 356
Schulpen, veelſchalige *37
Schulz a Schulzenheim methodus, variolas inſerendi 78
Schwartzius citatur 362
Scopoli citatur 304. 308. 312. 319. 321. 323. 331. 334. 339. 341. 342. 354. 356. *30
Scorpio Europaeus 356
Secretio lactis ſine lactatione 104
Segelqualle *24
Senac citatur 12
Sepia 279

Sepia

Sepia Loligo 281
octopodia 278
officinalis 279
Sepiola 283
Sepiola Rondeletii 284
Sepolini, nomen italicum Sepiae Sepiolae 284
Sericum ab acido nitroſo ſulphuris colore inficitur 27
Serpula, ſeminuſum *92. 93
Setaceorum uſus in pleumonia, ſi non plane proſcribendus, valde tamen limitandus 138
Shels, *multivalve* *37
Silices, Carneoli et Hyacinthi in vicinia Erlangae reperiuntur 197
Sinnbergenſis aquae effectus ſalutares 87. contenta ib.
Sitomoja, canaliculata *93. ſtriata ib. ſeminulum ib.
— — ejus character genericus 93
Slabber citatur *22. 25. 26. 32. 33
Soemmering citatur 163. 166.
Soldani (Ambroſ.) opus, *Saggio orittografico* dictum, illuſtratur 85. ſeq.
Spaſticae contractiones poſt mortem 21
Spenglerus citatur *88. 90
Spicilegia obſervationum de Cacto hexagono *Linn.* 360
Spinalis medulla, ob cariem vertebrarum, libere in abdomine fluctuans 123
Spiritus ſacchari, aqua dilutus, agrypniam abigit 208
Splen vid. Lien.
Spongiae petrificatae in agro Erlangenſi repertae 194. ſeq.
Spuma lupi *57. ejus acidum 80
Squilla fuſca 323
gibba *Rondeletii* 323
Mantis 332
Pulex 312
Stella di mare, nomen italicum Aſteriadis aranciacae 286. rubentis 285
Stella echinata Rondeletii 289
Stella marina 285. 286
leptocnemos ſpinoſa 289
Stoeller citatur 116
Stoerck citatur 5
Ström citatur *29. 31. 33
Strack citatur 134
Struve citatur 28
Studiorum noxa lethifera 43
Succorum inſpiſſatorum, Rob dictorum, egregius uſus in obſtructionibus viſcerum 1
Sugillationes a cauſſis mere internis oriri poſſunt 23
Sulphuris hepar, antidotum arſenici 155
Surditas uſtione capitis ſublata 102. 104

Swarz citatur *27. 31
Swieten (Ger. v.) citatur 16
Syſtematis Meduſarum ſtabiliendi Tentamen *19

T.

Tabernaemontanus citatur 6. 7. 276
Tabis et phthiſeos diſcrimen 139
Taeniae excretione levata arthritis 192
Taenia ſecunda, ſ. cucurbitina *Plateri* 16
Taenia, remedio *Herrenſchwandiano*, expulſa 16. ſeq.
Tagoja di mare, nomen italicum Laplyſiae (Aplyſiae) depilantis 266
Tarnovius citatur *45
Tartari oleum per deliquium eſt antidotum arſenici 150
Tatatogna, nomen italicum Cancri agilis 337
Tentamen Syſtematis Meduſarum ſtabiliendi *19
Terra calcarea non a ſolo acido vitriolico in gypſum mutatur 63
Teſtacea multivalvia nonnulla *35
Tetanus maxillae inferioris, poſt diarrhoeam intempeſtive ſuppreſſam, variolis ſpuriis ſupervenientibus ſublatus 13
Tetanus maxillae inferioris haemorrhoidali fluxu diſcuſſus 14
Tethyum coriaceum 256
fafciculatum 258
Theae potus ſaturatior electricitatis ſpontaneae in corpore humano cauſſa 207
— — hilaritatem, agilitatem et tenſionem ſyſtematis nervoſi producit, ſed ſomnum abigit 207
Thema primum, ad praemium, ex Legato *Ctheniano*, impetrandum *183. ſeq. ulterior hujus Thematis notitia 191 ſeq.
Theophylactus citatur *45
Thoracis in cavum penetrans portio inteſtini coli, per fiſſuram diaphragmatis 19
— — vulnus feliciter ſanatum ib.
Thunberg (Carol. Petr.) Deſcriptiones Meſembryanthemorum quorundam in Capitis Bonae Spei Africes interioribus regionibus A. MDCCLXXIV. detectorum *1. ſeq.
Tineae capitis curatio 74. ſeq. variis modis tentata 76
Tintinnabulum *Linn.* Species Lepadum *41
Tranſilvaniae aurilegium 97
Tranſpiratio ſuppreſſa, cauſſa baryecoiae 132
Trewius citatur 360. 362. 363. 366
Triſmus tonicus, ſupervenientibus variolis ſpuriis ſublatus 13
Triſmus tonicus haemorrhoidali fluxu diſcuſſus 14
Tulpius citatur 53
Tumoribus oedematoſis calidis medetur alcali volatile, externe applicatum 59. ſeq.

Tumori

Tumori pedum medetur Rob ſambuci 2
Turbines, Picae *Linn.* *40

V.

Vantrino, nomen italicum Cancri lanati 347
Variolae redduntur malignae, vermibus in inteſtinis hoſpitantibus 186
Variolae ſpuriae tollunt Triſmum tonicum 13
Variolarum inſitio 78
Vecchio marino, nomen italicum Holothuriae tremulae 268
Velella *24
Velum marinum *24
Vena e cava profluxit ſanguis, perfoſſo Chriſti latere *53
Venenatiſſimae radicis anonymae, in N. Act. N. C. memoratae, Planta reperta 4
Venenorum acido-corroſivorum antidotum eſt ſal tartari 154
Ventriculi ſiniſtri cordis annulus valvuloſus lamellis cartilagineis obſitus 10
Ventriculus bilocularis 94. ſeq.
Vermes inteſtinorum, ſunt plurimorum morborum, praecipue arthritidis, cauſſa 185
Vertebrarum caries, cum medulla ſpinali libere in abdomine fluctuante 123
Vertici capitis applicatum veſicatorium, eſt in melancholia primarium remedium 116. ſeq.
Veſicae et inteſtinorum ſpaſticae contractiones poſt mortem 21
Veſicae urinariae ruptura et deformitas, cauſa mictus involuntarii 169
Veſicatorium, capiti raſo applicatum, eſt in melancholia primarium remedium 116. 118
Viarum publicarum, *Chauſſées* dictarum, commoda et incommoda 199
Vini rubri adulterati examen accuratius, exſtinctione coloris inſtituendum 120
Virgo adulta, convulſionibus correpta, ex dentitione perdifficili 157
— vomitum cruentum paſſa 159
Viſcerum obſtructionibus medentur ſucci inſpiſſati, Rob dicti 1
Vitriolicum acidum non ſolum terram calcaream in gypſum mutat 63
Vlcerum artificialium uſus in pleumonia, ſi non plane proſcribendus, valde tamen limitandus 138
Vlmi cortex egregium remedium in lichene 111
Vmbilici duplici ex canali urina profluens 121
Vniones, vid. Margaritae
Voëtius citatur *47
Volatilis alcali uſus externus in tumoribus oedematoſis calidis, rheumatiſmis 59. ſeq.

Vol-

Volvox bicaudatus *22
— — Beroe *23
Vomitus cruentus, cum variis ſymptomatibus conjunctus, ſanatus 159
Vrachi uterque canalis apertus in homine quadraginta annorum 121
Vranium metallum *58
Vrina caerulea 92
Vrinae per umbilicum profluvium 121
Vrinae plenaria retentio poſt vehementem regionis pubis contuſionem 121
Vrinam pellit aqua Sinnbergenſis 87
Vrinariae veſicae ruptura et deformitas, cauſa mictus involuntarii 169
Vrinariarum viarum calculos expellit aqua Sinnbergenſis 89
Vrtica marina *27. 30.
Vrtica eſculenta 262
— — — vario colore, praeprimis caeruleo 263
— major 262
— rubra Rondelet. 260
Vſtio veterum hodienum non temere negligenda 100. efficaciae ejus exemplum 101
Vteri morboſa conſtitutio Belladonna ſublata 85
Vterus morbidus multorum morborum cauſſa 82
Vulcani Acidum ſive Calx *59. cujus character color citrinus 63. 72
Vulnus ſingulare et graviſſimum molitoris, a rota molari acceptum, feliciter perſanatum 211. ſeq.
Vulnus thoracis feliciter ſanatum 19
Vva di mare, nomen italicum Aſcidiae inteſtinalis 258

W.

Walch citatur *88
Walker citatur *94
Weikard citatur 88
Weſtendorff citatur 92
Wigleb citatur 44
Windsheimenſis cujusdam putei aqua, cum gallis turcicis purpuraſcens, cum ſanguinis lixivio caeruleſcens 91
Wolfram, nomen germanicum Spumae lupi ſive Lupi Jovis *59
Wolframi Acidi character, color citrinus *104
Wrisbergius citatur 109

X.

Xaverius citatur *53

Z.

Zona valvuloſa ſiniſtri ventriculi cordis, cartilagineis lamellis obſita 10
Zoologicae deſcriptiones, ad Adriatici littora maris concinnatae 235
Zwierlein citatur 87

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

Tab.

Fig. I.






Fig. II.





r ad nat. del:

Vogel ſc

ad Obſerv. XVI. pag. 67. Tab. III.







G. Nogel del. et ſc. Nbg.

Tab. V.

ad Obſerv. XXXI. pag. 123.




G
H
H
I
B
A
M
M
L
K
L
N
F
C
D
E




Fig. A.





Fig. C.



Fig. B.





Petrefacta Spongiarum.

r. ſc.


Fig. 1.
Fig. 2.

ad Obſerv. LII.
pag. 367.

Tab. X.



ad Oberv. LII.
pag 368.

Tab. XI.



G. Vogel



[illegible] Effigiem pinx: 1777.   J.C. Krüger. - delit sculpsit Berol: 1789.



N.C. Matthes pinx. *G. Lichtenſteger Norib. ſc. 1771.*